AUTHOR:

CICERO, MARCUS TULLIUS

TITLE:

BRUTUS

PLACE:

REGIMONTUM, PRUSS.

DATE:

1844

Master Negative #
91-80127-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Brutus. 1844

Cicero, Marcus Tullius.

...Brutus, sive de claris oratoribus liber, recensuit, emendavit interpretatus est Fridericus Ellendt... Praemittitur brevis eloquentiae Romanae usque ad Caesarum aetatem historia. Regimontii, sumptus fecerunt Fratres Borntraeger, 1844.

xviii, 456 p. 22 cm.

~~D87CR1~~
~~IE44~~ ~~Copy in Classics Reading Room. 1844~~.

76111

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-28-91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202





M. TULLI CICERONIS

BRUTUS

SIVE DE CLARIS ORATORIBUS LIBER.

RECENSUIT EMENDAVIT INTERPRETATUS EST

FRIDERICUS ELLENDT A. M.

GYMNASII REGII ISLEBIENSIS DIRECTOR ET PROFESSOR.

PRAEMITTITUR BREVIS ELOQUENTIAE ROMANAE USQUE
AD CAESARUM AETATEM HISTORIA.

REGIMONTII PRUSS. MDCCCXLIV
SUMPTUS FECERUNT FRATRES BORNTRAEGER.

LONDINI APUD D. NUTT FLEET STREET 158.

PARISIIS APUD BROCKHAUS ET AVENARIUS
RUE RICHELIEU N. 69.

CHRISTIANO AUGUSTO LOBECKIO

PRAECEPTORI SUO

VENERABUNDUS DEDICAVIT

EDITOR.

PRAEFATIO.

Cum ante annos ferme decem et octo Brutum explanandum mihi sumpsissem, negotii magnitudinem perspiciebam quidem, sed feliciter sustinendo parem me minime videbam. Plurima enim cum corrupta esse appareret, subsidia emendandi vix ulla suppetebant. Nam scriptorum librorum copia nulla erat, editi autem alii aliis videbantur mendosiores. In tantis rei gerendae angustiis constitutus cum manum scriptoris restituendi spes exigua esset, necessario magis ad explicationem rerum, quarum in Bruto insignis copia et ad cognoscendum iucundissima exstat, defluebam. Hinc orta est illa eloquentiae Romanae historia, quae, cum fortasse plus iusto placuisset et iudices aequissimos experta esset, alios ad conquirendas oratorum reliquias, alios ad telam a me inchoatam rectius et copiosius pertexendam excitavit. Huius igitur operae quamvis rudis et imperfectae ne nunc quidem poenitet; ea, quae in scriptorem eram commentatus, dudum damnaveram. Sed cum ante novem annos Romae versarer, non solum libros de Oratore copiis Lagomarsinianis adhibitis rectius constituendi copiam nactus sum, sed etiam Brutum, in quo Orellius editione principe et codice Parisiensi usus plurima egregie correxisset, hic illic emendandi et recensionis illius firmamenta gravissima reperiendi spes affulsit.

Bruti codices scriptos seculo decimo quinto antiquiores non exstare certum est. Periit enim codex antiquissimus Gerardi Landriani episcopi Laudensis, ex quo et libri de Oratore suppleti et Brutus primum in lucem protractus est. Omnes igitur, qui adhuc notuerunt, Bruti codices eundem illum fontem monstrant, ut tamen alius alio peritius et accuratius descriptus sit; quod non tam in scripturarum praestantia, quam in mendis caute evitatis et antiquiore vocabula scribendi ratione cernitur. Adhibiti adhuc erant codices Parisienses aliquot, quorum qui praestat D. ab Orellio primo accurate collatus est, et Gudiani duo, a Schuetzio usurpati quidem, sed nec ab hoc nec ab aliis diligenter examinati: de quibus quomodo sentiam in praefatione ad libros de Oratore exposui. Sed his aliquantum praestant Itali, quorum plurimos Lagomarsinus contulit, non nullos ego Venetiis et Romae excussi, Lagomarsinianos autem, postquam viri doctissimi commentarios in collegio Romano S. I. asservatos excerpseram, Florentiae inspexi.

Et omnium quidem emendatissime scriptus est, quem Venetiis contuli, codex olim Nanianus, nunc bibliothecae D. Marci classis XI. cod. LXVII., ante annum 1432 scriptus in usum viri literatissimi, post Cardinalis, Leonardi Baptistae Alberti; cuius rei in ipso libro notula praescripta documento est. Est membranaceus, formae quartae, quam vocant, minoris, nitide exaratus literis latinis, quales tunc apud Italos in usu erant, mendorum paene immunis; raro ab antiqua et proba vocabulorum scribendorum ratione discedit, quod periti simul et fidelis scriptoris signum est. Hunc *Venetum priorem* dico.

Contuli etiam, sed post confectum negotium vix operae pretium me fecisse sensi, *Venetum* alium, quem numero 2. indicavi. Is fuit cardinalis Bessarionis, nunc in bibliotheca D. Marci numerum CCCCXIX gerit; membranaceus est, forma maxima, nitide scriptus literis latinis ad similitudinem impressarum accurate conformatis, qua de causa arte typographica inventa recentiorem esse verisimile. Sed innumerabilibus mendis cum lectionis tum scripturae foedatur et vocabula novitio more scripta ubique monstrat. Praeter Brutum etiam libros de Oratore habet, quos non examinavi. Utriusque Veneti copiam benigne fecit bibliothecae Marcianae praefectus Abbas Bettio, vir insigni humanitate praeditus omnibusque, qui studiorum suorum adiutorem experti sunt, nunquam satis laudandus.

Romae in bibliotheca Vaticana asservatos libros duos contuli; quibus quod uti potuerim viri clarissimi Mezzofanti, qui tunc erat bibliothecae praefectus, nunc Cardinalis dignitate ornatus est, benevolentiae acceptum refero; in quo viro utrum magis doctrinae copiam admirere, an humanitatem ames difficile est ad dicendum. Horum alter *Vaticanus* numero 1720. indicatur (Vat.), membranaceus, forma maxima, seculo XV. nec a perito exaratus et minime magna auctoritate; alter *Ottobonianus* (Ottob.) n. 2057., forma maxima, membranaceus, illo longe praestantior et proxime ad Veneti prioris laudes accedens. Scriptor enim, a quo exaratus est a. 1425 pro Francisco Bossio episcopo Cumano, libros de Oratore, qui et ipsi eo codice continentur, a se diligentissime exactos dicit ad illum Landriani librum antiquissimum et ipso aspectu verecundiam moventem. Correctus liber hic illic est; sed corrector Laudensis illius scripturam non ubique satis intellexit.

Quos *Lagomarsinus* ad emendandum Ciceronem adhibuit codices Florentinos, eorum pars longe maxima in

bibliotheca Laurentiana asservatur. Horum illi, qui ex monasteriis variis nunc sublatis in eam bibliothecam venerunt, cum ad recipiendos non satis pateat, in quodam conclavi acervatim congesti iacent. Quam ob rem iure summum visum est viri clarissimi De Furia beneficium, qui, cum cognovisset meum illos libros inspiciendi desiderium, intra paucorum dierum spatium omnes eruit et examinandos praebuit. Quanquam in his quidem, quos proxime dixi, nullus Bruti codex est; plures librorum de Oratore.

Lagomarsini igitur codex 20. olim S. Reparatae fuit, nunc bibliothecae Laurentianae cod. CCVII. additamentorum catalogi vol. I. p. 523. Est foliorum minorum, quae dicunt, scriptus seculo XV., nitidissime quidem, titulis rubricatis et initialibus auratis et coloratis, item cum summariis marginalibus eadem manu exaratis, sed nec accurate et multis pro lubidine scriptoris interpolationibus correctionibusque cum violentis tum etiam ineptis. Praeter Brutum libros de Oratore habet; constat foliis scriptis 152.

Lagomarsini 35. catalogi codicum latinorum bibliothecae Laurentianae t. II. p. 516., plutei L. cod. XXXI.; formae quartae, membranaceus, foliorum scriptorum 166, a Poggio descriptus, non ex ipso Laudensi, sed, quod ex epistolis eius LI. et LIII. (v. Bandinum l. c.) effici videtur, ex apographo Nicolai Niccoli; ceterum nitide et satis emendate. Praeter Brutum Paradoxa et libri de Oratore eo continentur.

Lagomarsini 39. Laurentianus plutei L. numero IV., forma maxima, membranaceus. Is praeter Asconii Pediani in quasdam Ciceronis orationes commentaria scripta seculo XIV. Brutum habet et Oratorem scripta seculo XV. Constat foliis scriptis 115.

Lagomarsini 51. Laurentianus plutei L. numero XVIII., forma quarta, membranaceus, foliis scriptis 156. Eo Brutus et Orator continentur. Scriptus est autem in usum Cosmae de Medicis a. 1423 a Iacobo Antonio Curlo Ianuensi, tanto nitore, ut nihil possit reperiri elegantius, et religiosa diligentia; nam antiquam plurimis locis scribendi rationem exhibet et correctionum fere immunis est.

Lagomarsini 53. Laurentianus plutei L. numero XIX., forma quarta, membranaceus, praeter Brutum etiam cetera scripta rhetorica minora exhibens; scriptus nitide pro Cosma de Medicis seculo XV., foliis 171.

Lagomarsini 56. Laurentianus plutei L. numero XXII., forma quarta, membranaceus. Praeter Brutum cetera minora scripta Ciceronis oratoria eo tenentur. Habet folia scripta 173, quorum Brutus implet a XXXVIII ad LXXXVI. In fine leguntur haec: „...... haec opuscula Ciceronis transscripserat V Kalendas Maii anno MCCCCLXI.“ Nomen scriptoris igitur erasum est. Literas habet nitidas, initiales librorum auratas et coloratas, picturam in principio et stemma familiae cuiusdam nunc erasum; summaria in margine literis rubricatis exarata sunt.

Lagomarsini 58. Laurentianus plutei L. numero XXV., forma quarta, membranaceus, scriptus summo nitore seculo XV. Foliis scriptis 109 Brutum et Oratorem exhibet.

Lagomarsini 68. Laurentianus plutei L. numero XXXVI., forma quarta, membranaceus, scriptis foliis 165 Oratorem, Brutum, Topica, librum de partitione oratoria exhibens. Scriptus est seculo XV. nitide, cum stemmate familiae Sassettae et pictura initiali. In fine leguntur haec: „Franciscus Sassettus Thomae filius Florentinus civis faciundum curavit. Sors placida mihi.“

Lagomarsini 85. in bibliotheca Riccardiana numerum gerit 557. Chartaceus est, scriptus negligentissime a. 1478, nullo pretio; quam ob rem scripturas eius discrepantes non commemoravi. Habet etiam libros de Oratore.

Desiderabatur Lagomarsinianorum unus numero 8. designatus. Hunc tandem in bibliotheca Magliabecchiana reperisse mihi videor, cum codices ex variis olim monasteriis illatos, sed non dum ordinatos et dispositos inspiciendi potestas a bibliothecae praefecto facta esset liberalissime. In catologum, plane ut ceteri eiusdem sortis libri, nondum relatus est, sed numerum 261 impressum habet. Fuit autem monasterii D. Marci fratrum praedicatorum; chartaceus est, forma maxima, scriptus minime eleganter, sed ex fonte vetusto et probo ductus cum magna diligentia: nec spernendus igitur. Lagomarsini nota, qua codicem a se collatum testari solet, adeo diligenter erasa est, ut ne numerus quidem, quo eum indicarat, agnoscatur; quod secus foret, si membranaceus esset. Sed in hunc Lagomarsinianorum solum cadit, quod ille pro usitata ipsius diligentia annotavit, ut praefixa habeat haec verba: „M. Tulli Ciceronis Brutus incipit. lege feliciter“, quod in fine nulla scriptoris nota legitur, postremo quod ubique fere exhibet *ingeni, Pompei, partis, aestumo, totiens, intellego, neglego* et alia antiquae et genuinae scripturae documenta.

Horum librorum pari fere praestantia et auctoritate sunt Venetus prior, Ottobonianus, Lagomarsini 8. et 51.; eique ita fere ubique conspirant, ut veritatem & diligentiam scriptorum prae se ferant. Ab his proxime absunt Lagomarsini 56. 58. Par. D.; ceteri his nulla parte aequandi.

Accedit auctoritas editionis Romanae, quae Florentiae asservatur inter scriptos libros plutei L. numeroque XIV notatur. Inscribitur: „M. Tullii Ciceronis de Oratore ad Q. Fratrem libri III, Brutus & Orator seu de perfectissimo genere dicendi.“ In fine leguntur haec: „M. T. Ciceronis in Brutum explicit. Liber anno Christi MCCCCLXIX., die vero XII. mensis Ianuarii. Romae, in aedibus Magnifici viri Petri de Maximo.“ Impressa est in membranis, cum initialibus singulorum librorum auratis et coloratis, et in margine scholia habet uberrima, satis docta, manu Angeli Politiani scripta, ut Bandino visum propter similitudinem literarum scribendarum. Lagomarsini verba aliis codicibus ab ipso collatis inscripta ab hoc absunt, sed inest nota numeri, quo indicatur, 93. Constat foliis 177.

Consilium huius meae editionis hoc fuit.

Historiam eloquentiae Romanae rebus ordine verbis plane mutatam multis partibus amplificatam plurimis locis correctam libro Ciceroniano praemittere, ut in priore editione feceram, et viris doctis, quibus illa quamvis rudis indigestaque moles non displicuisset, deberi et mihi decorum videbatur. Nam quae rectius intellexeris copiis novis auxeris melius digesta elegantius perscripseris retinere et celare ratio non est. Deinde verba Ciceronis sequuntur multis locis etiam post Orellium & Bernhardyum rectius distincta, non nullis etiam mutata et emendata; quibus subiecta est notabilior codicum scripturae diversitas et coniecturae cum aliorum tum meae ad explanandum librum prolatae. Paucissimas enim verbis Ciceronis inserui, nec usquam citra necessitatem; loci aut corrupti aut de coniectura emendati significantur praefixo signo †. Secundum libros autem et ordinem verborum plurimis locis mutavi et correxi quaedam notabilius: velut 1, 2. 5, 19. 11, 43. 15, 58. 17, 68. 20, 79. 26, 101. 33, 125. 44, 162. 48, 180. Ernesti scriptura a mea dissidens

literis minutis exhibetur medio inter verba Ciceronis & annotationem criticam loco.

Sequitur rerum et verborum explicandorum commentarius minus copiosus quam necessarius et scriptori soli quam brevissime fieri potuisset explicando constitutus; qua de causa etiam quae in commentariis criticis et explicatione librorum de Oratore pluribus exsecutus eram verbo tacta transmisi. Quae inserui Meyeri et Bernhardyi annotata vel refutandi vel assentiendi causa, his nomen auctoris religiose addidi. Horum V. D. Bernhardy ad Brutum recte intelligendum plurimum contulit; in re critica autem Meyeri verbis castigandis quam suis inventis commendandis felicior videtur fuisse. Sed meae editionis prioris versiculum ne unum quidem retinui; tota enim minus elaborata et hac aetate propemodum indigna videbatur, ut memoriam operis inchoati et rudis quantum fieri posset tollendam existimarem.

Sed de orthographiae ratione, quam secutus sum, pauca addam: intelligo enim fore, ut aliis in novanda scriptura iusto longius progressus, aliis in medio quasi cursu substitisse videar. Nam et ab eorum inertia plurimum absum, qui quicquid perversae consuetudinis ad nos perlatum est intactum servari malunt, et a temeritate eorum seiungor, qui Ciceroni obtrudunt quicquid obsoletae vetustatis notam prae se fert.

In summa enim librorum inconstantia sunt tamen verba et verborum formae, in quibus scribendis aut omnes aut plurimi aut optimi, si non ubique, at plurimis locis conspirent; ad quorum fidem cum ratio et testimonia veterum artis scriptorum accedunt, omnia ad eundem modum constituenda, discrepantia corrigenda sunt. Ex eo genere sunt accusativi pluralis nominum tertiae declinationis in *is* exeuntes, cum ablativi in *i* vel genitivi pluralis in *ium* finiuntur; item genitivi nominum certorum secundae declinationis in *i* finiti. Semper igitur scripsi *omnis, partis* et similia; semper *ingeni, Enni, Naevi, Pompei.* Nam in illis accusativis optimorum Bruti codicum dissensus vix ullus est, in his admodum rarus, velut 24, 93. 26, 99. 84, 289. 90, 310. Sed minus boni, ut Gud. 1. Vat. raro *i* pro *ii* monstrant, velut 21, 81. Eodem modo iudico additum *n* in *totiens, quotiens* et similibus, quae sola Ciceroniana et in omnibus libris optimorum codicum fide tuta sunt; item contractim scribo propter eandem causam *isdem, Di, Dis;* contra *ei, eis, eisdem* rectiora iudico, et sic dedi 20, 79. 59, 214. Similis librorum consensus cernitur in *ceteri, intellego, immo, cotidie, contio*; etsi enim non ignoro quid contra hoc nuper dictum sit, non tamen idoneum existimo ad efficiendum assensum; porro in *unquam, nunquam, tanquam, quanquam:* perrarum est enim, ut boni libri *m* exhibeant, velut 1, 5. 2, 8. fieri videmus. Addo quae ὑφ' ἓν vulgo contra rationem scribuntur repugnantibus libris aut omnibus aut melioribus: *et enim* (quippe cur *at enim?*), *verum tamen, non dum* (nemo enim *non iam* ὑφ' ἓν), *non nihil, non nullus, non nunquam, ante quam, prius quam, quo modo, quem ad modum, quodam modo, me Hercule, magno opere, tanto opere, in primis, iuris peritus, iuris consultus.* Deinde consonae male duplicatae et secundum libros et rationem eiiciendae exemplum est *paulum;* contra retinendae aspirationis in *Cethegus, Carthago, pulcher* ipse Cicero auctor est.

Alia codices quidem plurimos refragantes habent, sed sanae rationis causa probari debent. Non scripsi *benivolum*, nemo enim *benificum* postulat: v. Comm. Cr.

in de Or. II. 17. 72.; non *adulescens* et *epistula*. Nomina in *ilius* nusquam dedi *l* duplicato, secundum ea, quae dixi in Explicatt. ad de Or. III. 43, 171. *Exspecto, exsto* et similia quamvis contra libros multos scribenda et ratio evincit nec prohibet Quintiliani decretum, qui, cum *s* non audiri dicit, simul a multis scribi fatetur. Quid enim? Nonne, si *exto* scribitur, etiam *exolvo* dandum et *expolio* et *expes*, quod posterius sive Buttmannus sive Spaldingius in Quintiliano admisit, quasi ἄποδα significaturus?

Ne illud quidem prudens esse iudicavi discedere a recepta scriptura in assimilanda praepositione. Librorum consensus non est, in titulis rara exempla comparent, rescriptos codices hic illic ab antiquariis correctos suspicio minime spernenda videtur, ratio ambigua est; ita usui et grammaticorum veterum auctoritati parendum. Semper igitur scripsi *agnosco, affero, aggero, allatus, apparatus, aspicio, attendo*, in quibus boni libri subinde dissentiunt, velut 2, 7. 5, 18: cf. Schneideri Gr. Lat. vol. II. p. 529.; semper *collega, immuto, surripio*. Plane solitarium in libris est *subfragium* 62, 222. *Abfui* et *afui* cum iuxta usitata fuisse videantur, singulis locis pronuntiandum est secundum libros, velut 71, 248. Sed *ammoneo* peccatum est scribarum Italorum 4, 15.

Alia sunt, quae constanter uno modo scribi ne in singulis quidem Ciceronis libris licet, non solum propter codices in alia omnia discedentes, sed quia eadem aetate diversa pronuntiandi ratio viguit. Horum exemplum luculentissimum est sonus medius inter *i* et *u*, agnitus ille ab artium scriptoribus; qui maxime cernitur in finitionibus superlativorum. Quanquam hunc quidem in Bruto semper in *umus* exire iussi, quia haec terminatio tantum non sola exstat in Ven. 1. Ottob. Lg. 8. 51.; sed, cum in aliis scriptis Ciceronis libri consentiunt, *imus* retinendum videtur. Cum enim constet primum Caesarem *i* subrogasse pro *u* antiquiorum, nonne etiam Ciceronem medium fluctuasse veri simile erit inter utramque scribendi rationem? Dubito tamen de scribendo *sexagesumus*, quod solitarium emicat 94, 324. Sed *lubenter* et *lubet* plerisque locis scripsi, cum editio quidem princeps (velut 3, 11.), sed raro discrepent boni libri; item *aestumo* et *existumo* et *optumates* uno quidem loco obvium 89, 306. *Quom* et *cum*, *quoius* et *cuius*, *quoi* et *cui* eadem aetate una in usu fuisse certum est. Dedi igitur *quom*, cum aut clare scriptum exstat, aut mendose quidem, ut tamen causa erroris pateat, velut *quam, quo, qua, quanquam*, cuius compendium *qquam* viam errandi patefacit: v. 4, 16. 30, 115. 78, 270.; item in simili causa *quoius* et *quoi*, quod a librariis saepe in *quo* et *qui* deformatur: v. C. Cr. in de Or. I. 1, 1. 22, 102. Sed *locuntur, secuntur* in Bruto libri meliores vix usquam suppeditant. Addo propter soni similitudinem de permutatis *vo* et *vu*. Sunt enim qui non magis probent *vulnus, servus*, quam *loquuntur*, sed *volnus, servos, loquontur* aut *locuntur* unice defendant, alterum ne pronuntiari quidem nescio qua balbutie potuisse affirmantes. Dedi *convolsam* 30, 115., *volgi* 49, 183. 185. 50, 186. 189., *voltu* 54, 200., *volgare* 76, 265. Sed non addicentibus libris talia ubique restituere ratio non est. Tituli enim utrumque una in usu fuisse docent, v. Comm. Cr. in de Or. II. 14, 61.; in fastis Capitolinis Augusti aetate non inferioribus *Q. Publilius Philo Vulscus* consul a. 415 legitur: etsi ab omnibus vulgo *Volsci* scribi solent. Gaudeo, quod virum doctum Alschefski in Livio emendando similiter egisse video. *Voster*, etsi eo ducere videtur *noster* saepe in

libris scriptum errore pervulgato, et *vorto, vorsus,* nisi cum in poëtarum antiquiorum reliquiis exstant, ut 19, 76., probanda propter nimiam vetustatis speciem non puto pauculisque ea locis in libris emicant, velut 40, 150. in Lg. 8. et 53., 46, 172. in Ottoboniano.

Rariora in libris sunt nec spernenda tamen, cum bonos auctores habent, *reicere, abicere,* ut 8, 31. 51, 192: vide Comm. Cr. in de Or. I. 42, 189.; *seclum, vinclum,* ut 19, 75: v. l. c. I. 43, 194.; *reppuli, repperi, rettuli, quattuor,* velut 23, 89. 37, 136. 58, 212. 64, 229: v. l. c. II. 24, 100. Sed ne in his quidem consuetudo eadem est et immutabilis.

Set, illut, aput scribere ineptum iudico. Cum Quintilianus dicit *d t, b p* in fine vocabulorum pronuntiando non dignosci itaque illa promiscue scribi, cavere nos plane iubet, ne a recepta scriptura desciscamus. Addit etiam *ad* et *at* a plerisque non magis scriptione quam pronuntiatione distingui; quae tamen nostro tempore novatorem experta non sunt. Neque video quidni, si *illut* probemus, etiam *quit* sumendum sit et *it* pro *quid* et *id,* cum illa minime infrequentiora in libris sint, quam *set* et *aput.*

Haec mihi huic meae operae praefanda videbantur. Superest, ut peritos harum literarum existimatores rogem, ut hunc quoque studiorum meorum fructum cognitione et iudicio benevolo indignum ne iudicent.

Scribebam Islebiae in gymnasio regio Cal. Martiis a. MDCCCXLIV.

INDEX
COMPENDIORUM SCRIBENDI,
QUIBUS IN COMMENTARIIS CRITICIS USUS SUM.

a corr. a correctore.
a pr. m. et *a sec. m.* (sive *pr. m. sec. m.*) a prima secundave manu scripta significat.
add. aliquid addi in libris scriptis significat.
C. s. *Par. C.* codex Parisiensis C. Orelli.
corr. notae codicis additum, velut Lg. 8 corr. scripturam codicis ad modum vulgatae correctam significat.
D. s. *Par. D.* cod. Parisiensis D. Orelli.
exp. aliquid expunctum esse, *corr. et exp.* correctionem rursus expunctam significat.
Gu. 1. 2. codices Gudiani.
inscr. supra scripta lectioni commemoratae significat.
inv. verba in codice inversa significat.
ita corr. ita inscr. correctum codicem aut inscriptum quod modo commemoratum sit significat.
Lg. codices Lagomarsiniani.
om. omissum.
Ott. s. *Ottob.* codex Ottobonianus.
v. u. t. codicem pro varia scriptura lectionem textus, quem vocant, additam monstrare significat.
vac. locus vacuus.
Vat. codex Vaticanus.
Ven. 1. 2. codices Veneti.
Editionum significationes facile intelliguntur.

CORRIGENDA.

Pag. 47. versu 19. scribe oratoriae pro oratorias.
- 54. - 4. punctis distinguendum post Curio & post Catulus.
- 84. - 10. post §. 32. pone titulum C. Curio.
- 115. - 22. scribe partium pro partim.
- 143. - 26. scribe celebratus pro celebratos.
- 145. - 1. scribe tributos pro tributas.
- 162. - 9. scribe facisque pro facesque.
- 163. - 14. scribe maxumarum, item p. 196. v. 12. constantissumus, neutrum igitur per *i*.
- 176. - 3. nondum scribendum divisim; item p. 200. v. 19.
- ead. - 22. scribe constans pro constant.
- 185. - 8. scribe Acci pro Accii.
- 197. - 15. puncto distinguendum post sublevabant.
- 204. - 28. scribe sit pro sic.
- 218. - 28. insere carere post figurarum.
- 228. - 9. virgula distinguendum post laudas.
- 247. - 8. virgula distinguendum post inquam.
- 279. - 5. scribe barbaries pro barbaria.
- 304. - 2. virgula distinguendum post maiores.
- 309. - 1. scribe divisim re publica, item v. 4. res publica.
- 316. - 12. semicolon tolle post sed.
- 330. - 11. scribe lectoribus pro lectioribus.
- 345. - ult. scribe Λακεδαιμόνιος pro Λακεδαιμόνιοι.
- 412. - 24. scribe Wopk. pro Wopt.
- 414. - 2. scribe dixit pro dicti.
- 417. - 27. tolle punctum post Crus.

BREVIS

ELOQUENTIAE ROMANAE

ANTE CAESARES

HISTORIA.

§. 1.
Introductio.

Eloquentiae Latinae princeps multum in ea sententia tractanda versatus est, ut ostenderet quam e moribus hominum institutis civitatum profluat eloquendi ars quantumque ad ipsas civitates legibus firmandas contulerit. Fatendum est sane insitum esse naturae humanae, ut omnium, ita dicendi artis excolendae studium. Nam quid verbis opus, ut demonstretur nulla re magis, quam ratione et oratione homines a pecudibus segregari? Nec profecto ars est ulla, quae eloquentia potentius valeat ad vires humanae naturae aperiendas et erudiendas. Qua re iam antiquissima aetate homines minime cultos in ea re laudem posuisse intelligimus, ut inter populares suos facundia excellerent; quae ut ab arte plurimum distet, tamen semina eius et causas omnes complectitur. Quid mirum igitur, quod apud Graecos potissimum elegantioris humanitatis auctores et cultores, cum primum e barbarie emersissent civitatumque fundamenta iecissent, sensum quendam et quasi gustum eloquendi et ortum et populari laude elatum videmus? Iure enim laudatur Homerus, qui Nestorem et Ulixen propter facundiam in honore fuisse dixerit; nec erit qui cum Quintiliano dissentiat, cum omnium dicendi generum exempla praestantissima ab Homero profecta esse ait ([1]). Sed iusto plura et ampliora M. Tullius arti tribuit,

1) Quintil. X. 1, 46 sqq.

cui et se totum dicaverat et debebat omnia, cum multis verbis id agit, ut doceat conditas eloquentia civitates, posita politioris humanitatis fundamenta, obliteratam morum feritatem, discordias et bella sedata, malis cum publicis tum privatis occursum esse. Haec ille ex improbatis illis libris de Inventione ([2]) in dialogos de Oratore ornatiora transtulit ([3]); qui cum eo tempore scripti sint, quibus Cicero eloquentia florebat, non mediocriter pugnat ea disputatio cum contraria sententia, qua beneficia illa ad philosophiam quasi parentem refert ([4]). Quippe cum posteriora illa scripsit, libera re publica a Caesare sublata campus non erat disertis viris, in quem quasi excurrentes ingenii praestantiam ostenderent. Rectius sane in sermonibus de Oratore Scaevola, qui contra personatum Ciceronem disputans inducitur, omnem illum cultioris vitae fructum prudentiae civili acceptum refert; etsi naturae humanae illa praestantia est, ut ad summa quaeque, cum primum divino beneficio ex feritatis socordia excitata esset, sponte sua laberetur.

§. 2.
Eloquentiae Romanae principia.

Illud autem intellexisse Ciceronem credibile est has eloquentiae laudes, utcunque de iis existimaveris, rerum gestarum monumentis consignatas non esse: ita huius artis, ut ceterarum, initia vetustatis quasi caligine obscurantur. Prudenter fecit igitur, quod in Bruto ([5]) de originibus eloquentiae Romanae disserens principibus quibusdam civitatis dicendi laudem nisi suspicando et coniectando non tribuit. Si erant diserti, erant pro ratione aetatis et eruditionis eius, quae ante debellatam Italiam et accuratiorem Graecorum notitiam esse potuit. Neque exstant ulla literarum monumenta tam antiqua aut ea fide digna, ut plus quam incertam dictorum factorumque famam nanciscaris. Gens enim

2) I. 1 sqq. 3) I. 8. quibus a Crasso dictis confer Scaevolae disputationem contrariam c. 9 sqq. 4) Tusc. V. 2, 5. 5) c. 14.

Martia faciendo quam dicendo intentior ([6]) rudia omnino artium et literarum principia habuit cultuque politiore omnino caruit, donec subacta Italia est et Graecorum inventa a viris literatis Romam perlata homines ingeniosos discendi cupiditate impleverunt. Fuerint ante bellum Tarentinum commercia quaedam Romanorum et Graecorum, qui Magnam Graeciam colebant; fuerit Romae notitia et imitatio operum Graecorum in arte fingendi pingendique: non efficietur hinc Graecas literas cognitas aut amatas fuisse ([7]). Ne Livii quidem Andronici Naevii Ennii exempla ad Romanos Graecarum literarum gustu quodam imbuendos satis valuerunt: accedere oportuit omnium institutorum privatorum morisque patrii ipsa sua vetustate sacrati mutationem. Tanta est enim moris Romani Graecique discrepantia, ut quicquid ex illo ad huius similitudinem informaretur in peius cederet. Non potuerunt igitur Romani literarum studium a Graecis sumere, nisi cum labe veterum institutorum. Et profecto voluit divinum numen, cum genus humanum per seculorum decursum admirabilia cultus incrementa ceperit, neque gentes omnes in omnibus proficere et alias aliis succrescentibus de fastigio suo deiici.

§. 3.
Prima aetas eloquentiae Romanae. Eloquentia deliberativa.

Aetatem *primam* eloquentiae Romanae ad finem usque belli Punici secundi producendam existimamus; *secundam* a Catone ad Gracchos eorumque aequales pertinere putamus; *tertiam* magnorum oratorum L. Crassi et M. Antonii aut aequales aut paulo superiores complecti volumus; *quarta* Q. Hortensii et M. Ciceronis ad finem usque rei publicae liberae pertinet. Harum prima illa tempora continentur, quibus nihil admodum Romani ex Graecis profecerunt; altera aliquam literarum, levem eloquentiae Graecae notitiam imbiberunt; tertia cultum et morem Graecis institutis in civitatem influentibus quadamtenus mutatum, sed artes peregrinas

6) Sall. Catil. 8. cf. Liv. X. 19. 22. 7) Niebuhr. R. G. II. 343.: etsi is a nostra sententia abhorret.

nondum studiose et consilio receptas monstrat; quarta quae Romanorum ingenium efficere potuit omnium artium ope auctum perfecit. *Prima* igitur *aetate*, cum veteres trifariam diviserint artem dicendi, trium generum unum *deliberativum* s. *συμβουλευτικόν* usitatum fuisse satis manifesto apparet. Nam mos ille minime despiciendus, ut leges pro contione suaderentur et dissuaderentur, iam ante videtur observatus esse, quam legibus Publilia & Maenia patres ante tribus in suffragium missas auctores fieri coacti sunt. Huius popularis eloquentiae initia qui a decemvirorum temporibus repetiverit, quibus plebs a patribus diu impune vexata de miseria paulatim emergere coepit, fortasse non erraverit. Utut rudes enim fuerint tribunorum vetustissimorum contiones ([8]), at fuisse, quemadmodum evinci non potest, vero tamen simile est. Sed memoriam eorum in Annalibus servatam esse, etsi Livii nota in fontibus historiae consulendis incuria incertum reliquit, tamen ne probabile quidem videtur. Nec suasiones illae, quas apud Livium legimus, legum Liciniarum ([9]), legis Ogulniae ([10]), et multo ante Terentiliae et Canuleiae aliud, quam veri similitudinis quid dici potuerit, fundamentum habent. Cum enim Annalibus magistratus bella gesta foedera facta leges latae annonae caritas pestilentia prodigia perbreviter nec ulla verborum aut copia aut ornatu perscriberentur, factorum, non dictorum scriptores memores fuisse oportet. Tamen cum Livius minime diligens, Dionysius et saepe ineptus et praeceptis opinionibus praepeditus scriptor videatur, tenuem illam Romae antiquissimae accuratius cognoscendae viam cum Annalibus illis amissam dolemus.

§. 4.
Reliqua duo dicendi genera.

Iudiciali dicendi genere Romani ante Catonis aetatem usi non videntur. Nec enim eloquentiae usus erat in causis privatis, quae tunc totae a formularum iure pendebant et

8) Id Livius Voleronis Publilii ore haud inepte fatetur II. 56. 9) Liv. VI. 37. 10) Liv. X. 7.

apud praetores et iudices Areopagitarum illa severitate praeditos agebantur ([11]); et causae publicae populi tributim centuriatimve convocati suffragiis iudicatae in criminibus et testimoniis totae versabantur. In populo autem exorando noxiis non sane multum spei erat, cum neque essent eloquendi lenocinia nec pecuniis largiendis et ambitu iuvarentur, et hominibus illis pravi moris esse videretur misericordiam sibi precibus et fletu extorqueri. Duas causas publicas illustres, utramque belli Hannibalici tempore actam, Livius commemorat, quae causae totam arrexisse civitatem videntur: qua re, si tunc eloquentiae aliquod munus fuisset, non tacuisset. Harum altera M. Postumii publicani est ([12]), altera Cn. Fulvii Flacci praetoris ([13]). Neutra ab eloquentibus tractata, qui nulli tunc in iudiciis versabantur: in illa publicani pro socio vim intentaverant severo senatus consulto et graviore actione prohibitam; in hac Q. Fulvii quater consulis, qui rei frater erat, preces valiturae videbantur, nisi senatus e re publica esse negans Q. Fulvium ab obsidenda Capua discedere pervicisset, ut reus damnaretur. Rectius profecto illa aetas iudicabat, quam Ciceronis, cui mendax orationis ornatus et miserationes pro indignissimis adhibitae adeo placebant, ut publica utilitas privatis studiis plerumque posthaberetur. Regnare in iudiciis, nocentissimos eripere invidiae populari, ius et iniuriam oris temperamento miscere ambitiosis seculis magnum et regale visum est, sed incorrupto hominum veterum iudicio displicuit. — Generis *demonstrativi*, quod tertium eloquentiae ponunt artis scriptores, laudationes funebres sunt, quibus, cum antiquissimae essent in re publica Romana ([14]), nihil tamen ab eloquentia magis alienum iudicat Cicero ([15]). Aliter nos iudicaturi videmur, si eiusmodi laudationes nunc etiam legere liceret. Cum enim minus ad res defunctorum gestas extollendas, quam ad aemu-

11) Nihil de contrario probavit Westermann Hist. Eloq. R. p. 28. 12) Liv. XXV. 3. 13) Liv. XXVI. 2. 14) Dion. Hal. V. 17. Plut. Popl. 9. Cic. Brut. 16, 61. 15) Cic. de Or. II. 84, 341.

landi studia incendenda ([16]) comparatae essent, sententiarum dignitate verborumque granditate populi Romani magnitudinem quodam modo aequasse videntur.

§. 5.
Eruditio adolescentium.

Si quis erat illis temporibus eloquens, facundia erat naturae beneficio debita: nemo enim ad dicendum instituebatur nec erat ars ulla doctrinae. Adolescentes enim non tam literis et magistrorum voce erudiebantur, quam usu et more publico observando convictu principum contubernio ducum. Quod usque ad Ciceronis aetatem retentum est, ut senes et honorati de iure respondentes vel de re publica disserentes turba discentium gauderent, id ab antiquissimis civitatis temporibus repetendum esse veri simillimum videtur. Et est haec disciplinae ratio, ut gratuita, ita honestissima et ad augendam magnitudinem Romanam plurimum contulit. Erant enim non frigidae magistrorum disputationes, sed viva virtutis exempla; non inutiles de rebus a vita alienissimis disceptationes, sed de summa re publica et laudibus civitatis servandis augendisque praecepta multorum annorum usu confirmata. Quod praeterea Etruscorum quasdam artes didicisse feruntur adolescentes, id Romanis moribus et cultui vere populari et domestico offecisse credendum non est. Nihil enim praeter haruspicinam et rem agrimensoriam artes necessarias quidem, sed non magni ad ingenium colendum momenti, ex Etruria Roma defluxit ([17]).

16) Westerm. l. c. p. 29. 17) Haruspicinae discendae causa adolescentes Romanos nobiles in Etruriam missos esse Goerenzius in Legg. II. 9, 21. et Frandsenus in libello de Haruspicibus edito a. 1823 argumentis oppositis infirmare studuerunt. Frustra quidem. Scriptorum enim testimonia Cic. Legg. l. c. Divin. I. 41. Liv. IX. 36. Val. Max. I. 1, 1. aliter intelligi non possunt. Quomodo fieri potuit, ut Cicero diceret, quod illi volunt, principum *Etruscorum* filios singulis Etruscorum gentibus erudiendos traditos esse? Cur traderentur popularibus qui inter populares vivebant? Nec aliud indicatur in Legibus: *principes Etruriae,* inquit, *disciplinam docento,* quippe adolescentes Romanos ad discendum missos. Non fuit haruspicum collegium Romanorum ante Caesarum aetatem, qua exstincta erat Etruscorum gens et ne sermo quidem superstes; sed disciplina haruspicum ab augurali divelli non potest, qua Romani carere non poterant, quia cerimoniae omnes rei publicae rationibus regebantur. Id et Ti. Gracchi consulis exemplo apud Cic. de Divin. II. 35. Nat. Deor. II. 4. et Servii in Aen. I. 422. III. 597. VIII. 398. et Festi p. 216. testimoniis efficitur, ex quibus perspicimus ne urbes quidem rite condi, aedes sacrari, tribus et centurias distribui, exercitus ordinari potuisse sine Etruscae disciplinae notitia; cuius quia in ostentis et prodigiis interpretandis praecipuus usus erat, haruspicinae vocabulo quippe a potiori commode dicitur. — Mirum est, si vera sunt, quae de portentosa morum apud Etruscos impuritate ex Theopompo affert Athenaeus XII. p. 517. d., tantae labis per tot secula ne vestigium quidem Romam permanasse. Quanquam quae statim de communione feminarum apud Etruscos et de more corporis vellendi a Messapiis et Samnitibus gentibus armorum usu duratissimis reperto idem Theopompus narrat primo statim obtutu mendacio deberi clarum est. V. Niebuhr. II. R. vol. I. p. 159.

§. 6.
Viri diserti aetatis primae.

Disertorum huius aetatis hominum pertenuis ad nos pervenit memoria. Quis, inquit M. Tullius in libro de claris oratoribus ([18]), non putet L. Brutum fuisse disertum, quod regibus pulsis civitatem legibus magistratibusque devinxerit? possumus L. Valerium Potitum, qui post decemviralem invidiam plebem in patres incitatam legibus contionibusque mitigaverit; et quae sequuntur. Quanquam legum Valeriarum in hac mitigandi provincia maiores partes quam contionum fuerunt. In M. Valerio, quem dicendo seditionem in monte Sacro sedasse Cicero tradit, cum Livius aliique eam laudem Agrippae Menenio tribuerint, non erravit, ut non nullis visum ([19]), sed alios annales secutus est ([20]). Etiam C. Fabricium M. Popilium M' Curium Dentatum C. Flaminium hominem seditiosum Q. Fabium Maximum quin-

18) Cic. Brut. 14, 53. 19) Burigny in Memoriis Acad. Inscr. Paris. vol. XXXVI. p. 35. 20) v. Niebuhr. Hist. R. vol. I. p. 669. Rei memoriam testatur inscriptio Arretina ap. Orellium vol. I. 535. p. 146.

quies consulem bello Hannibalico M. Cethegum P. Tuditanum aliosque non nullos solam famam secutus verbo tangit.

§. 7.

Ap. Claudius Caecus. Q. Maximus. P. Scipio. P. Crassus.

Et illorum quidem virorum memoria centum fere annos complectitur, a Samnitum bello flagrante ad Hannibalicum compositum. Ex iis igitur, qui antiquiores sunt, nemo *Ap. Claudio* clarior, qui Caeci post cognomine dictus est, cum oculis captum fama esset, quod Herculis sacra a Potitiis et Pinariis sacerdotibus deseri passus servos publicos quomodo ea facerent doceri instituit ([21]). Is ingenita familiae ferocia ([22]) neque legum neque populi neque senatus ullo modo reverens, si seculo prior fuisset, Ap. Claudio decemviro sine dubio simillimus futurus erat. Quippe nec interrex plebeium consulatus petitorem admissurus erat ([23]) et ipse consulatum cum patricio petebat adversus legem Liciniam ([24]); deinde censor spreta Aemilia lege magistratum et per quinquennium et solus gerere ausus est ([25]), et iniussu senatus suscepta opera viam Appiam et aquae ductum ingenti sumptu impensis vectigalibus omnibus et divendita fortasse parte agri publici munivit ([26]). Idem et Cn. Flavio scribae, cum ipse plebis esset acerrimus hostis, libertinorum propugnatori favit contra rem publicam et libertinos per omnes tribus distribuisse et in senatum legisse fertur ([27]), dominationis haud dubie cupidus et domesticorum exemplorum, maxime Ap. Claudii decemviri aemulator. Quanquam in gravitate viri praedicanda multus est Cicero, nec fortasse iniuria. Cum enim fieri potuerit, ut aetatis ferocioris errores senectutis maturitate tollerentur, caecitatis malo prohibitus non est, quo minus rei publicae navaret operam, idemque ingentem domum et magnas clientelas senex et debilis fortiter rexit ([28]). Sed maxime laudatur propter foedus Pyrrhi

21) Liv. IX. 29. 22) Liv. l. c. Tac. Ann. I. 4. Suet. Tib. 2. 23) Cic. Brut. 14, 55. 24) Liv. X. 15. 25) Liv. IX. 33. 26) Niebuhr. Hist. R. vol. III. p. 362. 27) Niebuhr. l. c. p. 345. 28) Cic. Tusc. V. 38, 112. Cat. M. 11, 37.

oratione senatoria discussum ([29]). Huic non tam consulare ingenium, quam iuri disceptando natum L. Volumnii consulis graviter ab eo laesi ore Livius tribuit ([30]); tamen famam eloquentiae ad sua usque tempora mansisse et ipse testatur et alii eius aetatis scriptores ([31]). Nec minimi ad eam laudem momenti censendum illud est, quod primum Romanorum prosa oratione usum Isidorus narrat, quippe cuius unius ex ea aetate nomen scriptis illustratum ille sciret ([32]). Orationem de foedere Pyrrhi, cuius partes quaedam ab Ennio in Annalibus expressae exstant, Cicero quidem haudquaquam delectabilem videri legentibus significat ([33]); nos rudia verba minus acerbe iudicantes fortasse severitatem sententiarum probaremus ([34]). Carmen eius quoddam, *γνώμας* puta fuisse, magnopere laudavit Panaetius Stoicus ([35]): huius tria deprehenduntur vestigia apud personatum Sallustium Festum Priscianum ([36]).

Sequentis aetatis virorum *Q. Maximi Cunctatoris* laudatio filii ante ipsum defuncti exstabat ([37]) ingentibus laudibus ornata a Plutarcho ([38]) propter gravitatem et prudentiam sentiendi; *P. Scipionis Africani* oratio legebatur, qua adversus accusatorem suum usus est ([39]), brevissima sine dubio et levis, quippe qua ne nomen quidem hominis commemoraretur. De *P. Licinio Crasso Divite* nihil praeter testimonium eloquentiae reliquum est ([40]). Sed *Q. Metelli*, qui cum L. Veturio consul fuit a. 548., egregius locus laudationis funebris in honorem patris bis consulis et dictatoris exstat apud Plinium. Oratio de Carthagine rectius ad Macedonicum refertur ([41]).

29) Liv. epit. XIII. Cic. Brut. 14, 55. Cat. M. 6, 16. Val. Max. VIII. 13, 5. Plut. Pyrrh. 18. 30) Liv. X. 22. 31) Liv. X. 19. Cic. Brut. l. c. Cat. l. c. 32) Origg. II. 2. 33) Brut. 16, 61. 34) v. Niebuhr. H. R. vol. III. p. 571. 35) Cic. Tusc. IV. 2, 4. 36) Festus v. *Stuprum*. Sall. de Rp. ord. 1, 1. Prisc. VIII. p. 792. Nihil proficitur ex auctoribus illis, quos de Appii carminibus laudat Meyerus fr. Or. R. p. 3. ed. II. 37) Cic. Cat. 4, 12. 38) Plut. Fab. 1. 39) Liv. XXXVIII. 56. cf. Gell. IV. 18. 40) Liv. XXX. 1. 41) Plin. H. N. VII. 43. Val. Max. VII. 2, 3.

§. 8.
Secunda aetas eloquentiae Romanae.

Secundam eloquentiae Romanae aetatem a finito inde bello Hannibalico ad Gracchos usque pertinere voluimus; qua aetate notitia quaedam literarum Graecarum Romam perlata est, ut cultior humanitas incrementa caperet, sed eloquendi ars paene rudis maneret nec praeceptis et imitatione Graecorum nisi apud paucos et in paucis proficeret. Principia culturae et literarum Graecarum cum Romanis communicata circa finem belli Punici primi accepimus; sed tanta erat Romanorum in institutis suis tuendis tenacitas, ut ad Sullae usque aetatem ne senatores quidem omnes Graece scirent et Molo Rhodius primus sine interprete in senatu auditus sit. Fortasse dolendum, quod cultus domestici apud Romanos flos, cum nondum enatus esset, interventu Graecorum exstinctus nunquam ad maturitatem quandam pervenerit. Verum si Romani in summis poëtis et historicis Homero Sophocle Thucydide Xenophonte imitandis stetissent, nec in poësi ad versificatores Alexandrinos doctiores quam ingeniosiores descendissent nec historiae scribendae exempla a scriptoribus Alexandri sumentes res ornatu extollere quam narrare et exponere maluissent, melior profecto et prosperior literarum Latinarum proventus fuisset. Sed nec haec fusius exsequi opus est nec eloquentiam Graecam hac aetate imitatione exprimendam Romani sibi sumpserunt; ad quam si quid ex Graecis literis profecerunt, hoc ingenio ad universam humanitatem magis magisque exculto debetur.

§. 9.
Adolescentium institutio.

Viris principibus iure maius et honestius visum est in legibus et institutis patriae tuendis et imperio augendo temperandoque versari et senatoris imperatoris iuris consulti muneribus satisfacere, quam rebus ludicris et otio consumendo idoneis dare operam. Hanc voluntatem apud plerosque augebat Graeculorum vaniloquentia, ut pauci essent, qui transmarinas et adventicias artes mirarentur, quem ad modum P. Sulpicius Gallus astrologus fecit, pauciores etiam sese didicisse faterentur. Populo ne displicerent, sese artium peritiam dissimulasse Antonius et Crassus apud Ciceronem (42) asseverant et hanc popularem opinionem ad Ciceronis aetatem mansisse huius testimonio usus haud obscure prodidit Quintilianus (43). Nec, nisi ita fecisset, pluribus verbis Cicero in Archiana se, quod poëtis et philosophis operam daret, excusaturus erat. Mansit igitur in plurimis, quae fuerat, iuventutis disciplina. Postquam enim literarum initia sive legendi scribendi calculos supputandi rudimenta pauculis poëtarum versiculis et duodecim tabularum carmine ediscendo percepissent, sumpta toga virili deducebantur ad senes et honoratos, ut de iure respondentes audirent, iudiciis adessent, senatoriis sententiis popularibus contionibus auscultando (44) legibus more publico prudentia civili magis usu quam arte imbuerentur. Hunc iuventutis erudiendae morem, quem Ciceronis pueri aetate adhuc viguisse constat, magnas in imperio orbis parando partes habuisse probabile est. Aliis enim in aliorum vicem succrescentibus virorum egregiorum propago nunquam deficiebat (45). Sed literarum cum Latinarum, tum maxime Graecarum notitia plerosque etiam civitatis principes mediocriter imbutos fuisse inde efficitur, quod paulo antiquiores Gracchis M. Lepidus Porcina Ser. Galba C. Carbo ne iuris quidem satis gnari fuisse feruntur (46). Quin multis annis post nec Crassum satis peritum et Antonium prorsus rudem fuisse literarum constans hominum erat opinio, in qua refutanda frustra copiosus est Cicero (47).

---

42) Cic. de Or. II. 1, 4. 36, 153. 43) Quintil. XII. 9, 5. 44) Cic. de Or. III. 2, 5. 45) Nemo huius aetatis sanctitatem et morem adolescentes in sinu parentum honoratorumque contubernio ad res praeclare gerendas instituendi eloquentius deploravit quam scriptor dialogi de oratoribus c. 28. 33 sqq. 46) Cic. de Or. I. 10, 40. 47) Cic. de Or. II. 1 sqq.

§. 10.

Doctrinae Graecae initia.

Primi, quos sciamus artes Graecorum Romam transtulisse, Epicurei fuerunt Alcaeus et Philiscus, qui cum mollitiei et vitiorum magistri non iniuria viderentur, senatus consulto de civitate eiecti sunt a. u. 581 ([48]). Sed innoxius visus est literator Crates Mallota, qui cum legatis Attali Pergamenorum regis in urbem venit a. 586. Is enim, cum crus fregisset, Romae diutius commoratus scholas de literis Graecis instituit, quibus multos studiose interfuisse credi par est ([49]). Hinc Latinarum etiam literarum doctrina quaedam provocata. Fuit enim Crates Suetonio teste Romanis exemplum ad imitandum, ut carmina parum adhuc divulgata diligentius tractarent ac commentando nota facerent: velut C. Octavius Lampadio Naevii bellum Punicum, alii alia ([50]). Hunc Lampadionem libertinum hominem et Graecis parentibus oriundum nomen ostendit. Hinc literarum cum Graecarum tum Romanarum notitia mox necessaria habita est, quam adolescentes rhetoribus ad institutionem tradendi perdiscerent ([51]): etsi certam quandam huius rei legem non ante medium seculum urbis septimum observatam fuisse veri simile est ([52]). Sed qua Crates, eadem aetate iam rhetores et philosophi Graeci Romam sese introduxere; quippe quos C. Fannio M. Messalla consulibus referente M. Pomponio praetore senatus urbe decedere iusserit a. u. 593. a. C. 161 ([53]). Sed paucis annis post tanta incessit mutatio, ut, cum philosophi Carneades Critolaus et Diogenes legati ab Atheniensibus Romam missi essent a. 598., maxime Carneadis copiosissimae et acutissimae disputationes plurimos et cupidissimos auditores invenirent ([54]) nec quicquam ad philosophos et Graecos coërcendos Catonis Censorii valeret auctoritas ([55]). Quanquam dici illud non potest Romanos

48) Athenaeus XII. p. 547. a. 49) Suet. illustr. gr. 1. 50) Suet. l. c. 51) Suet. ill. gr. 4. 52) Westerm. l. c. p. 57. 53) Suet. illustr. rhet. 1. 54) Cic. de Or. II. 37, 155. 55) Plutarch. Cat. 22.

aut omnes aut plurimos grammaticis et philosophis Graecis dedisse operam. Sed impulsi certe hominum animi erant, ut inspicerent quid gens ingeniosissima pulchri et honesti ad discendum excogitasset: qui ut semel motum illum acceperant, plures paulatim et plures imitatores repererunt. Hinc etiam severissimus peregrini moris insectator Cato, cum annis non sane multis ante graviter vituperasset Graecos cum auditoribus suis, senex ipse Graecum sermonem didicit ([56]). Nobilissimi huius exempli aemulatores P. Scipio et C. Laelius Sapiens videntur fuisse.

§. 11.

Incrementa eloquentiae.

Paulo post grammaticos et philosophos etiam eloquendi doctores in urbe auditi sunt. His quodam modo praeluserant philosophorum Critolaus et Carneades, quorum sectae erat ne dicendi quidem doctrinam a sapientiae praeceptis alienam putare. C. Gracchum plurimum profecisse credi par est ex doctrina Diophanis Mytilenaei et Menelai Maratheni, a quo didicisse Fannius consul in nobili oratione de sociis et nomine Latino ei tanquam crimen obiecit ([57]). Sed longe certe pluribus modis eloquentia aucta est more civitatis mutato et discordiis civilibus et factionibus optimatium et popularium inter se de summa re publica decertantium, quam doctrina nova et adventicia ([58]) aut exemplis Graecorum imitandis. Eam si recte Cicero dixisset pacis comitem et bene constitutarum civitatum alumnam, Spartani certe nunquam otii domestici compotes fuisse, Romani autem eo tempore deplorandam propter legum defectum rem publicam habuisse viderentur, quo tempore omni virtutum laude floruerunt. Est enim plane contra, ac persuadere cupit vir eloquentissimus. In civitate tranquilla et bene morata, in qua leges regnant et mos publicus legibus potentior, non

56) Cic. Cat. M. 1, 3. Acad. II. 2, 5. 57) Cic. Brut. 26, 100. 27, 104. 58) Sic eam vocat de Or. III. 33, 135. cf. Brut. 18. pr. Arch. 6.

opus est eloquentia; sed in qua desaevit civilis discordia, regnant factiones, ius et iniuria vi potentium et plebis effrenatae miscentur, hanc civitatem eloquentes idoneam nanciscuntur, in qua animis non tam docendis quam cogendis et perfringendis dominentur. Haec pulchre perspexit scriptor dialogi de oratoribus ([59]) summo iure Ciceronis sententiae adversatus. Plurima igitur moribus in peius mutatis, cum quaestiones perpetuae instituerentur, ex *iudiciis* succrevit oratoribus materies. Et adolescentes maxime accusando ingenium nobilitare studebant, aetate provectiores causis defendendis clientelas augere. Quanquam minime insolitum fuit etiam senes et honoratos ad accusandum descendere; qui mos magno rei publicae detrimento non multo ante Sullae tempora sublatus est. Huius rei Cicero ([60]) testis est, cuius aetate res sane dudum mutata erat. Accusavit enim Cato Censorius plurimos, et senex quidem annorum plus octoginta Ser. Galbam; P. Africanus L. Cottam, P. Lentulus princeps senatus M' Aquilium ([61]); M. Scaurus adeo et P. Rutilius Rufus, qui una petierant consulatum, cum hic repulsam tulisset, sibi invicem accusationem intentarunt. Plures ut unum defenderent, Ciceronis demum tempore in morem venit; huic quidem is mos iure vitiosus visus est, etsi sunt graviores eius rei, quam quas commemorat ([62]), causae. Sed accusatores plures in eadem causa prodibant: velut in M'. Aquilio postulando P. Lentulus subscriptorem habuit C. Rutilium ([63]).

Minus incrementorum eloquentia *deliberativa* cepit. Ante Gracchorum enim aetatem plurimum in re publica gerenda senatus valebat: quod cum prudens esset collegium, minore dicendi apparatu suadentibus et dissuadentibus opus erat. Causa enim rei publicae apud peritissimos viros plus valebat, quam eloquendi artificium ([64]). Omnes autem, qui in iudiciis frequenter dicebant, etiam in senatu et contionibus oratores exstitisse consentaneum est; sed senatoriae sententiae auctores paucos fuisse constat. Cum vigebat Africanus, inter huius et Q. Metelli Macedonici partes omnis senatus quasi medius erat: hos viros intuebantur, horum auctoritatem sequebantur omnes.

Postremo genus eloquendi *demonstrativum*, quas laudationes et vituperationes Romani vocant, ut apud Graecos ipsos magis delectandi causa quam necessitate aliqua tractatum est, praeter contiones funebres non alium nisi fortuitum in causis vel testimoniis dicendis locum reperit ([65]).

59) c. 34. 60) Cic. Divin. in Caecil. 21. 61) Cic. l. c.; cf. Muren. 28, 58. Valer. Max. VIII. 1, 11. nostra ad Cic. Brut. 28, 108. 62) Brut. 57, 210. 63) Cic. Div. Verr. 21, 69. 64) Cic. de Or. II. 82, 333.

§. 12.
Dicendi forma.

De dicendi forma, quae hac aetate obtinuit, bene Quintilianus ([66]) iudicat in artium statuariae et oratoriae proventu comparando Ciceronem secutus ([67]). „*Sed fuere*, inquit, *quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia. Hinc sint Laelii Africani Catones etiam Gracchique, quos tu licet Polygnotos vel Callonas appelles. Mediam illam formam* (Phidiae et aequalium) *teneant L. Crassus Q. Hortensius.*“ Laudem quidem Latine loquendi, ut innocentiae, huic aetati propriam fuisse haud inepte Cicero iudicat ([68]), a cuius sententia non multum distat, cuius modo testimonio usi sumus, Quintilianus Scipionem et Laelium iudicans quasi Attica quadam in loquendo castitate usos videri ([69]): quod non artis nec eruditionis fuit, sed naturae, sermonis Latini integritate nondum variarum gentium colluvione corrupta. Hinc mulieres ab externi moris contagione integriores veterem sermonis puritatem et quasi candorem diutissime retinuerunt ([70]). Fateamur igitur cum Tullio necesse est Latine loqui si abesset ab oratore Romano, magnum vitium, si adesset, exiguam, quamvis necessariam laudem videri debuisse. Sed simplices illi homines, etsi morum castitas etiam verbis puris exprimebatur,

65) Cic. Brut. 44, 162. de Or. II. 84, 341. 66) Quintil. XII. 10, 10. 67) Brut. 18, 70. 68) Brut. 74, 258. 69) Quintil. XII. 10, 39. 70) Cic. de Or. III. 12, 45. cf. Brut. 58, 210.

pro sensus sui candore posuerunt quae cultiores nepotes repudiarent. Velut quae Cicero ([71]) et ex eo Quintilianus ([72]) parum munde dicta referunt, *stercus curiae Glauciam* et *castratam Africani morte rem publicam*, nescio quem oratorem illa aetate dixisse probabilis coniectura videtur: illud Q. Numidicum aut M. Scaurum, hoc P. Scaevolam Pontificem Maximum aut Q. Macedonicum decebat. Simile illud est, quod L. Piso Frugi in Annalibus dixerat, *adolescentes aetatis suae peni deditos esse* ([72]), quod vetustatem affectans Sallustius expressit ([73]). Sed ingenuam virtutis et laudum fiduciam illi viri singulis paene verbis prae se ferebant. Ut taceam Gracchi vehementiam et Crassi, qui huius aetatis non est, maturitatem, quam calamistris Maecenatis et Gallionis tinnitui praeferendam iure dicit Scriptor dialogi de oratoribus ([74]), iam Catonis reliquiae paulo ampliores a Gellio servatae arte quidem destituuntur, sed plena sunt generosi spiritus. Quare nec Gellius immodicus ceteroqui antiquitatis amator nec Cicero vituperandus, cum Catonem veteresque alios laudibus ferunt ([75]), a quibus elegantissimi vir iudicii Quintilianus ([76]) Ciceronem secutus multa oratoribus petenda existimat. Summam autem sententiarum et argumenti tractandi apud illos simplicitatem fuisse etiam illud ostendit, quod ante Hortensium nec partitiones quisquam neque collectiones noverat ([77]) nec aliud exordium oratores sumebant, quam ab deorum invocatione ([78]).

§. 13.
M. Cato.

Omissis igitur eis, qui praeter nomen nullam sui memoriam reliquerunt, ad M. Catonem pergimus, qui Romanorum primus stabilem eruditionis scriptorum et facundiae famam superstitem habuit. *M. Porcius Cato* in municipio Tusculo natus a. 520 mansit ad a. 605. L. Valerii Flacci adhortationem secutus cum se honorum gerendorum causa Romam contulisset a. 538, Q. Fabio Cunctatore tertium consule primam militiam fecit ad Capuam; eodem duce in Tarento capiendo affuit a. 545, post tribunus militum in Sicilia et in pugna Senensi a. 547 insignem rei publicae operam navavit ([79]). Quaestor P. Scipioni in Sicilia proconsulare imperium tenenti additus cum Fabio vetere patrono effecisse creditur, ut senatus legatos in Scipionem quaesituros in provinciam mitteret ([80]); sed ea res frustra fuit. Post aedilitatem plebeiam a. 555 gestam praetor anno sequente factus Sardiniam summa laude rexit ([81]); consul creatus a. 559, postquam, ne lex Oppia sumptuaria abrogaretur, summo studio dissuaserat ([82]), in Hispania multis hostibus caesis urbibus captis provinciam citeriorem composuit ([83]). Sed ne hunc quidem magistratum rerum bello gerendarum finem sibi esse voluit: profectus enim legatus M' Acilii consulis bello Antiochi in Graeciam plurimum ad regem ex Oeta monte depellendum contulit ([84]). His demum rebus gestis totus ei muneri vacavit, quod praecipuum sibi explendum sumpserat, ut inexorabili severitate mores peregrinos arcendo, male moratos aut turpitudine vitae insignes insectando, cuius rei in censura cum vetere collega L. Flacco gesta unicum exemplum edidit, civitatem in eo statu publice privatimque retineret, cui summa potentiae et dominationis incrementa debebantur. Aut accusavit aut certe criminibus petivit, cum ab aliis accusarentur, praeter ignobiliores quosdam Q. Minucium cos. 561 propter homines iniuste necatos et victorias fictas triumphumque eripuit ([85]); M' Acilium censurae competitorem ([86]), L. Scipio-

---

71) Cic. de Or. III. 41, 164. 72) VIII. 6, 15. Haec partim mendose, partim ex interpretamento sic refert Martianus Capella Rhett. p. 425. Capp.: *castratam Africam, mortuam rem publicam et Clodium stercus senatus.* 72) Cic. Divers. IX. 22. 73) Catil. 14. 74) c. 26. 75) Brut. 17, 65. 33, 126. 76) Qu. XII. 10, 45. 77) Cic. Brut. 88, 302. 78) Servius ad Virg. XI. 301. cf. Cic. Divin. Verr. 13. 43. cf. Niebuhr. Hist. R. vol. III p. 571.

79) Nep. Cat. 1. Cic. Cat. 4, 10. qui de quarto Fabii consulatu erravit, v. Liv. XXIII. 39. — Liv. XXVII. 46. 80) Plut. Cat. 3. cf. Liv. XXIX. 19. 81) Liv. XXXII. 8. 82) Liv. XXXIV. 1. 83) Liv. XXXIV. 9—21. cf. 46. 84) Liv. XXXVI. 15. 85) Gell. X. 3. XIII. 24. Liv. XXXVII. 46. 86) Liv. XXXVII. 57. Fest. v. *penatores.*

2*

nem Asiaticum ([87]), M. Fulvium Nobiliorem Aetolorum victorem ([88]), quibus omnibus peculatum aut vitae luxuriam obiecit; quin vel quo anno mortuus fertur, a. u. 605, cum Ser. Galba propter Lusitanos iniustissime interfectos vel in servitutem venditos a L. Libone tribuno in populi iudicium adductus esset, gravissima oratione legem suasit ([89]). In censura autem non modo L. Flamininum consularem, quem senatu movit, gravissimis criminibus ingestis insectatus est ([90]), sed L. quoque Veturio, cui equum ademit ([91]), et Ti. Neroni nescio cui ([92]) easdem morum notas inussit. Praeterea apud censores, qui quo anno fuerint ignoratur, in Lentulum quendam egit, apud populum in Cornelium nescio quem ([93]); memorantur etiam orationes in Sempronium Longum Annium ([94]) Lepidum Oppium Manilium Nasicam: quae num omnes censoriae fuerint ignoratur. Sed praecipuam operam Hispanis praestitit, quibus hoc propter res apud eos in consulatu gestas et famam severitatis partam maxime deberi putabat. Hi enim a provinciarum praesidibus saepe avare et crudeliter habiti modo ad arma, modo ad iudicia acti sunt. Praeter Galbae causam nobilissimam egit in P. Furium propter frumentum acerbe aestimatum, cui accusationi alia graviora crimina admixta fuisse ex Livio coniici licet ([95]); itaque damnatum hominem Praeneste exsulatum abisse constat ([96]). Iuncta huic fuit P. Matieni causa, qui ipse quoque damnatus est ([97]). Etiam L. Pisonem accusasse ex provincia

---

87) Liv. XXXVIII. 54. de qua causa rectius Meyero (fragm. Or. Lat. p. 50.) existimavit Westerm. l. c. p. 46. 88) Gell. V. 6. cf. Liv. XXXIX. 5. 89) Cic. Brut. 23. Muren. 28, 58. Suet. Galb. 3. ubi v. Casaub. Liv. epit. XLIX. Val. Max. VIII. 1, 2. Plut. Cat. 15. is quidem Livio, ut cetera pleraque, etiam haec accepta referre videtur. 90) Liv. XXXIX. 42 sqq. Cic. Cat. 12, 42. 91) Festus v. *stata sacrificia.* 92) Prisc. I. p. 244. Dubium est quis fuerit is Nero, v. Meyer. l. c. p. 68. 93) Festus v. *repulsior* Cornelianae testis, de Lentulo v. Gell. V. 13. 94) Festus v. *superescit*, et v. *quadrantal.* Fronto *de feriis.* Cic. de Or. II. 64, 260; quanquam incerta res de oratione. Plut. Cat. 17. 95) Liv. XLIII. 2. Charis. I. p. 98. 97) Liv. l. c.

Hispania videtur ([98]). Cum tam infenso animo homines malos aut rei publicae inutiles sit insectatus, mirum non est et ipsum crebris accusationibus esse petitum et plurimos inimicos habuisse: nec tamen unquam damnatus est. Commemorantur orationes *pro se contra C. Cassium* ([99]), qui num censor ille a. 600 fuerit ignoratur; *de suis virtutibus contra Thermum*, qui, cum triumpho destitutus et reus actus esset, ἀντικατηγορίᾳ Catonem petivisse videtur ([100]); *de sumpto suo*, qua sive de praetura sive de consulatu gesto rationem reddidit ([1]); etsi etiam de censura cogites, quia Cato acerbissime locandis vectigalibus in multorum offensionem incurrerat ([2]); *si se Caelius tribunus plebis appellasset* ([3]); *dierum dictarum de consulatu suo* ([4]), in qua omnium magistratuum gestorum capita recensuisse et defendisse videtur, quia commemorantur in reliquiis etiam quae censor egit ([5]). Sed suasit etiam dissuasitque leges vel morem publicum regendum vel rem privatam spectantes, quarum posteriorum Voconia ([6]) et Iunia ([7]) commemorantur, illarum nobilis est M. Fundanii et L. Valerii tribunorum rogatio, ut lex Oppia abrogaretur, quam rogationem gravi oratione dissuasit consul ([8]). Ex eodem genere sunt orationes *uti praeda in publicum referatur* ([9]), quae eadem videtur ac *de praeda militibus dividunda* ([10]); *uti basilica aedificetur*, quam censor coëmptis ad forum tabernis ipsè fecit ([11]); *de agna musta pascenda* ([12]): *de fundo oleario* ([13]); *de aedilibus vitio creatis* ([14]); *de lustri sui felicitate* ([15]); *ne legi Orchiae derogaretur* ([16]); *ne quis bis*

---

98) Priscian. I. p. 503. Weber. Comm. de Cat. p. 35. Hispaniae patrocinatum diserte testatur Cic. Div. Caec. 20, 66. 99) Gell. X. 14. 100) Plurimae sunt huius orationis reliquiae, v. Meyer. l. c. p. 111. 1) Fronto ep. ad Antonin. I. 2. 2) Liv. XXXIX. 44. 3) Festus v. *spatiatorem.* 4) Plurimas particulas collegit Meyerus p. 32 sqq. 5) Charis. p. 196. 6) v. Meyer. p. 98. dissensum Ciceronis et Livii iudicantem. 7) Fest. v. *prorsus.* Non. v. *pedato.* 8) Liv. XXXIV. 1. 9) Prisc. I. p. 355. 10) Gell. XI. 18. 11) Prisc. I. p. 417. 12) Prisc. I. p. 104. et 268. 13) Festus v. *pulchralibus.* 14) Gell. XIII. 17. 15) Eumen. Grat. Act. Constantino 13. 16) Apud Festum v. *percunctatum* scribendum *qua legem Orchiam suadet,* cum vulgo

consul fiat (17); dissuasio *de rege Attalo* et vectigalibus Asiae (18); *ne legi Baebiae derogaretur* (19); *de spoliis, ne figerentur nisi de hoste capta* (20); *ne imperium sit veteri, ubi novus venerit* (21); *ut plura aera equestria fierent*, quam rem in senatu suasit, sed non videtur vicisse, quia lex eiusmodi nunquam lata est (22); *de statuis* s. de signis et tabulis (23), qua oriens circa bellum Achaicum studium artificiorum ex provinciis deportandorum vituperasse videtur; *de habitu*, sive, quae eadem videtur, *de vestitu et vehiculis* (24). Omnium autem clarissima est oratio *pro scapulis* i. e. pro lege Porcia de tergo civium, de qua videndus Zumptius ad Verr. Accus. V. 63, 163. Sed studiose etiam aliorum causas egit, ut *pro Autronio* (25), *de bonis Dulciae* (26), *de re Floriae* (27), *de dote*, *de re A. Atilii* (28), *pro L. Caesetio* (29), orationum nomina et reliquiae exstent. Cum severitas morum eius plurimis odiosa esset et nobilitatis suae ipse auctor exstitisset, fieri non potuit, ut inter principes iam illa aetate regalem potentiam in civitate exercentes tantum valeret in senatu, quantum ingenio et studio indefesso poterat. Verum tamen causae imperii operam enixe navavit, cuius rei testi-

---

dissuadet legatur; et est haec eadem, quae *in legem Orchiam* i. e. de lege Orchia inscribitur apud Schol. Vat. ad Sestianam c. 76. Iniuria iudicarunt non nulli legis primum latae a. u. 573 tanquam iusto lenioris antiquandae auctorem Catonem exstitisse; mox ne eidem derogaretur studuisse: ostendunt Macrobii verba Sat. II. 13.

17) Festus v. *pavimenta punica.* 18) Festus v. *portisculus.* 19) Nonius v. *Largio.* Festus v. *rogat.* 20) Servius ad Virg. Aen. II. 244. Festus v. *resignare.* 21) Gell. XX. 2. 22) Prisc. vol. I. 317. 23) Festus v. *redemptitavere,* cf. Liv. XXXIX. 44. Secundum Plinium H. N. XXXIV. 6. colligas Catonem, ne indignis statuae ponerentur, prohibiturum fuisse: v. Meyer. p. 73. 24) Prisc. I. 243. Eam orationem dudum Catoni restitui, cum Caelii ferretur, quam emendationem post me alii fecerunt iterum. 25) Prisc. vol. I. 462. K. 26) Fronto ad M. Antoninum IV. 5. p. 102. 27) Gell. IX. 12. X. 13. al. Male *de re Floria*, aut etiam *Floriana* scribitur, hoc apud Cur. Fortunat. II. p. 81. Capp. *Res* est hereditas. 28) Gell. X. 23. Fest. v. *sontica.* 29) Festus v. *siremps.* Incerta est oratio p. L. Turio s. Furio contra Gellium, v. Meyer. p. 81.

monio sunt orationes *de Macedonia liberanda* (30), *pro Rhodiensibus*, cuius magna pars apud Gellium exstat (31), *de Ptolemaeo minore* (32), *de Achaeis* (33), *de bello Carthaginiensi* (34).

Sed quicquid illa aetate literarum Romanis innotuerat, id Cato indefatigabili studio arripuit. Huic enim Romanorum, si Ciceronem exceperis, fere uni contigit, ut, cum Graecarum literarum ad senectutem usque fuisset expers, tamen artes omnes tetigerit et quicquid tetigisset etiam ornaverit. Itaque Ser.· Galbae M. Antonio aliisque plurimis longe praestitit, qui propter aetatem longe faciliores ad literas accessus habentes tamen aut ignorabant eas aut dedita opera aspernabantur. Rerum enim ab Italicis populis, maxime Romanis, gestarum monumenta Originum libris collegit, quos iure principem locum in antiquiore Romanorum historia obtinuisse putant; de re militari perite scripsisse Vegetius (35) docet rerum militarium, quales tunc fuerint, notitiam sese ab eo sumpsisse testatus; oratoriam artem Romanorum primus aperuit nec fortasse M. Antonio, qui seculo post fuit, inferius (36); peritiam rei rusticae summam et antiquitas omnis ei tribuit et liber nunc adhuc confirmat; libellum de liberis educandis Festus multis locis commemorat; carmen de moribus, quod idem praeceptorum ad filium nomen et orationis

---

30) Post Persen regem victum, v. Liv. XLV. 17. Memoratur Spartiano in Hadriano 5. Prisc. vol. I. p. 108. K. 31) Gell. VII. 3. Bellum Rhodiis instabat, quod Persen tacite iuvissent; id dissuasit Cato et pervicit. 32) Gell. XVIII. 9. XX. 11. Prisc. vol. I. p. 108. K. Dicta oratio a. 591. Ptolemaeus Philometor a Romanis legatis in regnum restitutus fuerat, quorum erat vetus Catonis inimicus Thermus. 33) Exsulibus restituendis, Gell. II. 6. 34) a. 605 habita. Non. v. *calliscerunt*. Gell. IX. 14. et fortasse III. 14. item Solinus c. 30. 35) Veg. I. 8. cf. Plin. praef. H. N. Gell. VII. 4. 36) Quintil. III. 1, 19. Hinc fluxit definitio illa oratoris, ut sit vir bonus dicendi peritus, quam omnis aetas sequens consensu recepit: v. Quintilianum pluribus locis, Plinium de sua et Herennii Senecionis sententia epp. IV. 10., Curium Fortunatianum art. rhet. schol. I. p. 53 Capperonn., Isidor. Hisp. Origg. II. 3. 37) *Nonius* v. *assa voce*, p. 77. Merc. librum Varronis commemorat Catonis nomine dictum; hunc igitur iniuria quis hic antestaretur.

ad filium habuisse videtur, Gellius laudat ([38]); epistolarum multis locis Priscianus meminit, quas easdem epistolicarum quaestionum vocabulo significari puto apud eundem illum, quem modo antestati sumus, literatorem ([39]); denique ἀποφθέγματα claritudine multa fuerunt: quae non a Plutarcho modo afferuntur, sed Cicero libro de Oratore secundo varia inde iocorum exempla deprompsisse credendus est. Horum scriptorum omnium reliquias colligere non est huius loci: ut in orationum partibus servatis huic operae supersedere possimus, Meyeri diligentissima opera effectum est, a quo viro quibus rebus dissentiamus supra indicavimus.

Eximias Catonis virtutes nemo magnificentius quam Livius extulit ([40]). Conveniunt cum hoc Plinius ([41]), cum optimum senatorem oratorem imperatorem vocat, Nepos ([42]) Macrobius ([43]) Aurelius Victor ([44]). Sed de genere dicendi eius minus expeditum iudicium est. Cicero enim cum in Bruto tantis laudibus Catonem ornasset, ut, si non satis aptam compositionem et verba pro illa aetate minus elegantia exceperis, nulla virtus oratoria ei deesse videretur, dignumque haberet, quem cum politissimo oratore Lysia compararet ([45]): ut re in utramque partem disputata media quaedam sententia vera lectori videretur, Atticum contra illas laudes dicentem introducit et plurimas illarum partes suis argumentis infirmantem ([46]). Sed si haec et alia Ciceronis ([47]) Livii Quintiliani ([48]) testimonia colligimus, quae ei defuerunt seculo horridiori ascribemus, multa et egregia, quibus insignis fuit, summo ingenio studio indefesso accuratis, ut tempora erant,

38) Gell. XI. 2. Nonius p. 464. Merc. Serv. ad Virg. Georg. I. 46. 39) VII. 10. 40) XXXIX. 40. 41) Hist. Nat. VII. 27. 42) Nep. Cat. M. 3. 43) ad Somn. Scipion. II. 17. 44) c. 47. Huius quidem laus firmiore fundamento nititur, si verum est, quod magni viri Burghesius et Niebuhrius existimant, libellum illum ex titulis statuarum fluxisse, quos Augustus in foro suo clarissimis viris posuerat. 45) Cic. Brut. 17, 65 sqq. 46) Cic. Brut. 85, 293. 47) Cic. de Or. I. 37, 173. Nam III. 33, 135. de sola rerum peritia quamvis oratori necessaria agitur. 48) Liv. XXXIX. 40. Quintil. XII. 11, 23. 10, 10.

literis assecutum fatebimur. Concedemus Quintiliano ([49]) veterum imitatores omnium, si nihil aliud habeant, quod aemulentur, ieiunos et horridos fore. Verba plurima obsoleta ignobilia praeter necessitatem iterata vel otiosa videmus, compositionis et numerorum curam nullam (haec enim post reperta sunt), etiam alios in arte defectus aut lapsus: velut assiduam partitionem, quae in Cicerone rara sit aut tecta ([50]) Sulpicius Victor vituperavit, exordia unius formae, quippe a deorum invocatione coepta vetus interpres Verrinarum ([51]) et Servius ([52]); sed summam rei publicae peritiam, acutissimum iudicium consiliorum capiendorum, egregiam verborum perspicuitatem, magnam vim docendi, summam vehementiam in movendis auditoribus ei tribuere non dubitamus. De vehementia nobiscum Gellius sentit praeferendas eius miserationes Gracchanis iudicans, quas ipsas Cicero summis laudibus extulit ([53]).

§. 14.

P. Scipio Africanus Minor.

P. Scipionis maioris filius, qui minorem Scipionem a Paulo adoptavit, si corpore valuisset, inprimis habitus esset eloquens, quod iudicium Cicero cum ex oratiunculis, tum ex historia Graeca dulcissime scripta confirmat ([54]). *Sex. Aelius Catus* consul a. 556 iuris peritior fuit, quam eloquentior. *C. Sulpicius Gallus* consul a. 588 cum sum-

49) II. 5, 21. Sed Sallustius antiquarius Catonem disertissimum Romanorum vocavit, fr. Hist. p. 2. ed. Haverk. cf. Mar. Victor. expos. in Cic. Rhett. I. p. 149. Capper. 50) Instit. Rhett. p. 266. Capper. 51) ad Div. Caec. 20. 52) Ad Aen. XI. 301. Hoc significat Symmachus epp. III. 44. haec scribens: *Iovem Deosque ceteros Catonis lege praefabimur, si nobis scribenda sit oratio forensis.* 53) Gell. XIII. 24. cf. Cic. de Or. III. 56, 214. Ascribere lubet Frontonis iudicium, qui, cum in Princip. Hist. 9. p. 256. ed. Buttm. oppidatim statuis ornandum dixisset qui primus Latini nominis subolem et Italicas origines illustrarit, in laudd. Fum. et Pulv. p. 250. dicendi eius genus dulce et pudicum et Ionicum vocat cum Herodoto Catonem componens. 54) Cic. Brut. 20, 77. cf. Vellei. I. 10, 3.

mam literarum Graecarum sibi parasset cognitionem, etiam eloquens habitus est et reliquis rebus ornatus et elegans ([55]). Eodem tempore *Ti. Sempronius P. F. Gracchus* vixit, qui, cum P. Africano adversus obtrectatores quamvis inimicus opem tulisset, Corneliam eius filiam in matrimonium accepit. Is cum iustitia sua praetor Hispaniam pacasset, consulatum gessit a. 577; post censor optime de re publica meruit libertinos omnes in unam Esquilinam tribum coniiciendo. Hunc gravem et eloquentem Cicero in Bruto iudicat, quippe eloquendi artem et plurimos et antiquissimos Romae cultores reperisse ostensurus; nam alio loco verius existimans haudquaquam eloquentem dicit ([56]). Graecam huius viri orationem apud Rhodios habitam Cicero affert ([57]); sed Livius legit etiam illam, quam in causa Scipionis maioris habuit ([58]).

Sequuntur viri haud paulo maiores et non tam rebus gestis quam vitae necessitudine et consortio ita coniuncti, ut a veteribus semper una nominari soleant, *P. Africanus* minor et *C. Laelius*. P. Africanus filius erat L. Aemilii L. F. Pauli eius, qui Persen regem ad Pydnam vicit a. 586. Adoptatus est a maioris Africani filio, ne stirps huius interiret, unde agnomen more Romano Aemiliani traxit, quo tamen perraro nec, nisi ut a maiore Africano distinguatur, appellari solet: indita enim sunt clariora ex rebus gestis agnomina Africani et Numantini. Natus erat a. u. 569: mortuus est enim annum quinquagesimum sextum agens a. 625. Aedilitatem curulem petiturus erat in a. 607, cum legibus solutus et consul creatus est, quia huic soli Carthaginiensis belli molem committendam Romani putabant. Iterum consulatus mandatus nec opinato, ut alterum Romanorum terriculamentum Numantiam duobus exercitibus circumventis et ad foedus faciendum coactis formidolosum tolleret a. 620. Inter duos illos consulatus media intercedit censura cum L. Mummio Achaico parum concors a. 612 ([59]). Cum Gracchanae factioni con-

55) Cic. l. c. 56) l. c. §. 79. quo loco temperandam laudem docebit comparatus alter de Or. I. 9, 38. 57) Cic. Brut. 20, 79. 58) Liv. XXXVIIII. 56, 10. 59) Cic. de Or. II. 66, 268. Festus p. 235. ed. Lindem. Cur lustrum illud infelix dicatur non constat.

stanter adversatus magnam sibi conflavisset popularium invidiam essetque fama dictatorem componendae rei publicae dictum iri, mane in lectulo mortuus est inventus, ut apparerent quaedam faucium elisarum notae ([60]). Nec habita de tanti viri morte quaestio est ([61]), quippe metuente senatu popularis factionis potentiam et minas; sed mansit fama necis culpam ad Semproniam uxorem vel ad Q. Fulvium Flaccum vel ad C. Papirium Carbonem homines seditiosos referens.

Nemo unquam illustriore laudis praeconio elatus est, quam Scipio Q. Metelli Macedonici ore: qui cum vivo simultatem exercuit acerrime, sed filios tamen ad videndas exsequias adhortatus est, quod talem civem nunquam posthac visuri essent ([62]). De ingenio et literis Scipionis non minus constans fama fuit, quam de rebus eius gestis. Consentiebant enim pace belloque maximum rei publicae prudentissimum praesidem literarum optimarum amatorem oratorem minime spernendum fuisse. Audiverat enim adolescens cum Laelio philosophos Atheniensium legatos; Polybium historicum domo exceptum amicum habuit, Panaetium Stoicum etiam ad bellum gerendum urbe profectus secum duxit ([63]); quin elegantissimi ingenii et summae urbanitatis fabulae Terentianae ad illum et Laelium auctores vel certe adiutores relatae sunt ([64]). Acriori Africanus quam Laelius amicus ingenio

60) Vell. II. 4. 61) Vell. l. c. cf. Cic. Mil. 7, 21. de Or. II. 40, 170. Divers. IX. 21. Q. Fr. II. 3. Schol. Vat. ad Mil. l. c. 62) Vell. l. c. cf. Cic. Offic. I. 25, 87. 63) Cic. de Or. II. 37, 154. Plutarch. apophth. reg. et imp. p. 153. Hutten. Hinc *Rhodio magistro usus* dicitur Scipio Sulpiciae poëtriae v. 48. cf. Burm. ad h. l. et Symmach. epp. I. 22. 64) Famam a Memmio Ciceronis aequali et Valgio profectam Suetonius vit. Terent. c. 2. a Santra refutatam narrat: nimis enim adolescentem fuisse Scipionem, qui, cum Terentius obiit, annos viginti octo habuerit. Sic et nos existimamus. Nam quod in prologo Adelphorum quatuor annis ante actorum ea fama ab ipso Terentio commemoratur tantum abest ut rem argumento firmet, quod Westermanno p. 73. visum, ut plane contrarium verum sit: non enim adiuvari sese a viris principibus laudi sibi ducit Terentius, sed famam eius rei, quippe familiaritatis indicium.

erat; quam ob rem et optimatium adversus Ti. Gracchum affinem gravissimus patronus exstitit, ut ne adversa quidem populi acclamatione ab insectandis popularibus deterreretur ([65]), et cum plurimis hominibus simultates exercuit, quorum praeter Metellum commemorantur Q. Pompeius ([66]) L. Mummius L. Aurelius Cotta consul a. 610, quem accusavit Metello defendente ([67]), et Ti. Claudius Asellus homo vita nequam et turpis ([68]). Sed ingenii cultu et morum iucunditate ita pares fuerunt Scipio et Laelius, ut neutri priores vindicari possent: maiorem tamen de Laelio fuisse sapientiae famam Cicero narrat ([69]). Cuius rei causam non hinc cum Cicerone repeto, quod non uni omnia tribuere voluerint homines, sed quod Scipio longinqua militia et clarissimis bellis patrandis rei publicae domi gerendae non tantam, quantam Laelius, tribuere operam potuerit. Hoc quadamtenus confirmat Ciceronis narratio ([70]): in amicitia eorum quasi quoddam ius inter eos fuisse, ut militiae propter eximiam belli gloriam Africanum ut deum coleret Laelius, domi vicissim Laelium, quod aetate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio. Quin Scipionem a Laelio in orationibus adiuvari opinio hominum erat paulo invidiosior, nec ea tamen amicitiae eorum offecit ([71]).

Oratoriam laudem Scipionis habet Cicero locis plurimis, ita quidem, ut de Laelio maior quidem fama hominum fuerit, orationes autem Africani minus quam Laelii redolere antiquitatem dicantur ([72]). Cum exiguae hodie utriusque reliquiae exstent, non satis iudicari de eorum virtutibus licet. Tamen praeter elocutionem puram et Latinam, quae erat aetatis illius laus ([73]), sine dubio magis summarum rerum prudentia, quam arte excelluerunt. Gravitatem Scipioni, lenitatem Laelio tribuit Cicero ([74]) magis hominum ingenia,

65) Vell. II. 4. 66) Cic. Lael. 21, 77. Huic Scipio propter consulatum Laelio ereptum irascebatur. 67) Cic. Brut. 21, 81. 68) v. mox et not. 78. 69) Cic. Brut. 21, 84. 70) Cic. Republ. I. 12. 71) Cic. Philipp. II. 14. Plut. *An Seni sit ger. resp.* p. 135. et *praec. polit.* p. 156. Hutt. 72) Brut. 21, 83. 73) §. 12. 74) Brut. l. c.

quam orationum habitum secutus; idemque aequalibus omnibus magis eximia doctrina et rei publicae peritia, quam cultu eloquentiae praestitisse significat ([75]). Hoc firmatur eiusdem de εἰρωνείᾳ Scipionis testimonio ([76]). Quintilianus et scriptor suavissimi dialogi de oratoribus vetustate horridis, sed magnam ingenii vim prae se ferentibus annumerant ([77]). Actionem utriusque paulo intentiorem, sed gravem fuisse nec sine intermissione vehementem, qualis erat Ser. Galbae, Cicero testatur ([78]). Orationum Scipionis diutius mansit memoria, quam Laelii. Et earum quidem, quarum tempus constat, gravissima censoria illa est, qua ad maiorum mores populum hortabatur: huius duae particulae exstant ([79]). Annexae sunt orationes *pro se contra Ti. Asellum de multa ad populum*. Asellus enim, quod propter vitae turpitudinem equus ei ademptus erat, tribunus Scipionem apud populum reum fecit. Quinque orationes in ea causa a Scipione habitae ([80]), quarum Gellius duas particulas servavit ([81]), duas Cicero ([82]). In censura etiam P. Sulpicio Gallo homini delicato vitam probrosam oratione obiecit, cuius locus quidam apud eundem Gellium legitur ([83]). Deinde orationis *de imperio D. Bruti Callaeci*, consulis a. 615 memoria exstat apud Festum ([84]), et apud eundem alius cuiusdam, quae inscribebatur *pro aede Castoris:* quam ipsam quoque in censura habitam veri simile ([85]). Erat enim censorum aedificandas reficiendasve aedes locare; cuius modi rem aut

75) Vell. I. 17. cf. Cic. de Or. I. 13, 58. 76) de Or. II. 67, 270. Brut. 87, 299. 77) Quintil. XII. 10, 10. dial. de Or. 25. 78) Brut. 22, 86. 79) Gell. N. A. IV. 20. V. 19. Cf. Valer. Max. VI. 4, 2. Festus v. *millus.* 80) Gell. N. Att. II. 20. is quintam in ea causa habitam commemorat. Tam nobilis fuit illa inimicitia, ut exemplo theseos rhetoricae sit apud Augustinum praec. rh. p. 226. Capperonn. Non est veri similis altera Pighii sententia p. 489. ad a. u. 614. Asellum ab Africano censore accusatum: sic enim tot orationibus opus non erat. Particula apud Gellium servata docet sponsione Africanum usum *si melior vir esset Asellus.* 81) Gell. VII. 11. 82) de Or. II. 58, 258. 66, 268. 83) Gell. VII. 12. 84) v. *potestur.* 85) v. *reque eapse.*

oratione commendasse aut adversus inimicorum obtrectationes defendisse Scipio videri potest. His omnibus antiquior est contio *postquam ex Africa rediit;* habita enim a. 608 ([86]). Sed post censuram et consulatum alterum habita oratio est *contra legem agrariam Ti. Gracchi*, quippe a. 625 ([87]). Postrema omnium est *dissuasio legis Papiriae* de tribunis reficiendis, eodem, quo superior, anno habita. Etsi ea res admodum popularis videbatur, ut populo tribunum quoties vellet reficere liceret, tamen Africani et Laelii in dissuasione sociorum auctoritas effecit, ne perferretur ([88]). Cuius orationis nihil relictum est praeter responsum Carboni datum Ti. Gracchum iure caesum videri: cui responso cum esset acclamatum, longe etiam fortius respondit, ut refert Velleius ([88]). Sed praeterea pars nulla huius orationis exstat, etsi Ciceronis aetate lectam esse locus eius in Laelio videtur probare ([89]). Nec *accusationis L. Cottae* quicquam relictum est; sed duas particulas incertarum orationum Isidorus Hispalensis retinuit simplici candore eximia ([90]).

§. 15.
C. Laelius Sapiens.

C. Laelius filius eius C. Laelii fuit, quem Scipio Maior in rebus Hispaniae bello componendis praecipuum adiutorem habuit. Is enim cum consul fuerit a. 565, ille, de quo nos tractamus, natus videatur a. 567 vel 568: aetas certe

86) Festus v. *quatenus*. 87) Sic scribendum apud Macrobium Saturn. II. 10., quo loco vulgo legitur *iudiciariam*, qualem nunquam Ti. Gracchus tulit. Recte hoc Meyerus olim p. 105.: nunc enim in alia omnia abiit p. 191. sed male olim *C. Gracchi* scripsit: is enim anno demum 632 tribunus fuit nec leges, cum non esset in magistratu, ferre potuit. Est vero Ti. Gracchi vetus illa, quam senatus tollere non erat ausus, sed difficultatibus obiiciendis elusit. Manebant autem triumviri agris dandis lege Ti. Gracchi, quorum Gaius frater erat; id recte notavit Schol. Vat. ad Cic. Mil. 7, 2. 88) Vell. II. 4. Tamen incertum est an forte ea res ad legem Carbonis tabellariam ad aliamve quandam pertineat. 89) Lael. 25, 96. 90) Origg. II. 21. In altero corrige *ingratiis*.

utriusque non obstat; accedit disertum Ciceronis testimonium ([91]), quo dubitationes Glandorpii aliorumque tolluntur ([92]). Hic patris cum maiore Africano amicitiam discordi cum L. Scipione Asiatico consulatu discussam cum illius nepote ita videtur repetivisse, ut, quanto aetas eius cultu politiore profecisset, tanto virorum familiaritas posteris esset illustrior. Laelius plebeiam aedilitatem, cuius magistratus primi certa memoria exstat, eodem anno gessit, quo Africanus curulem petiturus ad consulatum evectus est, a. 607. Qua de causa reliquorum magistratuum consortium cum Africano habere non potuit. Ne illud quidem satis constat quando tribunatum Laelius gesserit: nam quod tribunum Pighius ponit a. 603 ea de causa probari non potest, quod curulem aedilitatem ex tribunatu plurimi petierunt, sed plebeia aedilitas semper habita est infra dignitatem tribuniciam. Sed memorabilis tribunatus est propter honorificentissimum Sapientis cognomen Laelio inditum, cuius rei causam Plutarchus aperit ([93]). Instituerat enim, ut plebi inopi opitularetur, legem agrariam ferre: sed cum optimates vehementissime obniterentur, rempublicam gravius turbatum iri praevidens abiecit. Praetor a. 608 sane popularem de sacerdotibus non a collegio cooptandis, sed a populo creandis legem Liciniam dissuasit tenuitque, ut antiquaretur: ita vetustissimus cooptandi mos multis demum annis post lege Domitia sublatus est. Haec est clarissima illa *de collegiis* oratio ([94]), qua Laelio fama illa de auguralis disciplinae eximia cognitione maxima parta est ([95]). Ex praetura Laelius Hispaniam ulteriorem provinciam sortitus quamvis in minore materia sese Scipionis gestorum non indignum aemulatorem ostendit; fregit enim Viriathum Lusitanorum ducem, ut succedentibus bellum facile ad conficiendum relinqueret ([96]). Cum consulatum peteret,

91) Cic. Phil. XI. 7. 92) Gland. Onom. p. 515. 93) Plut. Tib. Gracch. 8. Non pugnat, sed confirmat recte intellectus Cic. Fin. II. 8, 24. Hinc *doctum* per ὑπαλλαγὴν vocat Quintil. VIII. 6, 38., quod non intelligebat Spaldingius. 94) Cic. N. D. III. 2, 5. Brut. 21, 83. 95) Cic. Phil. II. 33, 83. 96) Cic. Off. II. 11, 40.

a Q. Pompeio, quocum veterem familiaritatem habuerat, deceptus repulsam tulit magistratumque anno demum sequente gessit (a. 614). Pompeius enim, cum familiarem suum in petendo se adiuturum pollicitus esset, pro se ipse prensavit suffragiisque civium perfide captatis illi praelatus est. De Laelii morte nihil apud scriptores commemorari memini.

Laelius Scipionem amicum praestantia morum et literarum amore aequabat, ingenio mitiore erat, fama sapientiae inter aequales praestabat. Hinc illi gravitas, huic lenitas a Cicerone tribuitur (97). Sed neque causarum, quas egerit, praeter paucas, memoria et reliquiae supersunt, et in fama quamvis maiore Laelii orationes tamen horridiores quam Scipionis videri ipse Cicero pronuntiavit (98). Orationem *pro se* a Carbone et Gracchanis ceteris postulatus aut in suspicionem populi adductus habuisse videtur (99). Orationis *de collegiis* duo verba Nonius servavit; locum longiorem, sed non ipsis Laelii verbis Macrobius (200). Deinde publicanorum causam homicidii bis egit a. 616; quam cum gravius acriusque a Ser. Galba dici posse videret, ipse summa usus modestia publicanis, ut illum sibi patronum sumerent, suasisse narratur (1); nihil ex ea exstat. Post a. 623 cum Africano *legem Papiriam* de reficiendis tribunis dissuasit, cuius dissuasionis rursus praeter memoriam nihil relictum est (2). Denique *laudationes P. Africani* mortui duas scripsit; alteram, qua Q. Tubero sororis filius (3), alteram, qua frater Q. Maximus Aemilianus uteretur; huius particulae quaedam servatae sunt (4).

§. 16.
Ser. Galba.

Hos viros paucis annis antecedebat Ser. Sulpicius Galba; natum enim circa a. u. 565 consulatus tempora consideranti

97) Cic. de Or. III. 7, 28. 98) Cic. Brut. 21, 83. 99) Verba apud Festum v. *satura* Sallustii sunt Iug. 29.; excidisse Laelii videntur. Aliam particulam v. Fest. v. *obsidium*. 200) Non. v. *Samium*. Macrob. Sat. I. 6. 1) Cic. Brut. 22, 85. 2) Cic. Lael. 25, 96. 3) Cic. de Or. II. 84, 341. 4) Cic. Mur. 36, 75. Schol. Vat. ad Mil. 7, 2.

veri simile videbitur. De prioribus honoribus ab eo gestis, si praeturam excipias, non constat: coniectura tamen probabilis videtur hunc esse illum Ser. Galbam, qui tribunus militum seditiose contionando viro eximio L. Paulo triumphum de rege Perse ereptum ibat. Ea res enim incidit in a. 587, ut aetati Galbae conveniat, nec de nihilo Livius (5) apposuisse videtur testimonium de eloquentia turbulenti hominis M. Servilii adversarii ore prolatum: ingenii denique et morum maxima videtur similitudo. Praeturam gesserat a. 603, quo tribunus plebis Laelius erat. Ex magistratu Lusitaniam provinciam sortitus clade accepta maxima Lusitanos nihilo minus summa animi generositate pacem offerentes turpiter decepit; per simulationem enim datae fidei exercitum inermi multitudini circumdedit, novem millia (alii triginta millia dicunt) trucidavit, ceteros captos sub hasta vendidit. Veri simile est triginta millia fuisse dediticios omnes: quem utrumque numerum confusum aut errore scriptorum aut lubidine rem in maius augendi puto. Hinc maxima invidia conflata L. Scribonius Libo tribunus legem tulit, uti Lusitani, qui in Galliam venum dati essent, in libertatem restituerentur. Quam rogationem aut cum accusatione Galbae coniunctam fuisse aut a M. Catone, qui eam acerrime suasit, in accusationem conversam esse oportet (6). Huic et Q. Fulvius Nobilior cos. a. 601 saepe in senatu a Catone probris laceratus et ipse Galba respondit; qui quo modo se ei flammae eripuerit Cicero in Bruto exposuit (7). Tres Galbae in hac causa erant orationes; duae adversus Libonem tribunum rogationemque eius (8), una adversus M. Cornelium Cethegum, qua Lusitanos a se circumventos, quod sibi insidias struerent, fatebatur (9). Tamen aliquot annis post consulatum est adeptus a. 610. Quando decesserit non est compertum; non

5) Liv. XLV. 37, 3. 6) Liv. epit. XLIX. Cic. Brut. 22. 7) Liv. l. c. Cic. l. c. Appianus autem Hisp. c. 60. propter pecuniam absolutum dicit. 8) Liv. l. c. 9) Cicero ambigit Galbae causa num in L. Marcium M' Manilium (a. 605) an in T. Quinctium M' Acilium consules (a. 604) incidat; ut ne praetorius quidem Galbae annus certus sit.

vidit tamen M' Aquilium C. Tuditanum consules, quibus colloquium de Re publica habitum fingitur ([10]). Is est annus ab urbe 625.

Praeter orationes *de rogatione Scribonia* memoria aliarum non exstat, nisi defensionis publicanorum de caede in silva Sila facta ([11]). Sed ne verbum quidem eius viri, qui aequalium disertissimus habitus est, retentum esse minus mirabimur, cum orationes eius iam Ciceronis aetate paene evanuisse sciamus ([12]). Erat enim Galba sine dubio summo ingenio, sed sola natura fretus cum neque literis ingenium excoluisset ([13]) neque sententiarum pondera potius quam verborum cursum et flumen consectaretur, orationes auditae propter gratiam oris et actionis placebant, lectae animos neque delectabant neque movebant ([14]). Quod idem viro haud paulo cultiori accidit Ciceronis aequali Q. Hortensio. Tamen adolescens tres illos philosophos Atheniensium legatos audisse dicitur et certe Romanorum primus dixit artificiosius, ut egrederetur a proposito, ut rem augendo minuendove illustriorem redderet, ut iudices delectare et movere vellet ([15]). Plurimum tamen tribuebat vehementiae actionis; quae est asperitas in dicendo, quam Tullius ei tribuit ([16]), quod alio loco explicatius dicitur clamore et lateribus pugnare ([17]). Aper in dialogo, quem Taciti ferunt, tanquam ultima antiquitate horridum abiicit prorsus; mitius Maternus deesse aliquid eius laudibus, quae est λιτότης, fatetur ([18]).

§. 17.

M. Lepidus Porcina et oratores alii minus illustres.

M. Aemilius Lepidus Porcina agnomine alias in ea familia insolito natus videtur anno fere 574, ut paucis annis

10) Cic. Rp. III. 30. 11) Cic. Brut. 22. 12) Cic. Brut. 21, 82. 13) Westermannus p. 76. hoc verum esse negat; solam enim iuris peritiam Galbae non concedi a Cicerone de Or. I. 10, 40. Sed qui ignarus legum et haesitans in maiorum institutis dicitur, is profecto nec literis cultus erat et plura ignorabat, quam ius. 14) Cic. Brut. 24. 15) Cic. Brut. 21, 82. 16) Cic. de Or. III. 7, 28. 17) de Or. I. 60, 255. 18) c. 18. et 25.

Scipione Africano fuerit inferior. De eius honoribus, si consulatum exceperis, quem C. Hostilio Mancino collega gessit a. 617, non constat. Post hunc magistratum Hispaniam imperio prorogato per duos annos pro consule rexit, etsi ipse quoque ab Hispanis cladem accepit ([19]); qua de re Appianus multam ei irrogatam dicit ([20]). Rerum post ab eo gestarum nulla memoria relicta est, nisi quod primus Romanorum cultius et ad luxum proclive vitae genus secutus fertur. Adesse enim eum censores iusserunt sive ob domum HS. sex millibus conductam, ut Velleius, sive ob villam elegantius structam, ut Valerius Maximus narrat. Et hic quidem L. Cassio auctore multam Aemilio a populo irrogatam affirmat ([21]). In quo errasse videtur: fieri enim hoc nisi per tribunum non potuit. Cassius autem sine dubio ille est, qui cum L. Cinna consulatum gessit a. 627, severitatis Cassianae proverbio tritae auctor; quem aliquot annis post censorem fuisse suspicamur. Orationum Aemilii unius mentio fit, *uti lex Aemilia abrogaretur* ([22]): quae num Aemilia sit anni 321 de censura annua et semestri, an una ex Scauri legibus a. 640 latis incertum est. Vivere enim et in foro dicere ad eum annum usque M. Porcina sane potuit. Hic etsi non cultior literis quam Galba fuisse putandus est ([23]), insigni tamen laude ornatur a Cicerone ([24]). Dicitur enim in illo primo Romanorum apparuisse lenitas Graecorum, ut verborum asperitas cultiori elocutioni cessisse videatur, deinde verborum comprehensio s. artificium periodi struendae et artifex stilus. Igitur ad eius exemplum se finxerunt C. Gracchus et C. Carbo. Rhetor, qui ad Herennium scripsit, Porcinam cum Scipione Galba Crasso aliis in exemplis eloquentiae ponit ([25]).

Huic brevibus adiungimus aetate aut paulo maiores aut suppares, sed a principatu facundiae remotiores *Q. Metellum*

19) Liv. epit. LVI. 20) App. Hisp. 83. 21) Vell. II. 10. Val. Max. VIII. 7, 1. Cf. Meyer. p. 195. 22) Priscian. IX. p. 863. P. p. 456. K. Sed contra legem Cassiam tabellariam a Porcina dictum esse non efficitur ex loco Cic. Brut. 25, 97., etsi vult Meyerus p. 194. 23) Cic. de Or. I. 10, 40. 24) Brut. 25, 95. 25) Ser. Herenn. IV. 5.

Macedonicum cos. a. 611, quem scimus L. Cottam defendisse adversus Africani accusationem, dixisse contra legem agrariam Ti. Gracchi, quae oratio in C. Fannii annalibus exposita erat (26), denique in censura populum ad prolem augendam adhortatum esse (27); dein *L. Aurelium Cottam* cos. a. 610, quem veteratorem Cicero dicit (28), minime bona fama fuisse Scipionis dictum de eo in Hispaniam mittendo ostendit; *P. Licinium Crassum Mucianum*, qui cum fratre P. Scaevola iuris prudentiae illa aetate praefuit (29), consul a. 623 bello contra Aristonicum in Asia gesto periit. Sequuntur *M. Porcius Cato* Censorii nepos, a Cicerone in Bruto non commemoratus, cuius tamen orationum particulae exstant: is consul in Africa mortuus est a. 636 (30); *C. Fannius* M. F. C. Laelii gener, praetor a. 617, in historia scribenda non infans (31); *L.* et *Sp. Mummii* fratres, quorum ille consul Achaeos vicit a. 608, hic Stoicorum doctrina cultior (32); *L. Furius Philus*, qui perbene latine loqui putabatur et literatius, quam ceteri (33).

§. 18.
Ti. Gracchus.

Gens Sempronia cum patricia fuit Atratinorum cognomine, tum longe nobilior plebeia Longorum Tuditanorum Gracchorum imaginibus illustris (34). Patrem Ti. et C. Gracchorum Ti. Sempronium P. F. et rebus in Hispania gestis et consulatibus duobus censuraque insignem fuisse olim diximus. Filii ex Cornelia magni Scipionis filia nati aliam viam insistentes, etsi non inanem popularium virorum gloriolam,

26) Cic. Brut. 21, 81. 27) Liv. epit. LIX. Ibi Augustus ea oratione recitanda usus in simili causa dicitur; sed Suetonius Aug. 89. Metelli nomen solum habet, ut incertum sit ususne sit Numidici oratione paris argumenti, cuius locus exstat apud Gellium I. 6. 28) Brut. 21, 82. 29) Brut. 26, 98. Laudem eius egregiam Asellionis ore Gellius habet I. 13. 30) Gell. XIII. 19. Verba ex oratione *ne lex sua abrogetur* Prisc. III. p. 110. K. Fest. v. *magnificius*. 31) Cic. Brut. 26, 101. 32) Brut. 25, 94. 33) Brut. 28, 108. 34) Gracchus Aequis praenomen, v. Liv. III. 25.

sed solidam publicae salutis restituendae laudem affectarunt, alter minus prudenter, iracundius alter in procellam ruentis rei publicae praecipites dati interierunt. Post eos rara Gracchorum mentio; videntur enim, etsi unus eius gentis Tiberii aequalis Tacito memoratur (35), consensu nobilitatis a petendis honoribus prohibiti fuisse. *Tiberius Gracchus*, cum quaesturam Hispaniensem gesserit a. 617, circa annum 586 natus fuerit necesse est. Is, cum ex duodecim Corneliae partibus cum fratre unus reliquus fuisset, praematura patris morte orbus in gremio matrio educatus est et ingenium praeclarum magistrorum praestantissimorum ope excultum habuit: quorum fuit Diophanes Mytilenaeus rhetor ea aetate laudatus (36). Post cum propter foedus Numantinum publice sublatum iratus ad rem publicam gerendam accessisset, tribunus a. 621 tamen plebis infelicissimae misertus id egit, ut homines otiosi et cum in summa inopia viventes, tum ex largitionibus vitam sustentantes agris acceptis boni cives fierent. Cui consilio cum obstaret collega M. Octavius, legem Liciniam de agro publico possidendo instauravit. Quam cum perferre non posset, collegae magistratum abrogavit, cum spreta sacrosancta tribunatus religione ipse codicem rogationis legisset, ne fieret intercessio. Addidit leges civitatem evertentes de coloniis deducendis, opibus Attali regis plebi dividendis, equitibus in senatum recipiendis, et sociis civitatem est pollicitus. Sic inimicorum et adversariorum pertinacia ad desperationem actus, cum perferendis legibus suis tribunus iterum creari vellet, seditione ab optimatibus excitata duce P. Scipione Serapione occisus est. De oratoria huius viri facultate veri similiter iudicat Plutarchus suavem fuisse et miserationis plenam eius orationem verbis puris et accurate elimatis insignem (37); quae laus a Ciceronis sententia (38) non aliena videtur. Nam si duros Gracchorum imitatores fore Quintilianus indicavit (39), recte dixit, si solos imitentur. Famae

35) Ann. I. 53. IV. 16. 36) Cic. Brut. 27, 103. 58, 211. Quintil. I. 1, 6. Plut. Tib. Graccho c. 8. 37) Plut. l. c. 38) Cic. Brut. 27, 104. 39) Quint. II. 5, 21.

autem Tiberii maior ingenio frater ita obstitit, ut neque reliquiae orationum neque ullius praeter contionem *in Mancinum* ([40]) memoria exstet. Sed manus utriusque Gracchi ad Plinii Maioris aetatem durarunt, etsi ipse magnus librorum conquisitor eas non habuit, sed vidit apud poëtam Pomponium Secundum ([41]). Quanquam ante Gellii aetatem interisse Tiberii orationes putandae sunt; nam apud hunc summum antiquitatis sectatorem plurima Gaii, nulla Tiberii Gracchi mentio reperitur.

§. 19.
C. Carbo.

Huic aetate suppar fuit *C. Papirius C. F. Carbo*, patre praetorio nobilitatis auctore, si quidem Pighii coniectura vera est hunc esse illum, quem apud Livium commemorari videmus a. 586; nec sane aetas obstat ([42]). De Carbonum gente primarium testimonium exstat apud Ciceronem in epistolis ad Diversos IX. 21: qui locus etsi non omnibus partibus dubitationi exemptus est, tamen eius ope veri similem de Carbonum stirpe coniecturam promere licet. Haec talis est.

C. Papirius Carbo, praetor a. 586.

C. Carbo C. F., cos. a. 634.	Cn. Carbo C. F., cos. a. 641, a M. Antonio accusatus.	M. Carbo C. F.

C. Carbo C. F., cos. a. 634:

- C. Carbo Arvina C. F. C. N., trib. pl. a. 664, praetor a. 669, a Damasippo occisus a. 671: solus Carbonum civis e re publica; Cic. l. c.

Cn. Carbo C. F., cos. a. 641, a M. Antonio accusatus:

Cn. Carbo Cn. F. C. N., ter consul.	C. Carbo Cn. F. C. N., a militibus occisus Val. Max. IX. 7, 3.	Frater scurra. Cic l. c.

Papirios Carbones plebeios a patriciis, Mugillanis illis et Cursoribus et Crassis in re publica gerenda dissedisse non est mirum, quanquam patricii, si superstes eorum familia erat, propter honores intermissos dudum ad ignobilitatem delapsi erant. Nemo enim Papiriorum patriciorum summum Romae magistratum gessit post L. Papirium L. F. Cursorem a. u. 482.

40) Martianus Capella p. 147. Grot. Mancinus ipse ut pax sua improbaretur suaserat: impugnasse Gracchus id consilium videtur. 41) Plin. H. N. XIII. 12. 42) Liv. XLIV. 17.

Quaestor C. Carbo a. 618 tribunus plebis fuit a. 623, in quo magistratu legem tabellariam tertiam pertulit, ut leges tabellis iuberentur et antiquarentur ([43]); seditiosus Ciceroni dictus, quod Ti. Gracchi memoria cum gravi nobilium insectatione deplorata tumultuandi cupidos in rem publicam concitare videretur ([44]). Alteram legem, ut populo eosdem tribunos quoties vellet reficere liceret, dissuadentibus P. Africano et C. Laelio non pertulit; quae res maxime effecta videtur vulgi existimatione de Carbonis mala fide et nota nequitia ([45]). Post praeturam cum ad contrarias partes sese tacite applicasset, consulatum gessit a. 634 magna, puto, nobilium sollicitudine: erat enim annus post C. Gracchum occisum. Ille autem causam optimatium ambitiose amplexus in summa invidia defendit L. Opimium consularem C. Gracchi interfectorem et pervicit, ut absolveretur ([46]). Sed ne reditus quidem ad bonos, quem Cicero dicit ([47]), homini turbulento salutem afferre potuit. Neque enim legum et contionum suarum neque P. Africani necis memoriam exstinguere potuit: vix enim magistratu abierat, cum a L. Crasso tum adolescente in iudicium capitis vocatus, cum damnaretur, voluntariam mortem sumpsit ([48]).

Carbo cum ingenii bonitate praestaret, etsi literarum minime gnarus fuisse putandus est, qui ne leges quidem et maiorum instituta satis teneret ([49]), tamen audito maxime M. Porcina multa exercitatione firmatus propter vehementem et canoram orationem et admirabilem animorum movendorum artem magnus orator habitus est ([50]). Sed unius defensionis

43) Cic. Legg. III. 16, 35. 44) Cic. de Or. II. 40, 170. 45) Plutarchus praeceptt. politt. p. 144. ed. Hutt. Liv. ep. LIX. Cic. Lael. 25. 46) Liv. ep. LXI. Cic. de Or. II. 25, 106. Brut. 34, 128. 47) Cic. Legg. III. 16, 35. 48) Valerius Maximus III. 7, 6. in exsilium abisse narrat, sed non persuadet propter meliorum testium dissensum: v. Cic. Brut. 27, 103. Divers. IX. 21. Hinc de morte constat, de mortis genere, quod inopinato et repente accidit, homines dubitasse credibile. Quaesitor in ea causa Q. Fabius Maximus Eburnus fuisse videtur: v. Cic. de Or. I. 26, 121. 49) Cic. de Or. I. 10, 40. 50) Cic. Brut. 25, 96. 27, 103 sqq. de Or. I. 10, 40. Inter antiquos recensetur in dialogo de ora-

Opimianae, nec tam ipsa verba, quam argumentum et capita exstant ([51]).

§. 20.

C. Gracchus.

Fratrem ingenii magnitudine naturalique facundia longe superabat, candore animi non aequabat *C. Gracchus*, quem ira et ulciscendae familiaris iniuriae cupiditas ad maxima facinora stimulavit. Is cum tirocinium dicendi in Vettio quodam ignoto homine defendendo posuisset ([52a]), mox recordatione fratris adeo acceptus populo fuit, ut, cum ante magistratum gerendum legem Papiriam de tribunis reficiendis suasisset, dissuasisset M. Iunii Penni tribuni legem de peregrinis urbe et civitate arcendis, et triumvir agris et lege Tiberii fratris plebi dividundis creatus esset, tantam optimatibus formidinem faceret, ut in Sardiniam quaestor missus iteratis vicibus prorogata potestate prohiberetur, quo minus in urbem rediret. Sed Gracchus, cum sibi succedi non videret, iniussu publico provinciam reliquit. Quam ob rem omnia ad perdendum hominem molientes optimates non modo, ut apud censores causam diceret, coëgerunt, sed studiose id egerunt, ut coniurationis Fregellanae crimine perverteretur. Fregellani enim sociorum primi coniuraverant, ut vi extorquerent civitatem sibi iniuria negatam. Sed quamvis acerrime quaestionem exercente praetore L. Opimio, cum quo post internecinum Graccho odium fuit, etiam hoc crimine absolutus est. Huius defensionis non, ut censoriae, exstare reliquiae videntur, sed apud Rhet. ad Her. IV. 9. et 11. imitationes latere orationum in hac causa publice habitarum

---

toribus c. 18. Quintilianus X. 7, 27., cum ne in tabernaculo quidem meditatione oratoria abstinuisse Carbonem dicat, memoriae vitio admiscuit rerum bellicarum mentionem Cn. Carbonis ter consulis male recordatus. Nam C. Carbo consul urbem reliquisse non videtur; de tirone autem et adolescente cogitare tabernaculi mentio prohibet.

51) Cic. de Or. II. 39, 165. 40, 168. 52a) Plut. C. Graccho 1.

coniectura est vero non absimilis ([52b]). Tribunus igitur plebis creatus a. 631 leges plurimas tulit plebi gratissimas, sed neque civitati utiles et animum factiosum et aurae popularis avidum ostendentes. Sic, cum ingenio oratorio omnibus praestaret, tamen populari causae agendae imparem sese

---

52b) Talium enim *μιμήσεων*, exemplorum etiam ex ipsis oratoribus et scriptoribus cum Graecis tum Romanis demptis nominibus appositorum libros illos refertos esse non probabile modo videtur, sed multis locis accurate demonstrari potest. Notabiles enim eloquentiae magistri plerique non ipsi fingebant exempla discentibus proponenda, sed ab oratoribus sumebant nec, nisi cum ea deerant, ad sua confugiebant. Sic Cicero fecit in Oratore et secundo et tertio de Oratore libro, sic Quintilianus nono maxime libro et undecimo: secutus eundem morem Rutilius Lupus est et Senecae rhetoris totum opus in floribus eloquendi aliorum auctorum colligendis versatur. Infimae aetatis *τεχνογράφοι* soli ab hoc more desciverunt, ut Emporius apud Capperonn. p. 303. et Priscianus Praep. Rhet. p. 359. Finxit igitur sine dubio rhetor, qui ad Herennium libros suos misit, exempla complura: omnia non finxit. Sic intelligenda est longa defensio prooemio libri quarti inclusa, qua causam quasi adversus criminantes dicit, quod ipse finxerit quibus exemplis utatur. Quippe cum neget se alienis uti, ita negat, ut licuerit aliena sumere, sicubi videretur commodius. Iure arrogans videretur, si sermocinationis exemplum, quod tantopere laudavit IV. 52., ipse invenisset. Inest etiam genus verborum in aliis aliud plane, nec antiquius modo et incomptum in nonnullis, sed inurbanum adeo et horridius, velut IV. 37. Quin fons nonnullorum manifestissime demonstrari potest. Curionis ex oratione pro Ser. Fulvio de incestu dictum habet II. 20: nomen ab ipso non additum ex Cicerone de Inventione I. 43. discimus. Crassi quaedam verba ipso quoque nomine addito posuit IV. 3, 5., quem locum integriorem retinuit Cicero de Or. I. 52, 225. Ex Demosthene expressas sententias duas legimus; alterum est exemplum subiectionis IV. 23., de quo v. Lambinum; alterum translationis propter vitandam obscenitatem IV. 34., ex eiusdem oratione de corona petitum p. 270. s. p. 240. §. 129. Bekk. Socratis dictum nomine subtracto exstat IV. 28., retentum etiam a Quintiliano, v. Wyttenb. ad Plut. de aud. poët. p. 21. E. s. p. 219. Locus IV. 11, 16: *solent enim diu cogitare* etc. Sophoclem auctorem habet in Electra 312. *φιλεῖ γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ᾽ ἀνὴρ πράσσων μέγα.* Quae leguntur IV. 46, 59., cum de *λαμπαδηδρομίᾳ* dicta sint, sine dubio Graecum fontem habent.

praebuit. Privilegium in P. Popilium Laenatem, qui consul in Ti. fratris partes saevierat, rogationem tulit Semproniam de vi (53), quam cum perferri ille videret, urbe cessit. Deinde stipendiorum militarium numerum minuit, annonam viliorem plebi fecit sumptu aerarii aucto, iudices quaestionibus perpetuis assidentes ut ex equitibus crearentur effecit, colonias extra Italiam ad sublevandam plebem inopem deduci voluit, denique sociis civitatem est pollicitus. Haec biennium continuati magistratus implent. Sed cum patienter tulisset, ut socii civitatem exspectantes urbe pellerentur, hos a se alienavit decipi sese existimantes et omni gratia plebis deiectus est, cum per Drusum collegam auctore senatu maiorum etiam commodorum spes ostenderetur. Sic tertio tribunatu petendo deiectus ab inimicissimo consule L. Opimio armis sumptis cum quinque millibus sectatorum interfectus est a. 633.

Orationum eius plurimarum et argumenta et partes quaedam minime spernendae exstant. Antiquissima est illa *Vettii defensio*, cuius praeter nomen nihil exstat. Sequitur *suasio legis Papiriae* de tribunis reficiendis (54); deinde oratio *de lege Penni et peregrinis* (55), habita ante quaesturam Sardiniensem. Ex qua cum redisset, *contionem ad populum* habuit, cuius Gellius locum satis amplum retinuit (56); item *apud censores* causam dixit, cuius defensionis duas particulas habemus (57). Sequuntur contiones tribuniciae. Primae omnium videntur orationes duae *in P. Popilium Laenatem*, quarum sex particulae, sed brevissimae, etiam nunc leguntur (58); sequitur oratio, *qua legem Aufeiam dissuasit*, quae ad vectigalia Asiana spectabat et Nicomedi regi Bithyniae socio Romanorum obfutura videretur (59); plures inde adversus inimicos habitae, ut *in Q. Aelium Tuberonem*, quem civem constantem et Graccho molestum fuisse constat (60); *in L. Metellum*, Diadematum puto (61), qui a. 633 praeturam gessit; *in L. Pisonem* maledictis quam criminibus plenior (62): nam erat ille vir omnium Romanorum sanctissimus; *adversus L. Furium Philum* praetorem Metelli collegam (63); *in Maevium* hominem alioqui ignotum (64); *in Plautium* denique, qui M. Plautius Hypsaeus videtur, consul a. 629 (65). Cum id ageretur, ut omnia ipsius acta irrita redderentur, orationem habuit *in legem Minuciam* latam a tribuno M. Minucio Rufo a. 633, quippe qua leges ipsius tollerentur (66). Has leges defendit in oratione *de legibus a se promulgatis*, quae solet quidem anno prior poni et secundo tribunatui assignari, sed nescio an eadem sit atque legem Minuciam spectet (67). Ignoratur etiam illud, oratio *pro se* Prisciano commemorata (68) num ab ea diversa sit, quam proximam posuimus, et, si sit, num forte ad censores post quaesturam Sardiniensem, an in Fregellano crimine habita sit; hoc Meyerus ponit, iusto fortasse confidentius. Alias incertarum orationum particulas Meyerus collegit (69), quarum quae apud Ciceronem de Or. III. 56, 214 exstat, ex contione desumpta videtur, quam Gracchus armis a L. Opimio petitus paulo ante mortem ad sectatores suos habuisse credendus est (70).

De C. Graccho oratore consentiens fere est veterum scriptorum iudicium. Et natura et doctrina tantus fuit, quan-

53) Cic. Accus. Verr. V. 63, 163. Catil. I. 11. Rab. Perd. 4, 11. 54) Charis. p. 177. 181, 197. 214. 55) Festus v. *res publicas*. Beierum *Fanni* corrigentis errorem bene olim castigavit Meyerus. Legebatur autem *P. Enni;* verum Ant. Augustino debetur. 56) Gell. XV. 12. 57) Cic. Orat. 70, 233. Charis. p. 61. cf. Plutarch. C. Graccho 2., is capita defensionis exponit. v. Meyer. p. 230. 58) Est enim altera eadem, quae inscribitur *cum circa conciliabula iret*, v. Festum v. *poteratur*, et adde Gell. I. 7. XI. 13. Fest. v. *occisitantur* et v. *masculino genere* et Diomed. p. 371.

59) Gell. XI. 10. Quantum Gracchus a fratris candore animi et rei publicae iuvandae studio abfuerit hic locus clare demonstrat. 60) Prisc. III. p. 601 P. 108 K. cf. Cic. Brut. 31, 117. 61) Diomedes p. 291. cf. Ruhnk. ad Vell. II. 14. 62) Cic. p. Fonteio 13, schol. Vat. in or. p. Flacco 2, 16. 63) Diomedes p. 395. 64) Isid. Hisp. Origg. XIX. 32. 65) Nihil exstat nisi nomen orationis apud Val. Max. XIX. 5. ext. 4. 66) Festus v. *osi sunt.* 67) schol. Ambros. s. Bobiens. ad Cic. p. Sulla 9. Gellius IX. 14. X. 3. Festus v. *ostentum.* 68) Priscianus X. p. 888. P. 488. K. 69) p. 246 sqq. 70) Eadem apposuit exemplo Quintilianus XI. 3, 115. Iulius Victor art. rhet. p. 115.

tum illa aetas et ille cultus, quo tunc Romani usi sunt, permittebant; prudens sententiis, grandis verbis, actione vehemens et ad movendos animos admodum idoneus ([71a]). Horridiora quaedam eius fuisse verba et ab orationis struendae artificio tunc ignoto aliena pluribus locis significat Cicero.

§. 21.

L. Piso. C. Fannius. M. Scaurus.

Post C. Gracchi necem ut popularis et nobilium factionis dissensiones componerentur tantum aberat, ut incendio cum arte tum vi in aliquod tempus restincto mox violentior undique flamma erumperet. Et eorum quidem, qui C. Graccho constanter adversati senatus auctoritatem et aerarii commoda contra novatorum studia et largitiones constantissime defenderunt, vetustissimus est *L. Calpurnius Piso Frugi* legis repetundarum auctor; qui consulatum a. 621 gessit, censor cum Q. Metello Balearico fuit a. 634. Is multas egisse causas multasque etiam aliis orationes scripsisse fertur, quae Ciceronis aetate evanuerant; reliquit etiam annales exiliter scriptos ([71b]). Hic cum multas leges suaserit dissuaseritve,

71 a) Cic. Brut. 38, 126. Plut. Ti. Graccho 2. Magister Menelaus Marathenus, v. Cic. Brut. 26, 100. Quanta cura eius fuerit, ut voce uteretur canora et ad rem apta, de fistulatore eius Licinio Erycino narratio docet apud Cic. de Or. III. 60, 225.; unde sua hauserunt Quintil. I. 10, 27. Val. Max. VIII. 10, 1. Gell. I. 11. In vehementia Gracchi laudibus tollenda Cic. de Or. III. 56, 214. cum iudicio vulgi conspirat, cuius etiam Gellius X. 3. et Apuleius Apol. p. 551. testes exstant, etsi ille Catonem veterem in similibus locis tractandis nervosiorem videri non diffitetur. Etiam scriptor dialogi de oratoribus c. 26. vehementiam Gracchi calamistris, quae illa aetate apud plurimos vigebant, longe praeferendam iudicat. Amaritudine et dicacitate longe omnes aequales superasse Plutarchus affirmat c. 4. exemplis a se prolatis similia multa in eius scriptis deprehendi testatus. Sed componendae et struendae orationis non magis quam Cato peritus erat; v. Cic. Or. 70, 233.: qua re etiam Gellius XI. 13. artificiosius quam pro illa aetate structa verba illi elapsa miratur. Gracchanae contiones etiam Frontoni tritae: v. epp. II. 1. ad M. Caesarem et I. 2. ad Antoninum Aug.; quin Augustino Praec. Rhett. p. 327. Capp. 71 b) Cic. Brut. 27, 106.

unius tamen actionis contra legem C. Gracchi frumentariam memoria relicta est ([72]). Deinde *C. Fannius C. F. Strabo*, C. Gracchi olim amicus, cum ope eius deiecto L. Opimio consulatum invasisset (a. 632), a popularium partibus defecit. In illo magistratu orationem habuit *de sociis et nomine Latino*, quam sane bonam et nobilem appellans Cicero pluribus argumentis eos refutat, qui a C. Persio literato homine scriptam aut a nobilibus quid quisque potuisset in eam collatum existimabant ([73]). Sed his longe nobilior, etsi orator fortasse haud maior, *M. Aemilius Scaurus* est. Is aequalis C. Gracchi putandus est nec certe ante a. 595 natus videtur, qui quaesturam gesserit a. 627. Maiorum enim culpa, ut multis patricio genere natis accidit, ita iacuerat eius gentis honos et nobilitas, ut neque pater neque avus ad gerendum magistratum accederent et ille carbonaria mercatura partam pecuniam sane exiguam filio relinqueret ([74]). Is cum primum argentariam fecisset, mox ardens ingenio et virtutis specie morum vitia tegens spe repente concepta ad summa tetendit. Quaestura enim gesta aedilitatem a. 631 adeptus est; in qua cum tenuitate rei a sumptu ludorum faciendo prohiberetur, acriter habita urbis cura et assidue dicendo iure non minus in se populum advertit, quam magnificentia ludorum potuisset. Praetor igitur a. 634, consul a. 639 fuit, suo anno deiectus a Q. Maximo et C. Licinio ([75]). Iam tum ingentem eius famam fuisse necesse est, cum in ipso consulatu, quod praeter hunc nemini contigit, senatus princeps lectus sit a censoribus L. Metello et Cn. Domitio ([76]). Ex consulatu provinciam Galliam rexit ([77]). Censuram cum M. Livio Druso utilem struendis operibus publicis gessit a. 645; sed mortuo collega Ap. Caeci exemplum imitatus spreta lege Aemilia magistratu

72) Cic. Tusc. III. 20, 48. 73) Cic. Brut. 26, 99. Particulas eius orationis v. apud Cic. de Or. III. 47, 183. Prisc. VIII. 4. t. I. p. 368 K. Charis. p. 116. Iul. Vict. p. 51. 74) Ascon. ad Cic. p. Scauro p. 246. Schuetz. Plut. de fort. pop. R. p. 318. Val. Max. IV. 4, 11. 75) Cic. Mur. 17, 36. 76) Aurel. Vict. 72. Plin. H. N. II. 55. 77) Frontinus IV. 3, 13.

abire noluit, donec a tribunis in carcerem ductus est ([78]). Iterum consul suffectus est L. Cassio a. 648 in praelio a Tigurinis occiso. Sed cum deiecisset P. Rutilium Rufum ambitus reus ab eo factus, cum absolveretur, competitorem eiusdem criminis postulavit nec pervicit, ut damnaretur, quin non dubia iudicia de culpa sua audivit ([79]). Post princeps senatoriae sententiae in summis rebus versatus Ciceroni mirifice probatur, qui nihil eo sanctius gravius antiquius fuisse dicit. Est enim mos Ciceronis optimatium principes, qualescunque fuerint, propter constantiam in causa scilicet laudabili tuenda extollere. Et sane Scaurus, cui vita longissima obtigerit, seditiosis omnibus a Graccho inde ad Q. Varium Sucronensem summa firmitate restitit ([80]); nec quod seditiosos dixerit Ciceroni crimini dari potest: nam post Gracchos nemo nisi pessima cupiens popularis fuit. At Sallustius ([81]) fortasse C. Lucilium Satirae scriptorem secutus ingenii in Scauro magnitudinem cum ea morum fallacia iunctam fuisse iudicat, ut virtutis simulatione pessima vitia obtegeret. Cuius rei documenta exstant minime incerta. Ille enim legatus in Africa Adherbalem ab acerba nece non defendit et Calpurnio Bestiae consuli cum Iugurtha transigendi auctor fuisse creditur; et cum rogatione Mamilia illi in indicium vocarentur, quorum instinctu Iugurtha voluntatem populi Romani elusisset, ipse quo minus causam diceret effugit eo artificio, ut quaesitor ipse cum aliis a populo crearetur. Avaritiam etiam C. Memmius acerbo convicio palam exprobravit ([82]); nec potest aliter intelligi quo modo ingentes, quas filio reliquit, divitias collegerit. Sed cum plurimos omnium ordinum inimicos haberet, in continuis simultatibus consenuit. Inimicitias exercuit cum C. Memmio acerrimeque in eum iudicio ambitus testimonium

78) Strabo V. 8. Amm. Marcell. XXVII. 3. Plutarchus Quaest. Rom. p. 342. ed. Hutten. 79) Cic. Brut. 30, 113. de Or. II. 69, 280. 80) Ciceronis iudicia vide Off. I. 22, 76. 30, 108. Cf. Val. Max. V. 8, 4. de Or. I. 49, 214. p. Sextio 17, 39. Brut. 29, 111. 81) Sallustius in Iugurtha 15. 25. 28. 29. 32. in primis c. 40. Is an Cicero rectius iudicaverit ex rebus ipsis gestis patet. Dissentit Westermannus p. 93. 82) Cic. de Or. II. 70, 283.

dixit, cui creditum non esse propter Scauri potentiam Cicero refert ([83]); Marium adversum habuit ([84]); repetundarum reus ex Gallia, ut videtur, factus est a M. Bruto, cuius accusationis factitandae morem et quaestum multis locis agitavit Cicero ([85]); a Cn. Domitio postulatus est, quod ipsius opera multa sacra populi Romani obliterata aut eversa essent ([86]); alterum repetundarum iudicium subiit propter famam Asiaticae legationis minus honestam, cuius cum etiam C. Cotta tunc tribunatum petens consors factus esset, is quidem urbe cedere coactus est, Scaurus autem evasit ἀντικατηγορίαν Caepioni actori intendendo ([87]); denique lege Varia iudicium subiit, qua quaerebatur in eos, quorum opera socii ad arma acti essent ([88]).

Non ineruditum fuisse Scaurum, etsi non Ciceronis more omnes Graecorum artes complectentis, et veri simile est et ex scriptis effici videtur. Scripsit enim Xenophontem imitatus tres de vita sua ad L. Fufidium libros, quos, cum Cyri disciplina longe utiliores sint, a popularibus suis non legi iure queritur Cicero ([89]). Laudes eius oratorias, quoniam praeter Ciceronem ([90]) testem non habent, paucis tractari possunt. Ciceronem enim legentibus perspicitur viri in re

83) Cic. p. Fonteio c. 7. 84) Cic. de prov. coss. 8. 85) Eius orationis particula quaedam apud Charisium legitur p. 103. et 187. cf. Cic. p. Scauro p. 130. p. Fonteio 13. 86) Asconius in or. p. Scauro p. 130. Cic. p. Deiot. 11. Val. Max. VI. 5, 5. VIII. 5, 2. Is de Domitii actoris candore et iustitia retulit. Acta causa C. Mario II. C. Flavio Fimbria coss. a. u. 650. 87) Serviliana actio incidit in consulatum L. Philippi et Sex. Caesaris a. 663: v. Ascon. in Scaur. p. 131. Ex actione secunda in Q. Caepionem verba quaedam servavit Charis. p. 120. cf. Cic. p. Scauro l. c. 88) Actio lege Varia non ante Servilianam ponenda est, ut facit Asconius l. c., sed gesta res ipso bello Italico flagrante a. 664, L. Caesare P. Rutilio Lupo consulibus. Responsum Iphicrateum (v. Aristot. Rhet. II. p. 1398. ed. Bekk.), quo Scaurus accusationem elusit, retulerunt Asconius ad Scaur. p. 22. Or. Quintil. V. 12, 10. Val. Max. III. 7, 8. Victor c. 72. Ceterum Meyerus p. 255. non nullas Scauri orationes memorat, de quibus non constat nisi ex rebus eius gestis: harum igitur nomina apponere dubitavi. 89) Brut. 29, 112. 90) Cic. l. c.

publica principis gravitatem orationibus eius impressam fuisse; sed, cum neque artis neque ornatus lenocinia accederent, exempla ex iis ut desumerentur fieri non poterat: qua re memoria earum apud plerosque mox exstincta est.

§. 22.
P. Rutilius Rufus.

Adiungatur Scauro annis fere octo minor *P. Rutilius Rufus* (91). Is patre praetorio natus ab ineunte aetate eam ingenii praestantiam ostendisse videtur, qua summa morum integritate iuncta vir factus omnibus fere aequalibus praestitit. Tribunus plebis, de quo magistratu gesto primo aliquid accepimus, creatus est non ante a. 639, si quidem omnino eum honorem gessit; anno enim priore repulsam passus est (92). Praeturam inde a. 643, consulatum a. 649 obtinuit, cum anno ante in petendo superatus esset a M. Scauro (93). In quo magistratu, cum collega Cn. Mallius Maximus ingenti strage a Cimbris fusus esset, iuniores Italiae sacramento adigere a senatu iussus rei tamen gerendae occasione caruit. Tum primum et ab hoc consule tirones artem arma tractandi arcessitis gladiatoribus didicere.

Plurimas virtutes in hoc viro quasi societatis vinculo iunctas fuisse veterum testimonia consentiunt. Fortis enim bello fuit et iam adolescentulus Scipioni bellum ad Numantiam gerenti acceptissimus (94); easque res ipse singulari libro descripsit. Adiungebat eam, quae tunc erat, literarum notitiam. Quippe iuris peritissimus erat, cuius peritiae documenta praeclara et in orationibus exstabant et in libris,

91) Egerunt de hoc per saturam Voss. de Hist. L. p. 39. et de Hist. Gr. p. 110. item Glandorpius in Onomastico; paulo accuratius Wernsdorf. ad P. L. M. vol. V. p. 1. p. 28 sqq. 92) Cic. Planc. 21. 93) Hoc enim ad secundum, non ad primum Scauri consulatum pertinere bene ostendit Pighius t. III. p. 134. Cum primum consul Scaurus fuit, tribunicia erat Rutilii aetas. 94) Praefectus Scipionis eo bello fuit: v. Appian. *Ἰβηρ*. 88. Suidas v. *Ῥουτίλιος*. Errant, ut Schneiderus ep. ad Langer. p. XXVII. eam militiam tribunicio Rutilio assignantes, quasi iam a. 616. eum honorem gesserit.

quos de iure scripserat (95): dederat enim sese P. Mucio Scaevolae pontifici maximo in iure erudiendum. Deinde cum iniustissimo iudicio in exsilium pulsus esset, otium Smyrnae literis oblectavit; consenuitque cum eo familiaris grammaticus Aurelius Opilius (96). Praeterea et Graece scripsit historiae, ut videtur, Romanae partem (97) et Latine vitam suam praestantiorem sane veritatis laude, quam Scauri (98). Nec abhorruit a severioribus studiis. Erat enim perfectus in Stoicis Panaetiumque magistrum Scipionis familiaris sui exemplo habuit (99). Iure igitur hunc in viris literatis posuit Lucilius, quibus se scribere negabat saturas suas Tarentinis et Bruttiis hominibus incultis legendas destinans (300). Sed laudem haud paulo maiorem sibi Rutilius peperit morum insigni probitate et animi integritate. Nihil enim eo viro sanctius, nihil iustius: qua de re iure exemplum innocentiae vocatur Ciceroni (1), vir non sui seculi, sed omnis aevi optimus Velleio (2). Sed, quae erat illa aetate rei publicae ad exitium vergentis perversa conditio, acerbiorem quam nequissimi sortem tanquam innocentiae suae praemium expertus est. Cum enim in consulatu petendo repulsam tulisset et frustra de ambitu postulasset designatum competitorem Scaurum, ab hoc in idem iudicium est vocatus, nec modice periclitatus videtur, si quidem in accusatione repellenda multa opera et industria fuisse Ciceronis verbis testatum habemus (3). Longe pluribus documentis de iudicio repetundarum constat, quo publicani

95) Cic. Brut. 30, 114. de Or. I. 53, 227. Off. III. 2, 10. 96) Sueton. de illustr. gr. 6. Symmachus epp. I. 22. 97) Numantinum bellum a Rutilio expositum testis Appianus est l. c. Romanam historiam Graece scripsisse docet Athenaeus IV. p. 168. e. cf. VI. p. 274. c. 98) Charisius locum ex libro quinto antestatur p. 112. 99) Cic. Off. l. c. Brut. l. c. Sed cum Q. Scaevola et Q. Tuberone Africani sororis filio Rutilium etiam vita unicum fuisse Stoicorum placitorum observatorem Athenaeus VI. p. 274 c. affirmat. 300) Cic. Fin. I. 3, 7. Rep. I. 8. Memoria eius apud Isidorum servata est Origg. XX. 11.; sed vitam Scipionis, ut Fabricius locum correxit Bibl. Lat. vol. III. p. 375., nunquam scripsit. 1) Cic. de Or. I. 53, 229. 2) Velleius II. 13. 3) Cic. Brut. 30, 113.

publica principis gravitatem orationibus eius impressam fuisse; sed, cum neque artis neque ornatus lenocinia accederent, exempla ex iis ut desumerentur fieri non poterat: qua re memoria earum apud plerosque mox exstincta est.

§. 22.

P. Rutilius Rufus.

Adiungatur Scauro annis fere octo minor *P. Rutilius Rufus* ([91]). Is patre praetorio natus ab ineunte aetate eam ingenii praestantiam ostendisse videtur, qua summa morum integritate iuncta vir factus omnibus fere aequalibus praestitit. Tribunus plebis, de quo magistratu gesto primo aliquid accepimus, creatus est non ante a. 639, si quidem omnino eum honorem gessit; anno enim priore repulsam passus est ([92]). Praeturam inde a. 643, consulatum a. 649 obtinuit, cum anno ante in petendo superatus esset a M. Scauro ([93]). In quo magistratu, cum collega Cn. Mallius Maximus ingenti strage a Cimbris fusus esset, iuniores Italiae sacramento adigere a senatu iussus rei tamen gerendae occasione caruit. Tum primum et ab hoc consule tirones artem arma tractandi arcessitis gladiatoribus didicere.

Plurimas virtutes in hoc viro quasi societatis vinculo iunctas fuisse veterum testimonia consentiunt. Fortis enim bello fuit et iam adolescentulus Scipioni bellum ad Numantiam gerenti acceptissimus ([94]); easque res ipse singulari libro descripsit. Adiungebat eam, quae tunc erat, literarum notitiam. Quippe iuris peritissimus erat, cuius peritiae documenta praeclara et in orationibus exstabant et in libris,

91) Egerunt de hoc per saturam Voss. de Hist. L. p. 39. et de Hist. Gr. p. 110. item Glandorpius in Onomastico; paulo accuratius Wernsdorf. ad P. L. M. vol. V. p. 1. p. 28 sqq. 92) Cic. Planc. 21. 93) Hoc enim ad secundum, non ad primum Scauri consulatum pertinere bene ostendit Pighius t. III. p. 134. Cum primum consul Scaurus fuit, tribunicia erat Rutilii aetas. 94) Praefectus Scipionis eo bello fuit: v. Appian. Ἰβηρ. 88. Suidas v. Ῥουτίλιος. Errant, ut Schneiderus ep. ad Langer. p. XXVII. eam militiam tribunicio Rutilio assignantes, quasi iam a. 616. eum honorem gesserit.

quos de iure scripserat ([95]): dederat enim sese P. Mucio Scaevolae pontifici maximo in iure erudiendum. Deinde cum iniustissimo iudicio in exsilium pulsus esset, otium Smyrnae literis oblectavit; consenuitque cum eo familiaris grammaticus Aurelius Opilius ([96]). Praeterea et Graece scripsit historiae, ut videtur, Romanae partem ([97]) et Latine vitam suam praestantiorem sane veritatis laude, quam Scauri ([98]). Nec abhorruit a severioribus studiis. Erat enim perfectus in Stoicis Panaetiumque magistrum Scipionis familiaris sui exemplo habuit ([99]). Iure igitur hunc in viris literatis posuit Lucilius, quibus se scribere negabat saturas suas Tarentinis et Bruttiis hominibus incultis legendas destinans ([300]). Sed laudem haud paulo maiorem sibi Rutilius peperit morum insigni probitate et animi integritate. Nihil enim eo viro sanctius, nihil iustius: qua de re iure exemplum innocentiae vocatur Ciceroni ([1]), vir non sui seculi, sed omnis aevi optimus Velleio ([2]). Sed, quae erat illa aetate rei publicae ad exitium vergentis perversa conditio, acerbiorem quam nequissimi sortem tanquam innocentiae suae praemium expertus est. Cum enim in consulatu petendo repulsam tulisset et frustra de ambitu postulasset designatum competitorem Scaurum, ab hoc in idem iudicium est vocatus, nec modice periclitatus videtur, si quidem in accusatione repellenda multa opera et industria fuisse Ciceronis verbis testatum habemus ([3]). Longe pluribus documentis de iudicio repetundarum constat, quo publicani

95) Cic. Brut. 30, 114. de Or. I. 53, 227. Off. III. 2, 10. 96) Sueton. de illustr. gr. 6. Symmachus epp. I. 22. 97) Numantinum bellum a Rutilio expositum testis Appianus est l. c. Romanam historiam Graece scripsisse docet Athenaeus IV. p. 168. e. cf. VI. p. 274. c. 98) Charisius locum ex libro quinto antestatur p. 112. 99) Cic. Off. l. c. Brut. l. c. Sed cum Q. Scaevola et Q. Tuberone Africani sororis filio Rutilium etiam vita unicum fuisse Stoicorum placitorum observatorem Athenaeus VI. p. 274 c. affirmat. 300) Cic. Fin. I. 3, 7. Rep. I. 8. Memoria eius apud Isidorum servata est Origg. XX. 11.; sed vitam Scipionis, ut Fabricius locum correxit Bibl. Lat. vol. III. p. 375., nunquam scripsit. 1) Cic. de Or. I. 53, 229. 2) Velleius II. 13. 3) Cic. Brut. 30, 113.

quasi telo in hominem innocentem usi sunt illudentes eius sanctitati, quod ipsorum exactiones et iniurias legatus Q. Mucii Scaevolae praetoris Asiae prohibuerat (4). Acta causa videtur a. u. 661 C. Valerio M. Herennio consulibus. Accusatorem publicani subornaverant Apicium quendam, hominem nequitia et luxuria in civitate non minus insignitum, quam Rutilius innocentia praelucebat (5). Et quoniam homines infensissimi in ea causa iudicabant, non credimus Ciceroni evasurum fuisse, si aliorum exemplo precibus vel miseratione uti voluisset. Sed recte excelsi animi vir ignavorum praesidia a se aliena iudicans nec ipse aliquid minus honeste pro se locutus est et Q. Scaevolam et C. Cottam sororis suae filium, quo minus facerent, prohibuit. Hoc Cicero vituperat: nobiscum virtutis amatores omnium temporum mirabuntur. Rutilius damnatus Smyrnam concessit in exsilium (6), ubi Cicero senem vidit, cum post causam Sex. Roscii dictam in Asiam profectus est (7). Cum enim Romani omnes Mithridate rege impellente per Asiam occiderentur, Rutilius pallium Graecum induit itaque ignoratus periculum evasit (8); nec a Sulla dictatore permoveri potuit ut cruentam eius de Marianis victoriam Romam reversus videret (9).

4) Asconius ad Cic. in Pison. 26. Pro praetore Asiam rexisse videtur Q. Mucius post magistratum in urbe a. 656 gestum; est is Crassi in consulatu collega a. 659. Personatus Asconius ad Div. in Caec. 17, 57. quaestorem Mucii Rutilium facit: v. Zumpt. l. c. p. 40. 5) Athenaeus IV. p. 168. e. Conspirasse in Rutilium publicanos multis locis Cicero prodidit: v. Brut. 30, 115. de Or. I. 53, 229. p. Balbo 13. p. Fonteio 13. confer Livium epit. LXX. Vell. II. 13. Florum III. 17. Val. Max. II. 10, 5. Is quidem ab urbibus Asiae, cum eo abisset exsulatum, paene divinis honoribus cultum narrat. 6) Tac. Ann. IV. 43. 7) Cic. Rep. I. 8. 8) Cic. p. Rabirio Postumo 10. 9) Quintil. XI. 1, 12. Seneca Epp. 24. 79. 98. Quando Rutilius mortuus sit non constat. Nam quod Ernestus et Schuetzius in lexicis Ciceronianis ex Tuscul. IV. 17. repente mortuum dicunt propter fratris repulsam, cum leviter aegrotaret, id *P. Rupilium* consulem a. 621 tangit, quae nomina frequenter confundi constat. Monuit Wetzelius praef. ad Brut. p. LXXVII. Eodem errore ex confusis nominibus labitur Brossius (des Brosses), vitae Scauri scriptor in Hist. Acad. Paris. Inscriptt. et lit. elegg. t. XXIV. p. 235 sqq., cum iudicio ambitus damnatum affirmat. Sed vivebat adhuc eo tempore, quo colloquium de Natura Deorum habitum fingitur praesente Cicerone: v. III. 32, 80.

Orationum eius commemorantur actio in Scaurum, defensio in iudicio ambitus, defensio adversus publicanos, quas tetigimus; praeterea oratio *pro L. Caerucio* ad populum (10) et, quam aedilis videtur habuisse, qua Augustus Caesar eodem consilio usus fertur, *de modo aedificiorum* (11). Genus dicendi Cicero dicit fuisse quale Stoicorum omnium: acutum, sed ieiunum et exile nec auribus populi accommodatum (12).

§. 23.

Q. Metellus Numidicus.

Q. Caecilius Metellus, cui ex devicto Iugurtha agnomen *Numidici* inditum est, patrem habuit L. Metellum Calvum Macedonici fratrem, qui consulatum gessit a. 612. Uterque nepos fuisse videtur Q. Metelli consulis a. 548 cum L. Veturio; filios enim putare annorum ratio vix sinit. Is Metellus patrem habuit L. Metellum bis consulem dictatorem et pontificem maximum belli Punici primi temporibus, cuius pater L. Metellus consulatum in familiam intulit a. 470. Sed antiquissima secundum Liciniam nobilitate gens erat, cuius L. Caecilius tribunus plebis a. 316 primus honorem gessit (13).

Q. Metellus L. F. quaesturam administravisse Pighio videtur a. 630, duobus post C. Gracchum, tribus ante P. Rutilium annis. Tribunatus eius modo occiso C. Graccho gestus a. 634 tacitus fuit. Aedilis curulis cum M. Catone Saloniano a. 637, praetor a. 641 frumentariam provinciam videtur habuisse, aut Siciliam aut Sardiniam (14). Est enim veri simile post hanc praeturam et fortasse propter frumentum in cellam imperatum actionem repetundarum ei intentatam,

10) Diomedes p. 372. 11) Suetonius in Augusto c. 89. Incerta est oratio *de tribunis militum*, Fest. p. 261.; potest enim alius auctor eius cogitari. 12) Cicero in Bruto 30, 114. cf. 116. 13) v. Drumann Hist. R. t. II. p. 22. Errat Manutius ad Cic. Divers. V. 1., Dalmaticum Numidici patrem ponens, qui frater fuit. V. Pigh. t. III. p. 42. 14) Cic. Accus. Verr. III. 90, 209.

quam plures auctores commemorant ([15]). Quae si post consulatum gestum, ut non nullis placuit, evenisset, nobilior erat, quam de cuius genere scriptores tacerent. Consul Metellus cum D. Silano a. 645, qui annus Catulum praetorem habuit, bello in Africa laudabiliter gerendo et vires Iugurthae fregit et nominis Romani honorem tum graviter laborantem restituit. Honorum cumulus censura accessit cum C. Metello Q. Macedonici filio severissime gesta a. 652 ([16]). In quo magistratu nota censoria petitos homines inimicos Glauciam et Saturninum Cicero auctor ([17]); Appianus autem docet futurum fuisse, ut senatu moverentur, nisi collega obstitisset ([18]). Et Valerius Maximus Ciceronem, qui eam rem paucis tangit, secutus Metellum, quod ab Equitio, quem libertini generis hominem seditiosi pro C. Gracchi filio venditabant, censum noluisset accipere, lapidibus petitum narrat, sed perstitisse in sententia ([19]). Paulo post Mario sextum consule a. 654 a Saturnino tribuno die dicta, quod solus senatorum in legem eius agrariam iurare noluerat, ne civilis tumultus auctor fieret, urbe cessit et Rhodum se contulit in exsilium. Mox, cum factio Saturnini bonis civibus succubuisset rogatione Calidia cum summo civitatis favore restitutus est ([20]); nihil enim anno superiore preces filii profecerant apud tribunum P. Furium, ad cuius ille genua supplex procubuit. Quod post exsilium fracto animo fuisse dicitur, et moribus viri redargui videtur et studiose refutat Cicero ([21]). Ad Mariana tempora non duravit: neque enim Marii saevitiam evasisset et secundum quosdam a Q. Vario homine seditioso sublatus veneno dicitur ([22]).

Moribus huius viri sanctissimis et in summa constantia lenitate quadam temperatis offecit communis optimatium mor-

---

15) Cic. p. Balbo 5. Val. Max. II. 10, 1. 16) Vell. I. 31. Cic. p. Sextio 47, 101. Seneca ep. 24. 17) Cic. l. c. 18) Appianus B. Civ. I. 28. 19) Val. Max. IX. 7, 2. 20) Cic. Planc. 28, 69. Non recte Kritzius ad Sall. Iug. p. 246. censorem missum in exsilium dicit, qui magistratus duobus annis prior est. 21) Cic. Divers. IX. 9, 16. De fracto animo aperte adversatur narratio Valerii Maxlmi IV. 1, 13. 22) Cic. N. D. III. 33, 81.

bus superbia et iniustus ignobilium hominum contemptus, quo C. Marium clientem olim suum et bello Iugurthino legatum praetorium non in sui modo, sed in omnis nobilitatis odium exacerbavit. Severitatis summae documentum est, quod Lucullum sororis suae virum pro rostris laudare recusavit, quod is repetundarum damnatus erat, soror autem male audiebat ([23]). Sed ea severitas literarum studio exhilarata est, ita ut aequalium cuivis doctrina par vocari posset. Iam adolescens Carneadem Athenis audivit ([24]); Archia poëta familiariter usus est ([25]); Aelium Stilonem literatorem etiam exsilii, quod totum in literis egit ([26]), comitem habuit ([27]). Hinc iniquius de eo iudicium Ciceronis videtur, qui, cum propter literarum amorem egregia laude Q. Catulum ornaverit, neque de Metelli eruditione verbum ullum posuit et satis frigide dixisse eum ait quod esset ipsi et consulari dignitati satis ([28]). A Velleio autem inter oratores numeratur, a Gellio non gravis modo, sed etiam disertus vir dicitur, a Frontone una cum Catone Scipione et Gracchis imitatione dignus iudicatur ([29]). Hinc mirari non possumus, quod orationum aliquae particulae servatae sunt; *censoriae contionis*, qua populum ad uxores ducendas adhortatus est ([30]), *accusationis in Valerium Messallam* ([31]), duae ex oratione ad populum *in Cn. Manlium* tribunum plebis ([32]), denique orationis ad populum *de triumpho suo*, quae habita sine dubio est, quod Marius eius anni consul per sectatores suos homines seditio-

---

23) Cic. Accus. Verr. IV. 66, 148. cf. Plut. Lucull. 1. 24) Cic. de Or. III. 18, 68. 25) Cic. Arch. 3. cf. ad Att. I. 16. 26) Liv. epit. LXIX. 27) Suet. de ill. gramm. 3. 28) Cic. Brut. 35, 135. 29) Vell. II. 9. Gell. I. 6. Fronto ad M. Caesarem II. 1. p. 46. 30) Gell. I. 6. v. Meyer. p. 275. 31) Gell. XV. 14., qui tertium eius accusationis librum antestatur. 32) Cn. Manlius dicitur Gellio VI. 11., C. Manilius Prisciano VIII. p. 792. P. s. t. I. p. 369. Kr. *Mamilius* Pighii correctio est, sed minime veri similis. Nam Metellum iam ante consulatum apud populum auctoritate plurimum valuisse adeo incompertum est, ut Mamilii potius apud plebem gratia Metellum consulatu prohibitura fuisse videatur. Recte nunc Meyerus p. 273. Manlium Mancinum intelligi vult, cuius maxime opera imperium a Metello ad Marium translatum est: v. Sall. Iug. 73.

sos iustissimo Metelli triumpho adversatus erat; graviter enim hic in obtrectatorem laudis suae invehitur (33).

§. 24.

C. Curio Q. Catulus C. & L. Memmii.

C. Scribonius Curio praetor a. 633 huc a nobis dilatus est, quod a turbulentis illis temporibus plane intactus mansit et una tantum oratione *pro Ser. Fulvio de incestu* sui memoriam condidit. Ea Cicerone puero magnopere probabatur, sed ipsi multis locis puerilis et inanibus locis referta dicitur, tolerabilis tamen illis temporibus (34).

Longe superior huic *Q. Lutatius Q. F. Catulus.* Is intermortuam gentis suae nobilitatem instauravit. Post C. Lutatium enim, qui vitio creatus a. 534 magistratu se abdicare coactus est, nemo ex ea gente ad summum honorem pervenit. In Q. Catulo ipso propter insignem viri praestantiam paucitatem testimoniorum, si bellicam eius laudem omiseris, dolemus. Nam ne de honoribus quidem ab eo gestis constat, et factum propter annorum rationem, quod quaestorem a. 632, tribunum a. 637, aedilem a. 641, praetorem a. 645 facit Pighius. Consulatum enim cum petisset a. 647 bis repulsam tulit nec modo C. Atilio Serrano ignoto homini, sed etiam Cn. Mallio Maximo posthabitus est, homini sine ingenio, sine virtute, denique ne gratia quidem populari florente (35). Consul igitur cum C. Mario creatus anno demum 652, cum in ipso honore rei gerendae occasione caruisset, imperio prorogato in societatem laudum C. Marii venit. Sed neque haec neque mortem, cui sua vice crudeliter parentasse Sulla dicitur apud Senecam (36), nec monumenta, quorum praestantissimum porticus est saepe Ciceroni memorata, notissimis scriptorum testimoniis cumulabimus. Sed iure Cicero plurimis locis exquisitissimis laudibus extollit Catuli eruditionem et humanitatem. Non est quidem prin-

33) Gell. XII. 9. Tales enim orationes haberi solebant depellendae invidiae causa, ut de Catone et Paulo scimus. 34) Cic. Brut. 32, 122. 124. 35) Cic. Planc. 5. 36) Sen. de Ira III. 18.

ceps in numero patronorum habitus, sed, si praestantissimis aequalium videbatur inferior, cum sine comparatione audiebatur, non desiderabatur melius (37). Sed omnibus aequalibus suavitate appellandarum literarum et urbanitate verborum praestabat (38). Et, cum Graecorum artibus diligentissime operam navasset, ingenii bonitate et laboris diligentia non modo oratoris et poëtae et scriptoris laudem est assecutus, sed in omni pulchro et decoro studiorum genere adeo praeclare est versatus, ut paene alter Laelius Ciceroni dicatur (39); qua re iure dignus habitus est, cui in elegantissimo de Oratore colloquio partes assignarentur minime spernendae. De orationibus eius praeter unam *Popiliae matris laudationem* (40) non constat. Scripsit autem molli quodam et Xenophonteo genere, quae Ciceronis verba sunt, de rebus suis gestis ad A. Furium poëtam (41). Ex quibus libris perpauca quaedam in historicorum Latinorum reliquias relata legimus: hausit quaedam ex eis Plutarchus (42). Carmina lasciva dixit antiquitas (43): quae fama confirmatur epigrammatibus duobus a Gellio et Cicerone servatis, in quibus duriorem quidem, ut pro illa aetate, versuum compositionem, sed non spernendam sententiarum venustatem cernimus.

Huic adiungantur, quia minus nobiles oratores fuerunt, *C.* et *L. Memmii.* Et Lucii quidem pertenuis memoria. Praeter duos enim Ciceronis locos, quibus tolerabilis orator, acerbus accusator dicitur (44) apud nullum horum temporum testem eius mentionem fieri videmus. Mansisse tamen putatur ad Sullae usque tempora, quibus proscriptus cecidit (45), cum frater multo ante periisset. Paulo crebrius C. Memmius

37) Cic. Brut. 35, 132. 134. 38) l. c. §. 133. de Or. II. 7, 28. III. 8, 29. Quintilian. XI. 3, 35. 39) Cic. Arch. 3, 6. Tusc. V. 19, 56. 40) Cic. de Or. II. 11, 44. 41) Cic. Brut. 35, 132. 42) Plut. Mar. 26. 43) Plin. Epp. V. 20. Gell. XIX. 9. Cic. N. D. I. 28, 78. Incertum num de lingua Latina scripserit, quod suspicere ex Varr. L. L. p. 188. 44) Cic. Brut. 36, 136. 89, 304. 45) Cic. Rosc. Am. 32, 90. Vera est enim Ursini coniectura, cui etiam librorum vestigia favent, inepta vulgata scriptura *Mamercos*, quod non cognomen est, ut non nullis visum, sed praenomen *Marcus*.

commemoratur. Utrumque Pighius (46) non improbabiliter existimat C. Memmii Galli filium fuisse, qui tribunus plebis legem de reis tulit C. Laelio Q. Caepione consulibus. Noster ille C. Memmius C. F. tribunus fuit a. 643, in quo magistratu optimates Iugurthae patronos strenue sane oppugnavit. Praetura functus circa annum 650 videri potest, cum ex provincia causam repetundarum dixerit (47) et a. 654 C. Mario L. Flacco consulibus consulatum petens, cum C. Servilium Glauciam competitorem haberet, huius et L. Saturnini opera sit occisus (48). Multos accusasse, ut frater, a Cicerone dicitur (49); qui tamen fuerint quos reos egerit praeter L. Calpurnium Bestiam consularem bello Iugurthino infamem non constat (50). Sed quoniam hic cum L. Opimio Sp. et A. Albinis C. Catone C. Galba aliis in numero eorum fuit, qui lege Mamilia iudicium subierunt, quam legem Memmius sine dubio acerrime commendavit, illorum partis certe accusatorem exstitisse credimus. Mordacitas hominis ex dicto in Scaurum a Cicerone servato perspicitur (51); id quidem ex actione in Bestiam desumptum est. Ex defensione in causa repetundarum desumpta videntur illa verba, quae sub ignotissimo Q. Memmii nomine apposuit Suetonius (52), item pauca quaedam, quae apud Priscianum exstant: certe enim criminum refutationem continent (53). Alia C. Memmii nomen prae se ferentia Ciceronis aequalem auctorem habere videntur, huius fortasse fratris filium (54).

§. 25.

Tertia aetas eloquentiae Romanae.

Ea aetate, quae oratores ante Ciceronem maximos eorumque aequales complectitur, in dies crescente imperii Romani ambitu et maiestate, aucto cum Graecis commercio

46) vol. III. p. 96. 47) Cic. p. Fonteio 7. Val. Max. VIII. 5, 2. 48) Liv. epit. LXIX. Cic. Catil. IV. 2. Plut. Mario 29. Appian. B. Civ. I. 32. 49) Cic. Brut. 36, 136. 50) Cic. de Or. II. 70, 283. 51) l. c. 52) Suet. ill. gr. 3. 53) Prisc. VIII. p. 793. P. t. I. p. 372 K. 54) Gell. XIX. 9. Ovid. Trist. II. 433.

multisque utriusque populi viris ultro citroque commeantibus etsi gliscebant vitia Romanis ingenerata avaritiae et superbiae, nihilo tamen minus moris antiqui plurimae partes retentae sunt. Valuerunt igitur Graecae literae et artes eo, ut rerum laudabilium et cognitione dignarum notitia apud Romanos cresceret, sed non adeo in mentes hominum influxerunt, ut oblivriscerentur non otiosorum oblectamentis, sed armis et prudentia publica crevisse civitatem Romanam. Mansit apud plerosque mos adolescentes usu rerum maximarum et laudatorum civium contubernio erudiendi; mansit honos iuris prudentiae sententiae senatoriae peritiae militaris: his potissimum artibus ad honores perveniebatur; quanquam nobiles de potentia sua dudum securi a labore castrensi abstinentes delicias urbanas et faciliorem honorum viam per largitiones et blanditias praeferre coeperant. Id unum ex pristinis institutis mutatum est, quod, cum usus eloquentiae in multiplicatis iudiciis et eruditiore populo in dies illustrior fieret, praeter Graecos etiam Latini dicendi magistri exstiterunt. Horum princeps L. Plotius Gallus fuisse fertur, ad quem magnum hominum concursum factum dicunt (55), cum sese extremis L. Crassi oratoris temporibus extulisset. Is longissimam vitam habuit, si quidem et Marii familiaris fuit sua gesta eius oratione celebrari posse existimantis (56) et quinquaginta annis post Sempronio Atratino adversus M. Caelium capita accusationis composuit, quod hic adversario cum convicio exprobrat (57). Hic Plotius potissimum tangebatur edicto antiquae severitatis plenissimo, quo L. Crassus et Cn. Domitius censores a. 661 Latinos rhetores ex civi-

55) ep. Ciceronis ad Titinium apud Sueton. de clar. rhetor. c. I. 56) Errant, ut Gesnerus et Ernestus, qui Plotium poëtam faciunt propter Archiam, in quo defendendo rem prodidit Cicero c. 9. Historico opus erat ad bella Marii scripto exornanda, nec Cicero quicquam vult nisi literatum hominem significare. Contemnitur a Varrone apud Nonium v. *bubulcitare;* commemoratur Quintiliano II. 4, 42. XI. 3, 143. Senecae Controv. II. prooemio. Et Quintilianus quidem de gestu Plotium scripsisse narrat. 57) Suetonius l. c. Dicta causa Caelii a. 697.

tate tollere voluerunt, quippe impudentiae magistros ([58]). Haec impudentia sine dubio in genere institutionis inerat, quam totam illi rabularum artificiis iudicio fucum facientibus accommodabant, minime dissimiles Graecorum sophistis causam inferiorem victricem reddere ausis. Sed certum est et in rerum cursu humanis artibus immutabili positum rhetores illos vix deposita Crassi et Domitii censura rursus in civitatem irrepsisse. Neque enim censorum erat legem sancire in perpetuum valituram nec edictum censorium ultra honoris illius spatium observandi necessitas erat. Verum tam novum erat institutum, tam contempti homines, qui primi docuerunt, tam tenaces antiqui moris Romani, ut perdiu turpe haberetur docere quod honestum erat discere. Itaque peregrini aut libertini generis homines primi erant eloquentiae Latinae magistri, nec ante Augusti aetatem Blandus eques Romanus exstitit, quem primum ingenuae sortis eloquentiam docuisse dicit Seneca ([59]). Eorum, qui hac aetate viguerunt, rhetorum secundum Plotium solus M. Antonius Gnipho claritatem nominis assecutus est. Is natus in Gallia eruditus Alexandriae elegantia ingenii et doctrinae plurimos discipulos et egregiam famam est adeptus et, cum primo instituto grammaticus fuisset, tamen etiam rhetoricam tanto plausu docuit, ut Ciceronem, nec adolescentem, sed honoratum atque adeo praetorium auditorem habuerit ([60]). Sed is a. 641 natus etsi iam hac, quam tractamus, aetate floruit, tamen ad famam sui posteriore demum tempore pervenit. Debuit autem eam C. Caesari, in cuius domo primum docuisse fertur.

Cum aetas prior oratores quosdam tulisset minime contemnendos, aucta cultus et humanitatis elegantia paulo ante Sullae tempora M. Antonius et L. Crassus tanti exstiterunt, quanti sine accuratissimis literarum Graecarum studiis, nec oratorum solum, sed etiam scriptorum et philosophorum omnium, esse potuerunt. Sed rudes adhuc fuisse elegantia-

58) Totum apponitur a Suetonio l. c. et Gellio XV. 11. 59) Controv. II. prooemio. Ipsum Plotium Gallum fuisse nomen arguit: cognomen enim *Gallus* in tam ignobili homine esse non potest. 60) Sueton. de illustr. gramm. c. 7.

que destitutos auditorum plerosque illud arguit, quod M. Antonio propter inventionis felicitatem et actionis vehementiam quidam principatum detulerunt plane neglecta verborum bonitate, a qua quantum is afuerit illud indicat, quod quasi excusandi causa Ciceroni dicitur *non admodum inquinate* locutus ([61]). Talem rei ad oratoris laudem necessariae defectum aetas posterior pati non potuit: nec id in ullum cadit eorum, qui Ciceronis aequales fuerunt.

Ceterum de oratore erudiendo et exercendo, cuius rei hac aetate necessitas non sentiebatur, cum ad Ciceronis tempora pervenerimus, agendi locus erit.

§. 26.
M. Antonius.

Origines gentis Antoniae satis antiquae sunt; sed consulatum censuram et triumphum primus intulit M. Antonius orator. Mansit gens, ut Lutatia aliaeque, libertinorum et ignobilium hominum quasi rivulis deducta ad quintum usque post Christum natum seculum. Commemorat enim virum eo nomine sibi cognitum Symmachus ([62]).

M. Antonius C. F. C. N. natus est Q. Metello Macedonico Ap. Claudio Pulchro consulibus a. 611; triennio, cuius rei Cicero testis, L. Crasso maior ([63]), qui C. Laelio Q. Caepione consulibus natus est. Mature quidem, qui mos erat adolescentium, in forum venisse videri potest secundum ipsius apud Ciceronem verba, quae C. Carbonem pro L. Opimio dicentem ab eo auditum ostendunt ([64]), quae causa acta est a. 634: at tam adolescentem, quam Crassum, in causis agendis versatum esse nullo documento efficitur. Hic enim annum primum et vicesimum agens Carbonem illum accusando afflixit, ex quo inter ipsum et Antonium familiaritas quaedam et aemulatio intercessisse videtur: sed Antonius primum quaestor causam suam dixit de incestu accusatus, annum agens fere tricesimum. Narrat Valerius Maximus

61) Cic. Brut. 37, 140. 62) Symm. Epp. II. 4. 63) Cic. Bruto 43, 161. 64) Cic. de Or. II. 25, 105.

tanta fuisse innocentiae fiducia, ut cum absentis nomen delatum esset, quanquam festinans in provinciam a Brundisio in urbem rediret, cuius rei necessitatem lex Memmia sustulerat (65). Anno aut duobus annis post credendus est Cn. Carbonem accusasse. Hunc honoris causa in iudicium adductum, ut a Q. Mucio C. Albucium, a P. Sulpicio C. Norbanum, a C. Fufio M' Aquilium, a C. Curione Q. Metellum Apuleius scribit (66); accusationis, sed non addito criminum genere, etiam Cicero meminit (67). Qui cum Cn. Carbonem Cn. ter consulis patrem accurate significet, non potest alius intelligi, nisi ille, qui a. 640 a Cimbris ad Noreiam fusus et exercitu exutus est. Causa igitur maiestatis fuit: sed actor reum damnasse non videtur (68). Tribunatum inde et aedilitatem Antonius, etiam ea re Crasso similis, tacitum gessit. Ex praetura a. 650 gesta proconsulari iure Ciliciam provinciam videtur habuisse, ex qua bello maritimo praedones persecutus triumphavit (69). Consul creatus cum A. Postumio Albino a. 655 in primis seditiosum hominem Sex. Titium tribunum plebis adversum habuit, qui L. Saturnini leges et vim instaurare videretur. Hunc sese dicendo et agendo fregisse et post opportuna occasione data omnia consulatus sui consilia exposuisse ipse apud Ciceronem pluribus verbis exsequitur (70). Censuram a. 657 cum L. Valerio

---

65) Val. Max. III. 7, 9. VI. 8, 1. cf. Asconium ad Cic. p. Mil. 12. Quid Meyerum p. 282. moverit, ut Antonium immisceret causae Vestalium incesti damnatarum, quarum Liciniam L. Crassus defendit, intelligere non possum. 66) Apul. apol. mag. p. 316. Oud. 67) Cic. Divers. IX. 21. cf. Off. II. 14. Meyer. p. 283. 68) Sic intelligenda verba Ciceronis Divers. IX. 21. v. Zumpt. ad Cic. de Off. II. 14, 8. 69) Cic. de Or. I. 18, 82. Liv. epit. LXVIII. Hic proconsulem dicit: nihil enim usitatius quam sic vocari eos, qui post praeturam proconsulari iure in provincias mittebantur. 70) Cic. de Or. II. 11, 48. Pighius t. III. 157. in consulatu Macedoniam provinciam ab eo rectam dicit, non ignarus loci Ciceroniani, quem modo apposuimus, sed quod de Or. II. 48, 197. C. Norbanus post ab eo defensus ipsi quaestor fuisse dicatur. Verum neque tunc bellum erat in Macedonia, ut in ipso magistratu consulem eo mitti necesse esset, et Antonius, si consul

Flacco gessit a. 657 non immunem criminum et accusationis. A Duronio enim, quem tribunum legis sumptuariae tollendae auctorem senatu moverat, reus de ambitu factus est (71); sed credibile est, quod Pighius dicit, causam dictam non esse. Quanquam, si post magistratum abdicatum in iudicium venit, plenissime absolutum esse Antonium etiam sine testimonio clarum est. Cum enim a periclitantibus reis nullus patronus studiosius expeteretur, summam eius in foro gratiam esse oportebat. Quippe ne privatas quidem causas repudiabat, sed agebat studiose, cum in iure civili nihil admodum posset (72). Sed harum quidem tenuissima memoria relicta est, nec fortasse ullius, praeterquam M. Marii Gratidiani, cum Crassus contrarias partes tueretur (73). Publicarum crebrior mentio fit. In ipso enim consulatu acta causa clarissima M' Aquilii M' F., qui bello cum fugitivis et duce Athenione in Sicilia feliciter confecto repetundarum reus factus est. Criminum cum negari nihil posset, Antonius Hyperiden imitatus, qui Phrynes impietatis reae papillas iudicibus monstrando mulierem damnationi eripuit, tunicam a pectore M' Aquilii discidit et cicatricibus nudatis memoriam fortitudinis renovando expressit, ut absolveretur (74). Altera causa publica longe clarissima est C. Iunii Norbani tribuni plebis. Is rogatione in Q. Servilium Caepionem lata, qui sua ignavia victus a Cimbris fuerat, adversantes senatus

---

provinciam habuisset, occasione caruisset seditiosos in urbe homines frangendi. Igitur proconsulem Ciliciae quaestorem habuisse existimabimus. Quod cum praesidio ab urbe abfuisse Antonium, cum Saturninus occisus sit, Cicero dicit p. Rabir. Perd. 9., ipsum proconsulare Ciliciae imperium spectat.

71) Val. Max. II. 9, 5. cf. Cic. de Or. II. 68, 275. In censura rostra ornavit ex manubiis, Cic. de Or. III. 3, 10. 72) Brut. 57, 207. cf. de Or. I. 38, 172. 73) Cic. Off. III. 16. 74) Cic. de Or. II. 28, 124. Accus. Verr. V. 1. p. Flacco 39. Liv. epit. LXX., qui Ciceronem solum eius rei auctorem dicit, Quintilian. II. 15, 7. Accusavit Aquilium C. Fufius, non Lentulus princeps senatus, qui cum consul fuisset a. 592, ad Antonii consulatum a. 655 vix vivere, nedum causas agere potuit. Nec reperio quo teste usus Ernestus Lentulum Aquilii accusatorem dixerit. Cf. Cic. Off. II. 14, 50.

principes et collegas intercedentes vi pepulerat et effecerat, ut Caepio in exsilium ageretur. Hinc maiestatis reus factus a P. Sulpicio Rufo tum tirocinium eloquentiae ponente, sed ab Antonio, cui quaestor olim fuerat, imminenti damnationi ereptus est. Quam callide in causa tuenda versatus sit ipsum multis verbis exponentem facit Cicero in dialogis de Oratore ([75]). Acta causa a. 660 C. Caelio Cn. Domitio consulibus et Ciceronem puerum fortasse auditorem habuit, si quidem adhuc praetextati in forum et curiam ibant dicentibus auscultaturi: quod de se certe Crassi auditore ille testatur ([76]). Quae iunctae cum aliis causis ab Antonio dictis commemorantur Cn. Mallii et Q. Marcii Regis a non nullis partes orationis Norbanianae habentur ([77]). Sed vocabulum *commiserationis* utrique separatim tributum, quod perorationem s. *ἐπίλογον* orationum significat, contrarium arguunt: nisi quis *alias innumerabiles*, quas deinceps verbo tangit Cicero, ipsas quoque dictionis pro Norbano partes esse vult, ut infinitae multitudinis in una causa patronus exstiterit. Regis causa ignota est, nec quisquam eius nominis vir a Cimbris vinci potuit, quem ad modum Caepio et Mallius victi sunt. Postremo Antonius, ut omnes fere illa aetate civitatis principes, pro se dixit lege Varia, in qua defensione actionis laudatur gravitas et vehementia ([78]). Belli Italici certe primo anno ([79]), Antonius ab urbe afuit, sive quod legatus esset, sive quod Italiae aliquam partem tuendam cum imperio accepisset, ut omnes tunc consulares rebus gestis insignes. Bello qualicunque modo composito cum exitiabilis inter Marium et Sullam discordia exarsisset, ut optimates omnes non potuit, quin Sullanis partibus sese applicaret. Hinc Mario in urbem revocato, cum Sulla in Graecia bellum cum Mithridate rege gereret, hospitis inscitia proditus aut illius aut Cinnae iussu interfectus caputque in rostris positum est ([80]).

---

75) Cic. de Or. II. 25, 107. in primis autem 48. sqq. et de lege Appuleia c. 49, 201. cf. Val. Max. VIII. 5, 2. 76) de Or. III. 2, 5. 77) Ut Westermanno p. 109. v. Cic. de Or. II. 28, 125. 78) Cic. Tusc. II. 24, 57. 79) Cic. Brut. 89, 204. 80) Cic. de Or. III. 3, 10. Brut. 89, 307. Liv. epit. LXXX. Plut. Mar. 44.

Non modo cum L. Crasso de laude oratoria aemulo, Catulo maiore et Caesare Strabone familiaritatem habuisse scimus Antonium, sed cum omnibus fere, qui tunc essent, viris illustribus mutuae benevolentiae vinculo iunctus videtur fuisse. Neque causa ulla cogitari potest, cur C. Marius, cuius maerore in defendendo M' Aquilio magnopere adiutus dicitur, post in internecinum eius odium exarserit. Nam nec Saturniniani temporis memoria tantum valere debuit et Aquilii causa quatuor annis post acta est. Gaudet autem Cicero non mediocriter, cum gratos fuisse Antonio patruum ipsius L. Ciceronem et affines L. Aculeonem et M. Marium Gratidianum inculcare potest ([81]). Moribus probatum Antonium fuisse puto, quem, quod octo servos habuerit, in antiquae parsimoniae exemplis ponat Apuleius ([82]). Nam quod vulgo prodigorum erat, ut tabulas conficere non crederetur, et falsum erat et Cicero ipsius persona indutus refutat ([83]). Sero et leviter literas attigisse et mos plurimorum, qui tum causis dicendis operam dabant, et ipsius apud Ciceronem dictum ([84]) ostendit. Nam cum pro consule navigans in Ciliciam Athenas appulisset, philosophiae praecepta primum sese gustasse affirmat. Praeterea ius civile, cuius in causis forensibus maximus usus erat, non ignorabat modo, sed ignorare prae se ferebat, cum non esset peregrinum et adventicium, sed Romanum et domesticum artis genus. Accedit, quod ne emendate quidem loquebatur, sed eis verbis, quibus in vulgus etiam minus cultis uti mos erat, auditoribus ab oratore satis fieri posse putabat.

Cicero sane in libris de Oratore id agere videtur, ut Antonius literas Graecas optime cognosse et acute iudicasse, sed propter aequalium superstitionem a peregrinis artibus

---

Appian. B. Civ. I. 72. Val. Max. VIII. 9, 2. IX. 2, 2. Vell. II. 22.

81) Cic. de Or. II. 1, 1. 82) Apul. de mag. p. 31. Bip. 83) Cic. de Or. II. 23, 97. Vetus interpres Verrinarum de filio Antonio Cretico intellexit, qui sane prodigus. Correxit Lipsius Var. Lectt. I. 7. p. 803. 84) Cic. de Or. I. 18, 82.

abhorrentium dissimulasse videatur ([85]): sed qui rationem et consilium eorum librorum accuratius introspexerit, rem plane aliam esse intelliget. Erat enim hoc, ut colloquio ad Platonicam rationem instituto duas contrarias de eloquentia sententias, essetne illa ars an usus quidam artis expers, inter se compararet. Id ut elegantiore quadam specie praetexeretur, utrique sententiae oratores ante suam aetatem praestantissimos praefecit. Horum Crassus Ciceronis sententiam defendit oratorem esse non posse, nisi qui omnium literarum ambitum studio suo emensus quicquid bonarum artium sciri posset mente complecteretur: quae sententia tum apud Romanos nova erat necdum usu recepta. Alteram Antonius tuetur, oratorem non fieri, sed nasci; literas utiles, non necessarias: quam artium iudicandarum rationem Romanis antiquitus placuisse scimus. Quod si Antonium eruditissimum fuisse, sed eruditionis suae dissimulatorem Cicero affirmat, factum ea de causa est, ne plane imperito homini partibus in colloquio praecipuis assignatis ille et eo munere indignus et iniuria summus orator habitus videretur ([86]). Et hinc et ipsi de Antonio recte iudicare discemus et Ciceronis iudicium recte intelligemus. Fuit enim Antonius natura magnus et admirabilis orator, sed nihil didicerat, nisi usu; literatis auscultabat non propter necessitatem discendi, sed ut sese oblectaret; forum ludum existimabat, in quo discendum esset ([87]). Haec si tenuerimus, Ciceronis in Bruto iudicium sequentes satis honorifice de Antonio existimabimus ([88]). Inventione ordine partitionis et disponendorum argumentorum vehementia commiserandi actione denique apta et affectus plenissima omnes suae aetatis oratores superabat. Sed haec bona magis iudicialem oratorem adiuvabant reos quamvis noxios qualicunque ratione a damnatione tueri cupientem, quam virum in re publica gerenda magnum et cum suadendis

85) Cic. de Or. II. 1, 4. 36, 153. 86) Non adversatur huic sententiae, quod Sulpicium et ipsum Ciceronem de rebus oratoriis edocuisse dicitur de Or. II. 1, 3. I. 21, 97.; erat enim periti, non literati. 87) Cic. de Or. I. 21, 89. 88) Cic. Brut. 37 sqq. cf. de Or. III. 9, 32.

dissuadendisque in contione legibus, tum sententiae senatoriae principem. Dicit enim diserte Cicero Antonii dicendi genus longe aptius fuisse iudiciis, quam contionibus ([89]), et ipse paululum dubitat num Antonius et Crassus, quamvis maximi oratores, summi fuerint dicendi artifices ([90]). Aliorum testium iudicia cum his Ciceronianis apte conspirant. Pluribus locis laudatur a Quintiliano et Velleio ([91]); in dialogo de oratoribus quae Antonii erant Apro propter similitudinem ingenii probabiliter tribuuntur ([92]); Macrobius eius dicendi genus ardens erectum infensum dicit ([93]).

Nihil admodum scripsisse Antonium ex Cicerone audimus ([94]), eiusque rei causam idem tradidit ([95]). Idcirco enim aiebat Antonius se nullam orationem scripsisse, ut, si quid superiore iudicio actum ei nocere posset, quem postea defensurus esset, dictum a se esse negaret. Sed accedunt aliae causae plures. Nam viro multis occupationibus obsesso et a reis ita expetito facile deesse poterat otium conscribendarum orationum, in exercitatissimo praesertim et seditiosissimo rei publicae tempore. Nec mos erat oratoribus veteribus scriptas edere orationes. Quod tot orationes M. Catonis exstabant, viri egregii, sed suae laudis cupidioris diligentiae debetur, qui maxime insignes Originibus suis inseruit. Quod C. Gracchi plurimae ferebantur, viri popularis memoriae a sectatoribus studiose retentae tribuendum videtur. Sed nec Scauri nec Rutilii nec Catuli nec antiquiorum Scipionis et Laelii, quin ne Crassi quidem, nisi paucarum dictionum literis consignata monumenta exstabant. Igitur testimonii ab Antonio pro contione dicti *in Sex. Titium* capita Cicero in libro secundo de Oratore servavit ([96]); dictionis *pro M' Aquilio* partem quandam ex peroratione desumptam in eodem libro, sed Ciceronis verbis accommodatam legimus ([97]); causae *Norbanianae* constitutio ipsis Antonii verbis proposita et

89) Cic. Brut. 44, 165. 90) Cic. Brut. 44, 162. 91) Velleius II. 9. 18. 22. 92) Dial. de Or. 2. 93) Macrobius Saturnal. V. I. p. 473. Zeun. 94) Cic. Brut. 44, 163. 95) Cic. p. Cluentio 50. et ex eo Valerius Maximus VII. 3, 5. 96) de Or. II. 11, 48. 97) de Or. II. 47.

totius orationis ordo et partitio apud eundem exstat (98); item caput illud, in quo vertebatur causa *Gratidiani* contra Crassum dicta ab Antonio (99). Sed ex iis, quae Cicero de Or. II. 54, 257. narrat de testimonio C. Caelii Caldi, etsi ego olim et Meyerus putavimus, minime efficitur causam de ambitu contra M. Duronium dictam esse; possunt enim illa ad causam plane aliam nec Antonii referri. Clarum est autem ex Ciceronis, quibus iam usi sumus, verbis (400) has Antonii orationum reliquias auditorum auribus retentas, non Antonii manu scriptas et editas. Ipse enim nihil scripti edidit quam sane exilem quendam *de ratione dicendi* libellum, quae verba Ciceronis sunt (1): quem cum imprudenti Antonio excidisse alio loco Cicero affirmat, id excusando de tenuitate libelli Antonio dicit (2). Huius duae particulae exstant. Altera, cuius sententia notissima est et a multis trita, sese disertos vidisse plures, eloquentem adhuc neminem, compluribus locis a Cicerone posita est (3). Alteram Quintilianus servavit simplici et antiqua quadam venustate commendabilem (4); qua fontes qui sint et causae orationum breviter enumerantur. Mansit is libellus ad Quintiliani aetatem a plerisque sine dubio, quae erat illius seculi perversitas, contemptus.

§. 27.
L. Crassus.

Aequalis Antonii et oratoriae laudis aemulus fuit *L. Licinius Crassus*, Ciceronis, qui hunc sibi similiorem fuisse vult, testimonio et laude magis etiam nobilitatus. Pater eius ad summum in civitate honorem non pervenit, sed intra praeturam constitisse putandus est: si quidem de P. Crasso Muciano cogitari non potest, ut olim visum mihi et aliis (5). Natus L. Crassus est C. Laelio et Q. Servilio Caepione con-

98) de Or. II. 39, 164. 99) Cic. Off. III. 16, 67. 400) Brut. 44, 163. Imitatione quaedam ex Aquiliana defensione expressa credi possunt a Rhet. Herenn. IV. 38. 39. ex Norbaniana IV. 46. 1) Cic. Brut. 44, 163. 2) Cic. de Or. I. 21, 94. 3) Cic. Or. 5, 18. 30, 106. Plin. Epp. V. 20. Quintil. prooem. VIII. 13. 4) III. 6, 45. 5) Vide Cic. de Or. I. 37, 170.

sulibus a. 614: triennio minor, quam Antonius (6). Quaestor a. 643 Asiam provinciam habuit: qui enim Ciceronis locus adversari videtur (7) percommode sic intelligetur, ut Crassus terrestri itinere usus, cum aliquod tempus in Macedonia moratus esset, Athenas pervenerit. Deinde tribunus plebis fuit, quem magistratum tacitum Cicero vocat (8). Hoc uno Q. Scaevolam collegam non habuit, si censuram non numeraveris, quam nullus Scaevolarum petivit (9); ille enim tribunatum anno post gessit.

Aedilitate magnificentissima functus est a. 651, cum tribunatum quatuor annis ante gessisset, non tribus, ut voluit Pighius; nam locus Bruti Ciceroniani, quo modo usi sumus (10), a. 648, quo lata est lex Servilia iudiciaria privatum fuisse ostendit. Praeturam M. Antonio consule gessit a. 655; ignoratur autem iurisdictioni an quaestioni exercendae praefuerit. Proximus enim annus is est, quo Q. Mucius Crassi collega perpetuus Asiam proconsulari ex praetura imperio rexit cum legato P. Rutilio. Denique cum eodem Q. Mucio consul creatus est a. 659. In ipso consulatu provinciam Galliam sortitus cum iusto cupidior triumphi causas belli gerendi paulo importunius rimatus esset, triumphi honore privatus est auctoritate collegae: nec tamen id eorum amicitiae offecit. Valerius quidem Maximus pro consule Galliae Crassum praefuisse dicit (11); sed adversari videtur Ciceronis auctoritas haud paulo gravior. Cum enim Crassus vir apud omnes ordines gratiosus et in senatu potens collega auctore honorem non adeptus dicatur, quomodo privari eo nisi intercessione potuit? et quomodo intercessio collegae cogitari potest, nisi in ipso magistratu? Praeterea duo consules Crassus et Scaevola homines prudentissimi imprudentissimam legem Liciniam Muciam tulere, ne quis pro cive se gereret, qui non esset civis: qua lege socii spe destitutos sese videntes non mediocriter incitati esse dicuntur ad bellum Italicum conflandum (12). Denique honorum cumulus Crasso accessit cen-

6) Cic. Brut. 43, 161. 7) Cic. de Or. I. 11, 45. 8) Cic. Brut. 43, 160. 9) l. c. §. 161. 10) l. c. 11) Val. Max. III. 7, 6. Contra vide Cic. in Pisonem c. 26. 12) Asconius ad Cornelianam p. 67. Orell.

sura cum Cn. Domitio Ahenobarbo gesta a. 661; qui censores quo edicto rhetores Latinos ex civitate sustulerint alio loco memoravimus. Sed nobilis censura illa est propter discordiam cum collega viro non spernenda auctoritate et facundia: cuius discordiae causam ignoramus, scimus autem maximis altercationibus palam factam; in quo genere cum Crassus adversario suo longe esset superior, clamores, quibus teste Cicerone populus altercationem illam prosecutus est, Crasso plaudentium et assentientium fuisse putandi sunt ([13]), praesertim cum inanis Domitii et innata familiae vanitas multa ridicula haberet, in quibus reprehensor satis iculariter versari posset ([14]). Praeter hos honores gestos etiam auguratu Crassus insignis erat ([15]). Post censuram administratam, in qua propter discordiam cum collega nec censum egit nec lustrum condidit ([16]), cum liberum otium habiturus etiam ex senatu paulisper cedere et causas iudiciales abdicare constituisset, vix quinquagesimum ingressus annum praematura morte abreptus est. Fregerat enim nimia contentione dicendi vires, cum senatum adversus L. Philippi consulis iniurias tueretur. Hunc viri egregii exitum Cicero narrans et laudes eius summa dicendi ubertate celebravit et calamitates rei publicae, quibus quasi fortunato casu ille ereptus est, eis verborum ponderibus deploravit, ut, si omnia Ciceronis scripta perlustrem, hac narratione elegantiorem aut graviorem nullam reperiam ([17]).

Plura testimonia efficiunt, ut Crassum antiqua severitate praeditum fuisse vitamque eius reprehensione omnino caruisse credamus. Certe luxuriosi non est, quod aeratis tricliniis usus esse et duo sola pocula argentea Mentoris manu sculpta nec quicquam praeterea caelati habuisse fertur, et ne illis quidem uti ausus esse propter verecundiam ([18]). Rursus, si fides Plinio varios et incertos auctores sequenti, balneas calidas in ipso mari, si non fecit, at possedit tamen ([19]);

13) Cic. Brut. 44, 164. 14) Cic. de Or. II. 59, 242. 15) Cic. de Or. I. 10, 39. 16) Plin. H. N. XVII. 1. 17) de Or. III. 1. sqq. 18) Plin. H. N. XXXIV. 3. 19) Plin. H. N. XXXI. 2.

puerilem piscium amorem, quo etiam L. Philippus et Q. Hortensius tenebantur, Domitius in altercatione obiecit ([20]), Brutus autem accusator, quod columnas marmoreas ex aedilitate in domum suam transtulisset ([21]). Quanquam huius hominis, cum quod ab inimicis multa mendacia utrobique iaci in orationibus solebant, tum propter vitae sordes et nequitiam minime certa fides fuit.

Mature sese in forum venisse cum ipse apud Ciceronem testatur ([22]), tum alii docuerunt scriptores ([23]). Verum quod puerum se in forum venisse dicit, id verbis extenuatum est, quam *μείωσιν* Graeci dicunt. Erat enim, quod annorum computatione facile efficitur, annos unum et viginti natus, cum primam causam egit C. Carbonem accusans. Quod scriptor dialogi de oratoribus ([24]) undeviginti habet, errat; gravius etiam peccarunt Lambinus et Pearcius Ciceronem contra fidem historiae ex dialogo corrigentes. Huius accusationis postea poenituisse Crassum quod Cicero dicit ([25]), etsi magis in huius tempora quam illius cadit, tamen veri similitudine non omnino destituitur. Iam enim invalescebat mos amicitias et clientelas veritati et iustitiae anteponendi; accedit, quod propter illam accusationem hominem et nobilem et studio rei publicae insignem C. Carbonem damnati illius filium inimicum habuit, et iis quidem temporibus, quibus magnopere ex re optimatium esset non discordia castra habere ([26]). Illius actionis una particula exstat apud Ciceronem servata, quae ipsa capita potius quaedam orationis, quam loci excerpti similitudinem refert ([27]). Sequitur causa *Liciniae virginis* Vestalis acta a. 641 Crassi vigesimo septimo. Cum enim Aemilia Vestalis maxima stuprum fecisset cum Betucio Barro equite Romano et, quo tectior esset, duas virgines Marciam et Liciniam illius hominis sodalibus conciliasset, illa quidem a collegio pontificum damnata est, hae

20) Plin. H. N. XVII. 1. Macrob. Sat. II. p. 389. Z. 21) Plin. H. N. XXXVI. 3. 22) Cic. de Or. III. 20, 74. Brut. 43, 159. Off. II. 13. 23) Quintil. XII. 6, 1. dial. de oratt. 34. 24) l. c. 25) Cic. Verr. Accus. III. 1. 26) Cic. de Or. III. 3, 10. Val. Max. III. 7, 6. 27) Cic. de Or. II. 40, 170.

insontes iudicatae. Sed Sex. Peducaeus tribunus plebis criminosis contionibus L. Metellum pontificem maximum totumque collegium apud populum in tantam adduxit invidiam, ut rogatione ipsius L. Cassius, scopulus reorum dictus ob severitatem, quaesitor crearetur, qui de causa illa cognosceret ([28]). Defendit igitur Crassus gentilem suam, sed etsi eloquentissimus visus, quo minus damnaretur, prohibere non potuit. Huius defensionis partes quaedam scriptae Ciceronis aetate exstabant ([29]), nunc praeter nomen nihil relictum est. Deinde, si fides Ciceroni habenda ([30]), causam *coloniae Narbonensis* deducendae egit popularium partes secutus; optimates enim resistebant, ne reditus ex agro publico minuerentur. Quanquam errat ille hanc dictionem Liciniana defensione posteriorem ponens: deducta enim colonia Narbo a. 636, Crassi vicesimo tertio ([31]). Huius orationis etsi non infrequens est memoria, tamen praeter sententiam quandam brevissimam eamque Ciceronis verbis accommodatam nihil ex ea reliquum est ([32]). Multas deinde causas a Crasso dictas cum per se veri simile est, tum Ciceronis verbis confirmatur ([33]); verum ne nomina quidem earum ad nos perlata sunt. Iam temporum ordine proxima est *suasio legis Serviliae* de iudiciis equitum cum senatu communicandis; ea lex lata a consule Q. Servilio Caepione a. 648, qui Ciceroni natalis fuit, Crasso quartus et tricesimus ([34]). Num perlata sit incertum est; certe paucis annis post, cum Crassus Cn. Plancium defendit adversus accusatorem Brutum, equites iudicabant ([35]); et a. 659 M. Livius Drusus legem Serviliae simillimam tulit. Quanquam sunt qui Serviliam consulis alia Servilia Glauciae praetoris sublatam putent, velut Ernestus. Hos autem pro-

28) Sic accurate Asconius ad Milonianam c. 12. cf. Liv. epit. LXIII. Plutarch. Quaest. R. p. 360. Hutt., apud quem corrigendum *Βετούτιος Βάῤῥος* pro *Βουτέτιος βάρβαρος*, castigandus autem error scriptoris rem ad Punica tempora referentis. 29) Cic. Brut. 43, 160. 30) Cic. l. c. 31) Vellei. I. 15. cf. Cic. de Or. II. 55, 223. p. Cluent. 51. Quintilian. VI. 3, 44. 32) Cic. Off. II. 18, 63. 33) Cic. Brut. l. c. 34) Cic. Brut. 43, 161. 35) Cic. Cluent. 51.

bare non licet et quia, cum duo consules C. Marius et L. Flaccus in urbe essent, praetori legis ferendae ius non erat; et quia legem centuriatam, quam solam rogare magistratibus maioribus licebat, ex senatus consulto ferri oportebat, nec senatus eius legis auctor futurus erat, qua iudicia ab ipso transferrentur ad equites. Accedit, quod patronus senatus iam propter latam legem Caepio dici potuit. Huius suasionis, quam sibi a puero quasi magistram fuisse dicit Cicero ([36]) particulae quaedam exstant apud Ciceronem et Priscianum ([37]) et capita ab oratore dicendo exposita ([38]). Hac occasione Crassus fortasse etiam in *C. Memmium* hominem tum maxime popularem contionatus est; cuius contionis duo loci exstant, quorum altero sane ridicula de Memmio narratio continetur ([39]). Sequitur oratio *pro Q. Caepione*, quem C. Norbanus tribunus propter amissum exercitum de maiestate postulaverat; quam defensioni iunctam Cicero dicit ([40]) id est argumento laudatoriam, sed defendendo reo destinatam. Quanquam nec maiestas Crassi, quo consule acta res est, nec eloquentia contra tribunicios furores et vim seditionis valuit. Deinde altercationem censor cum collega Cn. Domitio habuit, cuius quasdam sententias apud scriptores retentas scimus ([41]). Denique patrum auctoritatem contra L. Philippum consulem defendens fulmina illa vibravit oratione senatoria, quorum quaedam apud Ciceronem principio libri de Oratore tertii cum admiratione legimus ([42]). Incerto tempore actae causae sunt *L. Sergii Oratae* contra M. Antonium Marii Gratidiani patronum, cuius defensionis capita Cicero paucis exponit ([43]); deinde *Pisonis*, ex qua servatum est

36) Cic. Brut. 44, 164. 37) Cic. de Or. I. 52, 225., cuius loci postrema verba in *ὁμοιοτελεύτου* exemplum habet Scr. ad Herenn. IV. 3. Or. 65, 219. cf. Quintil. IX. 4. 109. Priscian. VIII. p. 824. P. 411. K. 38) Cic. Brut. l. c. 39) Cic. de Or. II. 59, 240. 66, 267. 40) Cic. Brut. 44, 162. 41) Cic. de Or. II. 11, 45. 59, 242. Suet. Ner. 2. Val. Max. IX. 1, 4. Plin. H. N. XVII. 1. Macrob. Sat. II. 11. Plut. Praec. Pol. t. XII. p. 267. de cap. ex host. util. VII. p. 276. de soll. anim. XIII. p. 180. 42) Cic. de Or. III. 1, 4. 2, 5. Quintil. VIII. 3, 89. Val. Max. VI. 2, 2. 43) Cic. Off. III. 16, 67.

ridiculum *παρὰ προςδοκίαν*, quo testem quendam in Pisonem prodeuntem confudit ([44]); ridiculum est etiam illud ex tempore dictum in causa *C. Aculeonis* contra Gratidianum, quod in L. Lamiam hominem deformem iecit ([45]). Praeterea ex defensione *Cn. Plancii* contra M. Brutum hominem vita accusatoria infamem locus prolixior servatus est, qui in irrisione adversarii severiore quadam versatur et rebus tam gravis, verbis tam ornatus est, ut nihil possit supra ([46]). Verum omnium fere, quas Crassus egit, causarum nobilissima est *M' Curii* de hereditate M. Coponii, acta, si Pighio fides, C. Claudio M. Perperna coss. apud T. Manilium praetorem a. 662; sed res incerta. Is Curium, si ipsi filius natus et postea mortuus esset, heredem scripserat; cum igitur filius natus non esset nec igitur mori potuisset, Curius hereditatem petivit ex aequo et bono: nihil enim dici illis testamenti verbis, nisi heredem institui Curium, si proles Coponio nulla superstes esset. At Q. Scaevola toties collega Crassi scriptum defendebat, ut hereditas agnatis cederet. Quibus argumentis Crassus institerit Cicero in Bruto tradidit ([47]); idem alio loco dictorum particulam servavit ([48]) multisque locis hanc orationem eis laudibus extollit, ut plurimos ignobiliores triumphos uni illi dictioni postponat ([49]). Vicit autem Crassi eloquentia iuris peritiam Scaevolae ([50]). Incertae sedis sententiae duae exstant ([51]).

Opinio erat Cicerone puero recepta Crassum non plus didicisse, quam institutione puerili percipere potuisset; in qua opinione refutanda Cicero studiose versatur in exordio libri secundi de Oratore. Et ut non multum tribuamus illis argumentis sic eum Graece locutum, nullam ut aliam linguam nosse videretur, et Ciceronis pueri studia rexisse et ea per-

44) Cic. de Or. II. 70, 285. 45) Cic. de Or. II. 65, 262. 46) Cic. de Or. II. 55. 47) Cic. de Or. II. 57, 242. Brut. 53, 194. 48) Cic. de Or. II. 6, 24. 49) Cic. Brut. 73, 256. cf. p. Caecina 18. et 24. 50) Cic. de Or. II. 57, 243. 51) Cic. Or. 66, 223. Philipp. XIV. 6. extr., hoc quidem a scriptoribus huius argumenti nondum repertum. Locus Val. Max. IX. 1, 1. ex oratione pro Considio nescio quo in Oratam desumptus est.

contantem doctis posuisse, ut summa artium peritia eluceret, tamen alia sunt, quae illiteratum Crassum videri non sinant, sed Romanorum principum ante Ciceronem fere eruditissimum fuisse persuadeant. Cum Archia enim poëta familiariter vixit ([52]); a L. Caelio Antipatro literas cum Graecas tum Romanas didicit ([53]); Athenis plurimum versatus est cum scholarum philosophicarum principibus, qui tunc erant, omnibus, Academicis Charmada et Clitomacho, Mnesarcho Stoico, Diodoro Peripatetico; quin etiam duce Charmada legendo Platonis Gorgia viri inter philosophos divini artem et praestantiam cognovit ([54]). Sed Romanorum more faciendo quam dicendo intentiorum pauca scripsit et forensium causarum senatoriique muneris mole paene obrutus, praesertim cum ad senectutis exoptatum otium non pervenisset, ne orationum quidem suarum nisi partes quasdam et commentaria quasi uberiora reliquit ([55]). Tamen et accurate de artificio eloquendi cogitavit et Graecis vertendis et imitandis sese diligenter exercuit ([56]) et iuris peritiam minime vulgarem sibi comparavit. Nec illud Cicero similis olim operis consilium agitans totum fingere potuit Crassum id sibi proposuisse, ut rudem adhuc et indigestam iuris civilis molem dialecticae ope in artem discendi cupidis facilem redigeret ([57]).

Ut recte igitur iudicemus quantum Crassus in doctrina profecerit, ducem Ciceronem sequemur. Is cum laudibus immodicis et paene divinis, quibus solet, eum cumulasset, ut veritatem facilius assequare, haec temperamenti causa Crassi ipsius persona usus interposuit ([58]): „ego enim is sum, qui, cum summo studio patris in pueritia doctus essem et in forum ingenii tantum, quantum ipse sentio, non quantum forsitan vobis videar, detulissem, non possim dicere me haec, quae nunc complector, perinde ut dicam discenda esse didicisse: quippe qui omnium maturrime ad publicas causas

52) Cic. Arch. 3, 6. 53) Cic. Brut. 26, 102. de Or. III. 13, 54. 54) Cic. de Or. I. 11, 47. II. 90, 365. III. 20, 75. 55) Cic. Brut. 44, 160. 163. 164. 56) Cic. de Or. I. 34, 154. 57) Cic. de Or. II. 33, 142. cf. Brut. 39, 145. 58) de Or. III. 20, 74.

ridiculum παρὰ προςδοκίαν, quo testem quendam in Pisonem prodeuntem confudit ([44]); ridiculum est etiam illud ex tempore dictum in causa *C. Aculeonis* contra Gratidianum, quod in L. Lamiam hominem deformem iecit ([45]). Praeterea ex defensione *Cn. Plancii* contra M. Brutum hominem vita accusatoria infamem locus prolixior servatus est, qui in irrisione adversarii severiore quadam versatur et rebus tam gravis, verbis tam ornatus est, ut nihil possit supra ([46]). Verum omnium fere, quas Crassus egit, causarum nobilissima est *M' Curii* de hereditate M. Coponii, acta, si Pighio fides, C. Claudio M. Perperna coss. apud T. Manilium praetorem a. 662; sed res incerta. Is Curium, si ipsi filius natus et postea mortuus esset, heredem scripserat; cum igitur filius natus non esset nec igitur mori potuisset, Curius hereditatem petivit ex aequo et bono: nihil enim dici illis testamenti verbis, nisi heredem institui Curium, si proles Coponio nulla superstes esset. At Q. Scaevola toties collega Crassi scriptum defendebat, ut hereditas agnatis cederet. Quibus argumentis Crassus institerit Cicero in Bruto tradidit ([47]); idem alio loco dictorum particulam servavit ([48]) multisque locis hanc orationem eis laudibus extollit, ut plurimos ignobiliores triumphos uni illi dictioni postponat ([49]). Vicit autem Crassi eloquentia iuris peritiam Scaevolae ([50]). Incertae sedis sententiae duae exstant ([51]).

Opinio erat Cicerone puero recepta Crassum non plus didicisse, quam institutione puerili percipere potuisset; in qua opinione refutanda Cicero studiose versatur in exordio libri secundi de Oratore. Et ut non multum tribuamus illis argumentis sic eum Graece locutum, nullam ut aliam linguam nosse videretur, et Ciceronis pueri studia rexisse et ea per-

44) Cic. de Or. II. 70, 285. 45) Cic. de Or. II. 65, 262. 46) Cic. de Or. II. 55. 47) Cic. de Or. II. 57, 242. Brut. 53, 194. 48) Cic. de Or. II. 6, 24. 49) Cic. Brut. 73, 256. cf. p. Caecina 18. et 24. 50) Cic. de Or. II. 57, 243. 51) Cic. Or. 66, 223. Philipp. XIV. 6. extr., hoc quidem a scriptoribus huius argumenti nondum repertum. Locus Val. Max. IX. 1, 1. ex oratione pro Considio nescio quo in Oratam desumptus est.

contantem doctis posuisse, ut summa artium peritia eluceret, tamen alia sunt, quae illiteratum Crassum videri non sinant, sed Romanorum principum ante Ciceronem fere eruditissimum fuisse persuadeant. Cum Archia enim poëta familiariter vixit ([52]); a L. Caelio Antipatro literas cum Graecas tum Romanas didicit ([53]); Athenis plurimum versatus est cum scholarum philosophicarum principibus, qui tunc erant, omnibus, Academicis Charmada et Clitomacho, Mnesarcho Stoico, Diodoro Peripatetico; quin etiam duce Charmada legendo Platonis Gorgia viri inter philosophos divini artem et praestantiam cognovit ([54]). Sed Romanorum more faciendo quam dicendo intentiorum pauca scripsit et forensium causarum senatoriique muneris mole paene obrutus, praesertim cum ad senectutis exoptatum otium non pervenisset, ne orationum quidem suarum nisi partes quasdam et commentaria quasi uberiora reliquit ([55]). Tamen et accurate de artificio eloquendi cogitavit et Graecis vertendis et imitandis sese diligenter exercuit ([56]) et iuris peritiam minime vulgarem sibi comparavit. Nec illud Cicero similis olim operis consilium agitans totum fingere potuit Crassum id sibi proposuisse, ut rudem adhuc et indigestam iuris civilis molem dialecticae ope in artem discendi cupidis facilem redigeret ([57]).

Ut recte igitur iudicemus quantum Crassus in doctrina profecerit, ducem Ciceronem sequemur. Is cum laudibus immodicis et paene divinis, quibus solet, eum cumulasset, ut veritatem facilius assequare, haec temperamenti causa Crassi ipsius persona usus interposuit ([58]): „ego enim is sum, qui, cum summo studio patris in pueritia doctus essem et in forum ingenii tantum, quantum ipse sentio, non quantum forsitan vobis videar, detulissem, non possim dicere me haec, quae nunc complector, perinde ut dicam discenda esse didicisse: quippe qui omnium maturrime ad publicas causas

52) Cic. Arch. 3, 6. 53) Cic. Brut. 26, 102. de Or. III. 13, 54. 54) Cic. de Or. I. 11, 47. II. 90, 365. III. 20, 75. 55) Cic. Brut. 44, 160. 163. 164. 56) Cic. de Or. I. 34, 154. 57) Cic. de Or. II. 33, 142. cf. Brut. 39, 145. 58) de Or. III. 20, 74.

accesserim annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim; cui disciplina fuerit forum, magister usus et leges et instituta populi Romani mosque maiorum." Non potuit adeo impudenter mentiri Cicero, ut hominem vix initiis literarum imbutum summo patris studio doctum diceret; sed recte indicavit sensisse Crassum perfecto oratori artes omnes scientia esse complectendas, temporibus tamen et suis et rei publicae impeditum id assequi non potuisse. Ineptum esset in laudanda viri praestantis eloquentia Ciceronem superare velle: paucis igitur ut defungamur, ingenio summum, studio indefatigabili tantum assecutum existimabimus in inveniendo partiendo dicendo agendo, quantum sine accuratissima omnium artium cognitione et intelligentia potuerit; fuisse eundem patronum acutissimum, senatoriae sententiae auctorem gravissimum, contionatorem acerrimum et, si a reis manifestae culpae convictis non ita expetitus sit, ut Antonius, causam eius rei non in facultate, sed in voluntate dicendi quaerendam esse putabimus, quod rei publicae opitulari quam homines noxios debitae poenae subtrahere maluerit (59). Nemo gravius senatus auctoritatem a lubidine consulis tutari (60) nemo cum maiore ipsius dignitate irridere adversarium potuit (61), nemo emendatius pressius elegantius cogitata eloqui; omnia Ciceronis scripta perscrutatus, non reperies quicquam, quo in illis dicendi partibus Crassus Cicerone inferior videatur. Si

59) Cic. Brut. 38. 42—44. 53. cf. de Or. I. 26, 122. II. 45, 188. 54, 220. III. 9, 33. 12, 47. Off. I. 30, 108. De lepore consentit Quintilianus VI. 3, 43., de gravitate gestus XI. 3, 94. Artificiosam compositionem, qua parte ante Ciceronem claudicabatur, laudat Cic. Or. 65, 219. cf. Quintil. IX. 4, 109. Hinc nomen eius tanquam summi patroni habitum, Cic. p. Quinctio 26. Div. in Caecil. 8. Ser. ad Herenn. IV. 2. Vell. II. 9. et 36. Plin. H. N. XVII. 1. dial. de Or. 26. Macrob. V. 1. p. 483. Zeun. Sulpicius ingenio diversissimus Crassum imitari volebat: Cic. Brut. 55, 203. Quis fuerit Septimius ille, de quo idem tradunt Quintil. VIII. 3, 22. Priscian. ex Cic. p. Vareno III. p. 136 Kr., qui contra Erucium Antoniastrum vocat, ignoratur. 60) Cic. de Or. III. 1, 4. 61) Cic. de Or. II. 55, 223 sqq.

fuit, ornatiore et literatiore dicendi genere superatus est; quibus rebus cum ne Demosthenes quidem Ciceronem aequet, tamen gravitate fulminum in hostes civitatis vibratorum longe maior orator existimabitur, donec veritatis sensus apud homines valebit. Iocorum quidem leporis urbanitatis, quae in Crasso fuit (62) vix tenuis quaedam umbra ad nos pervenire potuit; actionis vis et artificium (63) in audientium animis movendis potentissimum legentes fugit: sed ex pauculis dictionum reliquiis ea spirat ingenii maturitas sententiarum dignitas verborum elegantia affectuum non miserationi et fletibus movendis accommodatorum, sed grandium et nobilis cuiusdam indignationis plenissimorum vehementia, ut, si omnia Crassi praeter divina illa verba in Philippum dicta ignoraremus, tamen eloquentiae Romanae secundum Ciceronem princeps videretur.

Seculo post Christum altero Crassi memoriâ exaruit; nec enim apud Frontonem nec apud Gellium eius mentionem fieri videmus. Hi enim nimis studiosi antiquorum cultius Crassi ingenium, sed nec multis nec politis literarum monumentis consignatum negligebant, Catonum Scipionum Gracchorum admiratores.

§. 28.

L. Philippus.

Summis duumviris M. Antonio et L. Crasso aetate proxime accedebat, instituto vitae et rei publicae gerendae dissimillimus erat L. Marcius Q. F. Philippus (64). Paucis hunc annis L. Crasso minorem fuisse oportet, si quidem praeturam gessit a. 656 et, cum ne suo quidem anno consu-

62) Cic. de Or. II. 54, 220. 63) Cic. Brut. 43, 158. de Or. II. 45, 188. 64) De hoc scripsit Brossius (des Brosses) in histor. Acad. Paris. litt. elegg. vol. XXVII. p. 406 sqq. De aetate eius manifestus est Westermanni error p. 100. a. 629 natum existimantis. Quo modo enim *senex* dici potuisset, cum pro Cn. Pompeii bonis diceret a. 668? quod tamen fieri videmus Cic. Brut. 64, 230.; quomodo post repulsam consul fieri a. 663, scilicet quatuor & triginta annos natus?

latum petisset, repulsam passus a. 661 (65), M. Herennium hominem ignobilem sibi nobilissimo praelatum vidit. Ita summum magistratum anno demum 663 assecutus est. Sic natus videbitur anno fere 615, quaesturam administrasse a. 645, tribunatum a. 650, aedilitatem cum M. Herennio a. 653. In tribunatu legem agrariam tulit, sed senatus adversa voluntate animadversa abiecit levitate eo minus laudabili, quod in commendanda lege multa in modum eorum disseruit, qui pessimo exemplo populares essent: velut, quod Cicero retinuit, non esse duo hominum millia in civitate, qui rem haberent (66). In aedilitate cum nullum munus edidisset, sese sine ulla largitione summos honores adeptum iure quidem dicere potuit, sed adversam tamen populi voluntatem expertus est. Consul vehementissime adversatus est M. Livio Druso tribuno id agenti, ut senatus ascitis quidem equitibus trecentis augeretur, sed iudicia una cum equitibus exerceret, quod legis Serviliae olim non perlatae argumentum fuerat. Hinc non exiguas partes habuisse credendus est in sociis Italicis ad arma compellendis. Nec magni faciendum, quod urgente rei publicae necessitate, hoc est bello Marsico erumpente, cum inimicis in gratiam redisse dicitur (67): nec enim id publicorum malorum partim ab ipso excitatorum remedium futurum erat, et illorum, quibuscum exercuerat odia, potissimi iam exstincti erant, L. Crassus orator et M. Drusus. Sed ingenii quadam calliditate et versutia iudicium lege Varia tunc acerrime exercitum intactus effugit, quo multi insontes oppressi sunt, nec tumultu Cinnano pro re publica dimicavit et Marianis civitatem tenentibus censuram sibi cum M. Perperna mandari passus nihil in eo magistratu egit bono cive aut viro forti dignum. Nam et avunculum suum Ap. Claudium, quod is Sullanis partibus favere videretur, in senatu legendo praeteriit (68) et consensit, ut libertini in omnes quinque et triginta tribus dividerentur; quin principem se-

65) Cic. Brut. 45, 166. p. Murena 17, 36. 66) Cic. Off. II. 21, 73. Paulo timidius Cicero hoc ad aequationem bonorum spectare dicit. 67) Cic. de prov. coss. 9. 68) Cic. p. domo 32.

natus, cum M. Aemilius Scaurus senex exactae aetatis paulo ante mortuus esset, L. Valerium Flaccum Marianae factionis hominem summa ingenii levitate insignem legit (69). Sed cum Sulla conciliatus et ditatus proscriptorum bonis, ut videtur, coëmptis post illius mortem in tumultu Aemiliano fortem et constantem civem egit, ut ipsius maxime sententia Q. Catulo potestas dictatoria daretur, a quo M. Lepidus Italia pulsus in insula Sardinia periit (70). Hinc in septem tyrannis numeratus a P. Rullo tribuno videtur, a quibus Sullanae factionis principibus id temporis res publica teneretur (71).

Moribus Philippus haud iniucundus fuit, sed ad luxuriae insaniam propensior. Ingentem enim pecuniam in piscinas impendit, eorum, quos piscinarios appellat Cicero, aetate primus, ut Q. Hortensio et L. Lucullo viam exemplo suo monstrasse videatur (72). Oratoriam eius praestantiam, qua Crasso et Antonio proximus quidem, sed magno intervallo proximus videbatur, Cicero ita iudicat, ut naturam habuisse credendus sit ad dicendum in primis idoneam, sed nulla diligentia cultam. Sollers erat inventione, elocutione facilis, verbis facetus et in altercando acer ac maledicus. Verum si Graecis artibus, ut tempora ferebant, eruditus erat, doctrina minime diligenter usus est. Adeo enim non paratus ad dicendum aggrediebatur, ut quod primum verbum habiturus esset nesciret. Hinc in senatoria sententia mediocris orator, patronus non optimus, turbulentis contionibus satis aptus fuit (73). Paucarum eius dictionum mentionem fieri videmus, nec ulla orationum, cum nihil scripserit, a posteritate tractata

69) Ipsum Philippum post Flaccum fuisse principem senatus non persuadet Brossius; Flaccum enim secutus Q. Catulus Q. F. ipso adhuc Philippo vivente. 70) Sall. Hist. I. 22. Haverk. p. 945. Cort. 71) Cic. Rull. III. 1. Erant hi: Q. Metellus Pius, Q. Catulus Q. F. C. Curio C. Cotta L. Lucullus L. Philippus P. Servilius Isauricus. 72) Plin. H. N. IX. 54. Columella VIII. 16. Macrob. Sat. II. p. 389. Z. ubi bis vitiose *Lucilii* pro *Luculli* nomine legitur. 73) Cic. Brut. 47, 173. 50, 186. de Or. II. 78, 316. III. 1, 4.

est. Sententiam, non verba eius ex suasione legis agrariae, quam tribunus tulit, Cicero retinuit (74); ex contione, qua senatum criminato gravissime responsum a Crasso est, verba quaedam relata habemus (75); *pro Cn. Pompeii bonis* dixit, cum is patre mortuo repetundarum reus esset (76); item in *P. Quinctium*, cuius causam adolescens Cicero defendit (77); orationem senatoriam, qua Lepidum consulem urbe pepulit, Sallustius veri similitudinis quadam specie imitatus est (78). Praeterea honorificum eius de Cn. Pompeio testimonium exstat (79) item dictum de rege Alexandro Aegypti (80) et quaedam facetiarum exempla (81).

§. 29.
P. Sulpicius.

P. Sulpicius Rufus gentem plebeiam habebat, etsi antiquis illis Sulpiciis, qui consules rei publicae paucis annis post exactos reges dederunt, cognominem. Nam et ipsum, ut tribunus fieret, ad plebem transisse nullo testimonio probatur, et Ser. Sulpicius Rufus iuris consultus Ciceronis aequalis filium tribunum habuit (82) et alius P. Sulpicius tribunus commemoratur quo anno Verres repetundarum iudicium subiit (83). Natus est P. Sulpicius a. 630, eodem, quo C. Aurelius Cotta magistratuum gerendorum et laudis oratoriae aemulus (84). Adolescens annorum triginta, cum ante in causis minoribus versatus esset, inclaruit C. Norbano accusando, quem defendit M. Antonius. Quaestor anno post fuit C. Valerio M. Herennio consulibus. Mox ardescente bello Italico cum non multum abfuisset, quin lege Varia reus fieret (85), anno belli secundo legatus Cn. Pompeii Strabonis utilem rei publicae operam navavit Marrucinos recipiendo.

74) Off. II. 21, 73. 75) Cic. de Or. III. 1, 1. 76) Cic. Brut. 64, 230. Plut. Pomp. 2.; anno 668. 77) Cic. Quinct. 22.; a. 672. 78) Sall. Hist. I. p. 945 Cort. 79) Cic. p. lege Man. 21. Phil. XI. 8. 80) Cic. Rull. II. 16. 81) Cic. de Or. II. 54, 220. 60, 245. 61, 249. 82) Anno 707. 83) Cic. Verr. Act. I. 10, 30. 84) Cic. Brut. 88, 301. Hortensius enim natus est a. 640, octo annis Cicerone maior. 85) Cic. de Or. III. 3, 11.

L. Sulla Q. Pompeio consulibus tribunus creatus primum pro legibus civitatis defendendis stetit adiuvante P. Antistio collega. Oppugnabant enim extraordinariam C. Caesaris Strabonis consulatus ex aedilitate petitionem (86): quo anno Cicero adolescens totum illius dicendi genus penitus cognovit (87). Mox cum C. Mario conspirans ad Sullam imperio belli Mithridatici depellendum populum gladiatoribus armatis, quem antisenatum vocabat, ad assentiendum coëgit. Legum ab ipso latarum perversitatis insigne exemplum illa est, quam de vi eiectis in civitatem reducendis tulit, postquam eidem rei, cum alio nomine exsulum causa ageretur, paulo ante esset adversatus (88). Sed Sulla gravissima seditione, qua Q. Pompeii collegae filius interfectus est, urbe cedere coactus mox cum legionibus a Nola rediit; urbe expugnata Sulpicius cum aliis undecim hostis iudicatus in fuga periit (89).

Cicero Sulpicium a natura praeclarissime instructum fuisse ad dicendum iudicat. In primis actione valebat, voce suavi et tamen fortissima, gestu grandi ac paene tragico praeditus, flumine et cursu verborum insignis (90). Damnum igitur literae Romanae praematuro huius interitu, ut Gracchi, fecerunt; idque eo certius dici potest, quo plus profecturus annis Sulpicius erat ad inventionis copiam et ubertatem. Hac parte minime valuisse iam ex illo Ciceronis testimonio intelligitur, quo P. Antistius, cum diu iacuisset, denique veram causam nactus C. Caesaris illam petitionem legibus adversantem plura et acutiora dixisse iudicatur, quam ipse Sulpicius (91). Hic, cum magis intelligeret quid sibi deesset, quam opera et labore assequi cuperet (92), Crassi similis esse voluit, sed multum ab huius sanitate et lepore abfuit (93). Orationes scriptas non reliquit: saepe enim se neque consuesse scribere neque posse confessus est (94). Quae igitur

86) Ascon. ad Cornel. pr. Cic. Har. Resp. 20. Brut. 63, 226. 87) Cic. Brut. 89, 306. 88) Scr. ad Herenn. II. 28, 45. 89) Vell. II. 18. Liv. epit. LXXVII. Plut. Sull. 10. App. B. C. I. 60. 90) Cic. Brut. 55, 203. de Or. I. 29, 131. III. 8, 31. 91) Cic. Brut. 63, 226. 92) Cic. de Or. III. 36, 147. 93) Cic. Brut. 55, 203. 94) Cic. Brut. 56, 205.

eius nomine circumferebantur orationes, eas P. Canutius eques Romanus homo doctus scripsisse credebatur ([95]).

§. 30.

C. Cotta.

Huius C. Cotta aequalis popularibus semper adversatus contrariam vitae gerendae viam secutus est. Gens Aurelia, olim Auselia dicta ex Sabinis ortum habuit et in tres divisa familias fuit Cottarum Orestarum Scaurorum ([96]); ex ea primus summum honorem adeptus est C. Aurelius Cotta consul cum C. Servilio Gemino a. 506.

C. Aurelius Cotta, de quo nunc agendum est, duos fratres habuit natu minores, M. Cottam cos. a. 680 et L. Cottam cos. a. 689; praeterea patruelem L. Cottam, qui ultra praeturam non ascendit ([97]). C. Cotta natus a. 630 P. Sulpicium aequalem habuit: quem tamen, cum quaesturam ante gessise videatur, in tribunatu petendo praevertit. Petebat enim L. Philippo et Sex. Caesare consulibus a. 664, quo anno colloquium de oratore habitum a Cicerone fingitur ([98]). Sed Crasso, cuius in illo colloquio primae partes sunt, vix exstincto gravis in rem publicam malorum moles ingruit, quorum pars etiam in Cottam redundavit. Lege enim Varia postulatus, quod in eis esset, quorum opera socii ad arma concitarentur, cum oratione paulo pervicaciore equitum, qui tunc iudicabant, invidiam concitare non esset veritus, ante quam ferrentur sententiae, sponte in exsilium abiit. Hoc est quod invidia depulsum tribunatu dicit Cicero ([99]), quippe petendo. Factum esse ipso bello sociali erumpente ex loco Bruti Ciceroniani intelligitur ([500]). Filium in exsilium secuta est mater Rutilia animo fratris sui P. Rutilii similis; quae et supervixisse illi mortemque non minus constanter quam exsilium tulisse traditur ([1]). Nec ante in civitatem rediit C. Cotta, quam post optimatium partes per Sullam victrices

95) Cic. l. c. 96) Intpp. Festi p. 334 Lind. 97) Cic. Brut. 36, 135. de Or. III. 11, 42. 98) Cic. de Or. I. 7, 24. 99) Cic. de Or. III. 3, 11. 500) c. 88 extr. 1) Seneca consol. ad Helv. 16.

factus a. 672, C. Mario C. F. et Cn. Carbone consulibus. Aedilitatem igitur et praeturam, quorum anni praeterierant, non petivit, ut quem ad modum Philippus et Curio dicere posset se sine ullo munere omnia civi Romano honorifica adeptum. Sed aut Sullae non satis acceptus fuit aut angustias petitionis defugit et, cum alii parum digni dictatoris suffragio ad summum honorem extollerentur, alii, ut Q. Ofella, audaciam petendi morte luerent, a consulatu ambiendo, dum Sulla superstes erat, abstinuit. Ita anno demum 679 cum L. Octavio consul factus est. His consulibus rei frumentariae cura extra ordinem demandata est ([2]).

Sed insignis Cottae consulatus maxime eo fuit, quod hoc auctore tribunatus macula ignominiae liberatus est, quam imposuerat Sulla dictator vetando, ne qui tribunatum gessisset alium deinde honorem gereret ([3]). Sed quales fuerint Aureliae leges illae, de quibus abrogandis ipse in senatu retulisse Ciceroni dicitur ([4]) nec nobis constat, nec diligentissimus oratoris interpres Asconius apud Fenestellam Sallustium Liviumve reperit. Post consulatum Galliam provinciam obtinuit; in qua cum studiose triumphum quaereret, cuius iusta causa non erat, iam decreto honore propter mortem repentinam frui non potuit ([5]).

Causarum, quas dixit, paucae eaeque nomine tenus notae sunt. Adolescens defendit *P. Rutilium* avunculum ([6]) et, quamvis pauca et sine ornatu, tamen oratorie dixit. Deinde *contra Arretinae mulieris libertatem* dixit Cicerone defendente: dictatore sine dubio Sulla, quem Etruscorum gentem omni genere violentiae exstinxisse scimus: sed num ea actio in Ap. Claudium et P. Servilium consules incidat (a. 675), quae Pighii sententia est, ex Ciceronis oratione pro Caecina, quam testatur, non efficitur ([7]). Tum *Titiniae* uxori affuit una cum Cicerone in iudicio privato vel maximo, cum C. Curio pro petitore Ser. Naevio diceret ([8]). Prior autem causa

2) Cic. Verr. Accus. III. 7, 18. 3) Ascon. ad Cornelianam p. 66. Orell. 4) l. c. 5) Cic. Pis. 26. 6) Cic. Brut. 30, 115. 7) Cic. Caec. 33. 8) Cic. Brut. 60, 217.

publica *Cn. Dolabellae* L. F. fuit, quem repetundarum reum contra C. Caesarem adolescentem defendit; is cum absolutus esset, actor reum patroni praepotentis vi sibi eripi questus est ([9]). Acta causa a. 676; cui quia Cicero adiungit Cottae *pro M. Canuleio* dictionem, non iniuria eisdem temporibus assignatur: quanquam res tota incerta est. Quam Cotta *pro se lege Varia* putabatur habuisse orationem, eam L. Aelius Stilo Cottae rogatu scripserat ([10]). Orationem Cottae in consulatu Sallustius secundum aliquam veri similitudinis speciem finxit ([11]). Sed quod Charisius affert, Cotta *pro L. Veterio* libro primo ([12]), corrigendum *Veturio* ([13]); sed admodum dubito an hic Cotta illam causam dixerit. Exstat enim Ciceronis testimonium verbis accuratis prolatum nihil scripti reliquisse Cottam ([14]).

Doctior Cotta plerisque aequalium videtur fuisse. Cicero enim et sermonis de oratore capita sese ab eo accepisse fingit et Stoicorum et Epicureorum doctrinae de natura deorum refellendae provinciam ei tribuit: quae res etsi neutiquam probant artificio oratorio cultissimum et philosophiae studio deditum fuisse, tamen cum aliqua veritatis specie fictae sint oportet. Et sane, si quid Cicero de eius arte dicendi iudicet consideraveris, eam laudem, quamcunque habuit non sane contemnendam, studio potius quam naturae debuisse videbitur; quod studium literarum plane expers credi non potest. Inter aequales enim Cotta Sulpicio et Caesari par habitus est; sed princeps patronorum, postquam exstitit Hortensius, existimari desivit. Acute inveniebat, partiebatur apte, limatum et elegans dicendi genus consectabatur: sed et infirmitate vocis laterumque et natura magis ad docendum quam ad movendum facta ab omni contentione abstinere coactus plurima quidem perspicue et iucunde dicebat, sed nihil graviter, nihil vehementer, nihil ad miserationem excitandam accommodate ([15]). Qua re multum ab Hortensio distabat, qui magno verborum sono crebrisque Asiaticorum oratorum sententiis utebatur; magis etiam a Cicerone, qui alterum natura, alterum doctrina superabat.

9) v. Pigh. III. p. 280. Erat enim alius Dolabella praetorius, quem Scaurus adolescens damnavit; huic olim Verres pro quaestore fuerat. 10) Cic. Brut. 56, 205. 11) p. 113. ed. Haverk. 12) Charis. II. p. 195 P. 13) Secundum Nonium p. 149. 14) Cic. Or. 38, 132.

§. 31.

C. Caesar.

Tunc fuit etiam *C. Iulius Caesar Strabo*, Q. Catuli frater uterinus: mater enim huius Popilia secundis nuptiis in matrimonium L. Caesaris Sex. F. concesserat; ita Caesar paene triginta annis fratre minor erat, quem a. 632 magistratum primum petisse vel gessisse consentaneum est. Caesar enim cum L. Caesare fratre P. Rutilio consulibus a. 664 aedilis fuerit, non ante a. 628 natus esse potuit ([16]). In aedilitate quotidie accuratissimas contiones habuit, cum de universa re publica, tum ut extraordinariam consulatus ex aedilitate petitionem ab invidia tueretur. In qua petitione adversarios, ut acutissimum P. Antistium, ita vehementissimum P. Sulpicium utrumque tribunum plebis habuit ([17]). Horum discordiae Asconio ad Scauranam Ciceronis ([18]) belli civilis causa fuisse dicuntur: credo, quod furiosa Sulpicii mens gravissimis illis altercationibus ad omnem nobilitatem evertendam accensa est. Tribus annis post seditione Cinnana reducto Mario C. Caesar cum L. fratre, qui tertio anno ante consulatum gesserat, a Mario interfectus et caput in rostris positum est. Tot sunt huius rei auctores, ut uno Ciceronis testimonio defungar ([19]).

15) Cic. Brut. 55, 202. sed confer c. 86, 297. Or. 30, 106. Att. XII. 20. Asconium ad Cornel. p. 66. Orell. 16) Cic. Brut. 89, 305. 17) Cic. Brut. 63, 226. 18) p. 24. Orell. 19) Cic. de Or. III. 3, 10. Enumerantur quos gessit honores et dignitates, aedilitas decemviratus agris dandis ex lege Drusi et pontificatus in titulo vetere p. 421, 5. Graev., quem Pyrrhus Ligorius primus protulit. Nisi vidissent alii, commenticium crederem: tale enim illius ingenium fuit. Caesar etiam Vopiscus a generatione et Sesquiculus a statura dictus; v. Varro de R. R. I. 7. Victor de orthogr. I. p. 2456.

Caesar in sex patronis erat, ad quos qui nec Antonium nec Crassum habere poterant confugere solebant ([20]). Et perspicuum est cur, cum esset ingenio cultissimo et diligenter loqueretur, non tamen pervenerit in numerum principum patronorum. Deerat enim vehementia ([21]). Contra nihil eius oratione facetius urbanius suavitate et lepore conditius ([22]). Iure igitur huic Cicero in libris de Oratore provinciam de salibus et facetiis oratoriis disserendi demandavit et hic illic exempla dictorum ex eius orationibus deprompta interponit. Eadem indoles ex tragoediis eius, quas ex Graecis expressas fuisse dubitari non potest, spirabat; quarum fabularum nunc adhuc quidam versiculi supersunt propter elegantiam non contemnendi ([23]). Causarum, quas egit, paucae nomine notae sunt; pauciores etiam orationum reliquiae. Omnium nobilissima est *accusatio T. Albucii* ex provincia Sardinia, quam biennio praetor rexerat, repetundarum rei C. Mario tertium L. Aurelio Oreste consulibus a. 651; in qua causa cum Cn. Pompeio Strabone uter potissimum accusaret divinatione contendit ([24]). Caesarem, qui postea dictator fuit, in Cn. Dolabella accusando se ad cognati sui imitationem composuisse ferunt atque partem orationis eius totam transtulisse in divinationem suam ([25]). Deinde *Sextilium* hominem ignotum in causa gravi defendit: is insigne postea pravitatis et ingrati animi documentum Caesare interficiendo dedit ([26]).

---

20) Cic. Brut. 57, 207. 21) Cic. Brut. 48, 177. Or. 38, 132. 22) vide Cic. Brut. l. c. cf. 60, 216., quo loco usus est Quintil. XI. 3, 129.; de Or. II. 23, 98. 54, 216. III. 8, 30., quem excerpsit Nonius v. *hilare* p. 513. Merc.; Off. I. 30, 108. Tusc. V. 19, 55. 23) De indole fabularum v. Cic. Brut. l. c. Versus ex Adrasto apud Festum leguntur v. *prophetae* p. 202 Lind. cf. Scaligerum. *Tecmessam* pro *Tecumessa* primum inscripsisse aliam fabulam dicit Victor de orth. l. c. Hic igitur Caesar est, cui in collegium poëtarum venienti L. Accius non assurrexisse dicitur Valerio Maximo III. 7, 11.: quae causa erroris Gyraldo fuit duos Accios fuisse putanti, quod de dictatore Caesare cogitabat. 24) Cic. Off. II. 14, 50. v. Heusingerum, item intpp. ad Cic. p. Scauro p. 202. Beier. Div. in Caecil. 19, 63. 25) Sueton. Caes. 55. 26) Val. Max. V. 3, 3. Inseritur dictatoris reliquiis: v. Meyerum p. 335.

Contionum duarum nomina servata sunt et eius quidem, *qua Sulpicio respondit*, duae particulae brevissimae ([27]). Altera, quae inscribitur *pro rogatione Plautia*, olim Caesari dictatori tribuebatur; est autem illa rogatio Plautia Papiria de sociis in civitatem asciscendis. Intellexit Pighius. Praeterea verba quaedam exstant ex oratione *apud censores* habita ([28]), cuius causa et ratio ultra nota non est; et facete dictum incertum unde petitum sit ([29]).

§. 32.

Aequalis Sulpicii Cottae Caesaris Curio vitam ceteris et longiorem et feliciorem habuit. Huius gens diu intra praeturam stetit: consulatum et triumphum primus intulit is, de quo dicimus. Nobilitata est autem eo, quod tres deinceps ex se oratores genuit ([30]): avum praetorium, cuius Cicerone puero nobilis ferebatur oratio pro Ser. Fulvio de incestu; patrem hunc consularem et triumphalem; filium denique, qui ingenio summo, sed pessima voluntate praeditus fax belli civilis inter Caesarem et Pompeium gesti dicitur apud Velleium ([31]).

C. Scribonius C. F. Curio natus putandus est anno fere 630, et quaesturam gessisse cum C. Cotta a. 660, si quidem eo anno tribunus fuit, quo etiam Cotta in eo magistratu futurus erat, nisi lege Varia postulatus et in exsilium eiectus esset, a. 664. Eandem actionem Curio timens cum L. Sulla legatus in Graeciam profectus est ([32]), utilemque in arce Athenarum obsidenda et Nicomede Ariobarzaneque regibus Sullae mandato in regnum deducendis operam bello navavit ([33]).

---

27) Priscian. V. 659. et VI. 713 Kr. 28) Varro R. R. I. 7. Plin. H. N. XVII. 4. 29) Quintilian. VI. 3, 75. Incerta quaedam Caesaris collegit Meyerus p. 335. 30) Plin. H. N. VII. 12. 31) Vell. II. 48. Curio pater ex similitudine ignobilis cuiusdam histrionis *Burbuleii* cognomentum irrisorium traxit, quo palam in contione appellatus est, Sall. Hist. II. 53 Hav. Cf. Val. Max. IX. 14, 5. Plin. H. N. VII. Ruhnk. ad Vell. II. p. 386. Similis autem erat maxime gestu, inepto illo et ridiculo. 32) Huc spectat lacunosus locus Asconii ad Cornel. p. 73. Or. 33) Plut. Sull. 14. Appian. 6. Mithr. 60.

Sed tribunatum ante profectionem satis quietum gesserat, postquam semel a tota contione relictus est. Cum victore Sulla in Italiam reversus aedilitate omissa praeturam gessit a. 673 consulatum cum Cn. Octavio a. 678, anno ante Cottam, duobus post Q. Catulum Q. F.; ipse quoque ex illis, qui sine munere omnes honores sese adeptos esse gloriabantur ([34]). Ex consulatu Macedoniae per triennium praefuit belloque cum Dardanis bene gesto triumphavit ([35]). Huic provinciae aut adiectam Achaiam fuisse oportet aut male rem intellexisse personatum Asconium, qui ex illa provincia repetundarum accusatum esse Curionem dicit ([36]). Postea civem minime constantem, sed vel ex ore potentium pendentem vel suamet ipsius levitate in partes contrarias nutantem egit. Verri favit ([37]); legem Manilii de imperio Cn. Pompeii suo suffragio adiuvit ([38]); rursus Caesari quamvis cum Pompeio iuncti gravibus sententiis et orationibus in senatu habitis adversatus est ([39]). Coluit autem, id quod in eo magni facimus, Ciceronis amicitiam, ut a Clodio etiam verbera passus sit, cum senex et honoratus pro illo deprecaretur ([40]). Mortuus est a. 701 Cn. Domitio M. Messalla coss. ([41]). Moribus probatus aequalibus videtur; nam non solum insigni constantia et severitate legionem seditiosam in Macedonia ad parendum coëgit, sed etiam tanquam frugalitatis exemplum cum filio nequissimo componitur ([42]). Eruditionis autem plane expers erat et, cum ne memoria quidem valeret, actione autem prorsus ridicula uteretur, sola verborum bonitate quasi domestico quodam et hereditario bono

---

34) Cic. Off. II. 17, 59. 35) Cic. Pis. 19. Sall. Hist. p. 958 Cort. 36) In Verr. Act. I. 7, 19. 37) Cic. l. c. 38) Cic. l. Man. 23, 68. 39) Cic. Brut. 60, 218 sqq. 40) Dio XXXVIII. p. 162 R. Hinc Ciceronis orationem *in Clodium et Curionem* non spectare Curionem patrem putabat Spalding. ad Quintil. III. 7, 2. Sed nunc id plane patet ex scholiis Bobiensibus in Or. in Clod. & Curionem p. 330. Orell., Clodioque olim favisse Curionem etiam Cicero indicat epp. ad Att. I. 14. Prolatam dolet eam orationem, i. e. in manus hominum pervenisse, Att. III. 15. Tunc enim alia tempora erant. 41) Cic. Divers. II. 2. 42) Val. Max. IX. 1, 6.

in oratorum numerum venit ([43]). Hinc orationum eius paucarum nomina et partes retentae sunt a scriptoribus. *In Titiniam* pro Ser. Naevio dicens contra Cottam et Ciceronem repente oblitus est quae dicturus erat ([44]); diu ante *fratrum Cossorum* causam contra M. Antonium egit ([45]); *Metellum Nepotem* Balearici filium cos. a. 656 accusavit et, cum illius filius eodem cognomine praeditus simili in Curionem actione intentata patrem ulturus esset, ille ἀντικατηγορίαν minitando periculum elusit ([46]). Quanquam harum actionum praeter nomen nihil relictum est.

§. 33.

Ceteri oratores priorum aequales.

Reliquorum praeter illos, de quibus absolvimus, alii magis popularium partes, alii optimatium secuti sunt. Illorum vetustissimus est *Cn. Domitius Ahenobarbus*, qui certe tribunus a. 651 eas partes amplexus est, cum veterem cooptandorum sacerdotum morem lege sustulerit, qua cooptari iubebatur quem tribus septem et decem sacerdotium habere voluissent. Is post consulatum cum L. Cassio gestum a. 658 ridicula triumphantis specie vectus est per provinciam Galliam ([47]); censura eius discors cum Crasso nota est. Non fuit ille quidem in oratorum numero, sed satis ei orationis atque ingenii suppetebat, quo consularem et senatoriam dignitatem tueretur ([48]). *M. Livius Drusus* in tribunatu a. 663 a Q. Vario, ut fama erat, occisus, etsi senatus dignitatem a turbulentis Philippi consulis moliminibus defendebat, tamen, cum populis Italiae ius civitatis pollicitus sit, iure in popu-

---

43) Cic. Brut. 59, 216 sqq. Or. 37, 129. Quintilianus faceto Ciceronis dicto usus VI. 3, 76. semper eadem exordii forma usum reprehendit: incipiebat enim ab excusatione aetatis. 44) Cic. Brut. 60, 217. 45) Cic. de Or. II. 23, 98. 46) Asconius ad Cic. Cornel. p. 63. Orell. cf. Apuleium de mag. p. 511. Elmenh. Ex ignotis Curionis orationibus, partim quibus in Caesarem invectus est, quaedam habent Suet. Caes. 9. 49. 50. 52. Priscianus VIII. p. 791 P. 47) Vell. II. 12. Suet. Ner. 2. 48) Cic. Brut. 45, 165.

laribus, sed bonis illis viris habebitur. Huic satis erat facundiae, dum de re publica diceret ([49]): unde a turbulentis iudiciis et strepitu forensi eum abhorruisse intelligimus. *Q. Varius* et rebus inveniendis et verborum flumine actionisque vehementia orator visus est; is cum lege sua plerosque nobilitatis principes in discrimen adduxisset, postremo ipse eadem lege damnatus civitate excessit ([50]). *Sp. Thorius* denique, *Sex. Titius*, *Q. Caepio*, quorum primus a. 647, alter a. 655, tertius a. 663 tribunus fuit, satis valebant in illo populari genere dicendi ([51]). His paulo superiores erant optimatium patroni. Quorum princeps est *Q. Mucius P. F. Scaevola* L. Crassi collega in consulatu a. 659; vir iuris peritissimus gravissimus constantissimus, iuris prudentum eloquentissimus, pontifex maximus; quem Sulla in urbem ingruente L. Iunius Damasippus Marianarum partium praetor ad aram Vestae occidit a. 672, cum Marii furores et Cinnae odia sanctitate vitae intactus effugisset ([52]). Paulo antiquior hoc *C. Flavius Fimbria* consul cum Mario a. 650, homo asper et paulo horridior; tamen tolerabilis patronus habitus est et orationes reliquit, quae puero Cicerone legebantur ([53]). *C. Titius* homo elegans, sed parum vehemens Ciceroni eo videtur pervenisse, quo quis sine Graecarum literarum notitia possit; idem poëta argutus, sed minime gravis in tragoediis suis ([54]). Huius videtur locus satis amplus apud Macrobium servatus ([55]): quanquam is compositione dissoluta et verbis incomptioribus antiquioris aetatis imaginem refert. *C. Papirius C. F. Carbo Arvina*, eloquentissimi illius filius, qui cum reliqua nobilitate trucidatus est a Damasippo, cum solus Carbonum e re publica civis haberetur, orationis gravitate

49) Cic. Brut. 62, 222. Vell. II. 13. 50) Cic. Brut. 62, 221. 89, 306. Val. Max. VIII. 6, 4. 51) Cic. Brut. 36, 136. 62, 225. Hunc Titium significat Dio fragm. 114. p. 106. Sturz. *ἀγοραῖον καὶ ἐκ δικαστηρίων τὸν βιόν ποιούμενον* vocans, sed iniuria cognomine *Gaium* dicit. Caepionis in Scaurum lege Varia oratio etiam Charisii aetate supererat; v. p. 174. et 198. 52) Cic. Brut. 39, 145. 40, 148. 53) Cic. Brut. 34, 129. 54) Cic. Brut. 45, 167. v. Explicatt. 55) Saturn. II. 12.

et facilitate verborum in oratorum numerum pervenit ([56]). *P. Antistii*, qui cum priore una est occisus, laudes non contemnendas Cicero habet; fuisse enim dicit acutum in inveniendo, diligentem in compositione, memoria valuisse, verbis non abiectis usum; qua re summis oratoribus eius temporis exstinctis plerasque causas ad eum esse delatas ([57]). Hunc minime aequabat *Cn. Pomponius*, maxime propter orationem rebus confusam, verbis perturbatam ([58]). Denique eorum oratorum, qui extra urbem floruerunt, principatum Cicero *T. Betucio Barro* Asculano dat; qui ceteris memoratu dignior, quod nobilis oratio eius contra Caepionem exstabat, cui responsionem scripsit L. Aelius Stilo ([59]).

§. 34.

Quarta eloquentiae Romanae aetas. Status rei publicae.

Iam ad quartam eloquentiae Romanae aetatem pervenimus, qua ad summum praestantiae fastigium est evecta non tam praeclarorum virorum studiis, quam ipsa rei publicae conditione et necessitate. Est enim summa eloquentia liberarum quidem civitatum alumna, sed non integrarum et bene moratarum, sed ruentium et in suam perniciem vitiis turgescentium. Non dixerim quidem solis hominum et factionum malis et facinoribus augeri eamque rem praecipuam dicentibus materiem suppeditare: sed quamvis sit magnum et regium in hominum mentes rerum prudentia et facundia verborum dominari, illa tamen rerum humanarum natura est, ut id maxime in eas civitates cadat, quae factionibus quassatae in potentium hominum clientelas scindantur. Apud bonos enim boni valent et magni existimantur; in civitate perdita qui sola prudentia aut morum integritate commendatur, nisi accedat eloquendi ars, qua decipiantur alii, alii moveantur, audiri non solet. Sic Attica, sic Romana crevit eloquentia; obmutuit utraque et inanibus sophistarum declamationibus

56) Cic. Divers. IX. 21. Brut. 62, 221. 57) Cic. Brut. 63, 226. 58) Cic. Brut. 62, 221. de Or. II. 22, 91. 59) Cic. Brut. 46, 169.

obliterata est, cum sublata dicendi et faciendi licentia civitatum forma mutata est.

§. 35.
Eruditio universa.

Vulgus hac aetate, ut omnibus, si Atticae civitatis florem exceperis, impolitum ac rude mansit nec favit doctrinae aut eruditis. Sed ea omnino erat literarum conditio, ut qui earum plurimum scirent dissimularent se didicisse aut certe quae didicissent in suum potius usum et oblectamentum, quam in populi fructum laudemve civitatis converterent. Et quanquam plurima ante Ciceronis aetatem scripta sunt apud Romanos, incredibilis tamen omnium artium ruditas usque ad Ciceronis aetatem fuisse putanda est. Praeter comicorum quorundam fabulas nihil exstabat elegans et facetum, nihil sententiis et verbis dignum politis auribus, nihil quod Graecorum suavitatem referret, a quibus solis omnia dicendi et scribendi exempla sumebantur. Carmen epicum nihil erat, nisi ieiuna de bellis et praeliis versificatio; tragoedia ita duntaxat de Graecis expressa, ut quod hi grave et vehemens haberent apud Romanos horridum esset et asperum; oratores quidam laudabiles, sed nullis scriptis apud posteros clari; historiae scriptio nulla. Sed Cicerone adolescente literarum Graecarum cognitio per magistros Romam commeantes et itineribus adolescentum publicanorum magistratuum ea incrementa cepit, ut, cum Molo Rhodius de civitatis suae praemiis Sulla dictatore dicens primus in senatu sine interprete esset auditus (60), mox horridus videretur et a communi humanitate remotior qui Graeca lingua non tam facile quam domestica et populari uteretur. Tanta autem visa est Graecorum librorum praestantia tantaque optimorum apud eos exemplorum copia quaerentibus ostendebatur, ut mirari nullo modo possimus, quod Romani magis imitando quam inveniendo validi illorum vestigia premere, quam suam sibi

60) Val. Max. II. 2, 3. Ignarus enim Molo linguae latinae: v. Spalding. ad Quintil. VI. 1, 14.

in literis viam munire maluerunt. Ceterum universa literarum studia post tumultum Sullanum Romae acrius agitata, sed in Latio, cum ante magis quam in urbe floruissent, belli cladibus exstincta sunt (61). Nonnulli igitur artes reconditas et ab omnium usu remotiores tractare coeperunt, ut philosophiam praeter Ciceronem et indoctiores quosdam Epicureos T. Lucretius poëta et M. Brutus; Ser. Sulpicius Rufus iuris prudentiam in artis formam redegit, quam rem olim, si fides Ciceroni, L. Crasso propositam ne Cicero quidem perficere propter multitudinem occupationum potuit; M. Terentius Varro et P. Nigidius Figulus omnem antiquitatis disciplinam complexi sunt. Verum hi inter multos sane paucissimi. Nobiles autem et qui nobilitari honoribus gerendis cupiebant, Ciceroniano more plurimis literis erudiri volebant: etsi huius viri studium multiplex a nemine aequatum, a paucis intellectum est. Unus Hortensius, sane ille quidem Ciceronem aetate antecedens, nihil praeter dicendi opus, neque id artificiose coluit. Sic igitur etiam eloquentia, olim natura genita nec ullo artium cultu aucta, res multi studii et laboris facta est (62); quae causa fuit, ut Romani, in qua arte natura valebant, ea sola Graecos magistros suos aequarent.

§. 36.
Mos erudiendae iuventutis mutatus.

Sed eodem, quo artificium eloquendi inventum, tempore mos ingenuos adolescentes instituendi totus mutatus est (63). Olim usu magis quam literis, videndo magis et audiendo quam doctrina, rei publicae potius belli domique gerendi prudentia, quam varia eruditione instituebantur; aderant contionibus et senatui habendo; deducebantur ad viros rebus gestis pariter atque virtute praestantes. Is mos totus sublatus est, nec nisi unius fere M. Caelii exemplum exstat, quem a patre ad Ciceronem deductum constat, in cuius con-

61) Cic. Arch. 3. de Or. III. 11, 43. 62) Quintil. XII. 10, 39.
63) Aliter intelligendus Cicero de Or. I. 1, 3. v. nostra commentaria.

suetudine artes rei publicae utiles disceret. Nec id tam rei publicae nocuit, quam ex mutata rei publicae forma fluxit, ut devitari non posset. Ea enim non iam senatus consilio populi iussis magistratuum potestate regebatur, sed a paucis principibus, qui ingentibus divitiis magnisque clientelis subnixi primum domestica largitione, deinde vi militari dominationem arripuerunt; quod malum altius insederat, quam quod Sullae legibus quamvis cupientis tolleretur. Sic factum est, ut militum ope primum Caesar, deinde Octavianus Augustus sublata libertate ad regalem potentiam eniterentur. In eo igitur rerum Romanarum statu, si a Cicerone Catone et paucissimis aliis discedas, quid adolescentes a viris tunc in re publica magnis boni et honesti discere potuerunt? Eratne boni exempli Cn. Pompeii levitas, qua modo senatum tuebatur, modo populi gratiam captabat et inter optimatium et popularium factionem quasi medius constitutus arbiter rei publicae sibi visus est, donec omnem vim in Caesarem cessisse animadvertit? Quid? C. Caesar, quamvis summo ingenio praeditus, num adolescentia regiis flagitiis dehonestata, violento consulatu et Catilinariae perduellionis suspicione et credibili et credita num antiquorum Romanorum similis videbatur? Quid? inanis Q. Hortensii elegantia et puerilis luxuria num laudari poterat? ut Clodios et Vatinios et Curiones et Milonem casu magis utilem rei publicae quam bonum civem taceamus, et reliquam turbam hominum consulatibus et censuris insignium, sed nulla re libera re publica dignorum. Reliquum igitur unum illud erat, ut adolescentes Graecorum literis et a Graecis instituti plane novam discendi viam inirent.

§. 37.

Sermo Romanus excultus.

Praecipuum eloquentiae instrumentum accessit exculto et ditato sermone latino. Olim enim latine loqui non erat artis et studii, sed usus atque consuetudinis; domo qui nunquam exierant neç peregre quicquam viderant vel audiverant, eos familiari quodam et hereditario bono latine locutos non

est mirandum (64). Sed haec consuetudo eatenus valebat, ne quid in sermone non Romanum inesset; sed nova et obsoleta, rustica et urbana, elegantia et plebeio sermone trita nullo discrimine habebantur. Talem etiam M. Antonii oratoris indole summa, sed nullo artium studio praediti sermonem fuisse oportet, quem Cicero, etsi non nimis inquinate locutus sit, tamen diligenter loquendi laude caruisse dicat. Iam vero aures Graecorum literis et auditione cultae honestius quiddam et exquisitius desiderabant. Itaque nunc primum animadversum est discrimen sermonis emendati et vitiosi, puri et ex varia colluvione mixti, urbani et rustici. Obsoleta removeri, minus honesta lectioribus mutari, peregrina tolli coeperant, nec iam in honore erat quicquid latinum esset, sed quod in latinis optimorum usu et consuetudine probaretur. Hinc etiam magna illa sermonis urbani et non urbani, sive peregrinum sive rusticum sive Italicum dixeris, differentia manavit. Ea non tam in verbis quibusdam et locutionibus cernebatur, quae extra urbem audirentur: ea enim mutari dediscique poterant (65); sed in ore Romano inerat quaedam cultior et loquendi et pronuntiandi forma. Nam non solum soni efferebantur subtilius, ut nec putida quadam diligentia nec rustica dilatatione corrupti viderentur; et erat quidam verborum delectus, ut ex receptis et communibus ea sumerentur, quae nec vulgaria essent et sententiis enuntiandis accommodatissima (66). Et hac urbanitate Romanos etiam minus literatos quamvis doctissimis provincialium et Italicorum praestitisse non mirabimur. Omnem sermonis latini dictionem ad exemplum Graecorum primus arte tractavit C. Caesar; sed longe plura in hoc genere debentur M. Tullio Ciceroni. Is artem grammaticam libris quidem non tractavit, sed et verbis Graecis latine conversis et componendis flectendisque a vetere stirpe novis, quanquam summa, ne offenderet, cura habita sermonem latinum insigniter ditavit et scriptis suis copiam et ubertatem linguae ostendit et compositione et

---

64) Cic. Brut. 74, 258. 65) Cic. Brut. 46, 171. 66) Latius Cicerone ita definit Quintilianus VI. 3, 17.

structura Graecorum numeros et suavitatem soni primus aequavit. Et cum essent qui antiqua et horrida cultis et politis praeferrent, item qui amputata et praefracta rotundis et conclusis (67), iustior tamen posteritas perfecti et suis quibusdam numeris absoluti sermonis laudem Ciceroni non denegavit. Nam cum viveret, plurimos et aemulos et invidos invenit, qui, cum nec populi nec doctorum iudicio illi pares haberentur, sibi tamen ipsi plauderent et alios contemnerent. Tales scriptorum Sallustius, oratorum Asinius Pollio fuerunt. Et hic adeo errabat, ut, cum Sallustium Catonianorum verborum furem impudentissimum dixisset, in res multo minus tolerabiles sese delapsum oblivisceretur; quam ob rem aequissimus iudex Quintilianus seculo priorem videri posse (68), paulo acerbius Aper in dialogo de oratoribus inter Menenios et Appios videri studuisse iudicat (69). Scriptor Pollione inferior, sed oratoria laude par M. Caelius Rufus, elegans alioquin et facetus, quod ostendunt epistolae Ciceronianarum volumine comprehensae, ad idem vitium inclinabat (70). Omnino nitidum et politum Ciceronis sermonem nemo praeter C. Caesarem quamvis diversissimis intentum est assecutus. Praeterea homines in dicendo minus versatos a literisve alienos alio genere loquendi minus culto usos esse et per se credi potest et ostendunt Pompeii Magni epistolae corpore Ciceronianarum comprehensae; nihil his infantius, nihil illius viri persona, qualem mente fingere solemus, indignius (71).

§. 38.

Plura genera eloquentiae.

Eloquentia, quae Graecorum maxime Athenienses cultores et Atticam sedem repererat, libertate Graeciae a Macedonibus subversa ex Piraeeo quasi enavigavit et in Asiam et insulas transvecta est. Hic cum diversissima ab Atheniensibus

67) Cic. Orat. 51, 170. 68) Quintil. X. 1, 113. 69) Dial. de or. 21. 70) Cic. Brut. 79, 273., cui laudi oppone Quintil. X. 1, 115. De antiquariis sententiam Livii vide apud Senecam Contr. IV. 25. p. 284 Bip., Augusti apud Suet. 86., Quintiliani II. 5, 21. 71) Haec iusto lenius iudicat scr. dial. de oratt. 37.

ingenia et mores essent, ipsa quoque mutata est aliamque naturam et indolem ascivit. Asiani enim homines ad tumidum quoddam et verbosum dicendi genus a natura facti, id genus dicendi consecuti sunt, quod crebris, sed inutilibus sententiarum acuminibus et verborum flumine magis concitato quam limpido ab Attica sanitate plurimum distaret. Apud Athenienses enim in summa ubertate et copia modus quidam tenebatur, ne quid sententiarum non ad rem pertineret, ne verba plura, quam res postularet, fierent, ne rei veritas verborum tumore et elatione obscuraretur (72). Rhodii autem oratores, quorum ad Aeschinem Athenis sponte exsulem origo refertur, saniores erant et Atticorum similiores (73). Harum scholarum cognitione imbuti Romani alii alius similitudinem sectabantur, eaque studiorum diversitas Cicerone in foro regnante summas oratorum inter se contentiones excitavit. Hortensius enim, ad quem principatus dicendi secundum Ciceronem referri solet, Asiani generis imitatorem egit. Is cursu verborum actione venusta voce magna et suavi adiutus auditoribus incultis placebat, ab eruditioribus damnabatur, apud posteritatem adeo non valuit, ut orationes Hortensii paucis lectae mox evanescerent. Calvus autem homo et literatus et studiosus, cum viribus parum valeret et genus dicendi emendatum quidem et limatum, sed nec vehemens nec floridum magis natura quam voluntate consectaretur, eos vituperabat et ab Attica sanitate alienos iudicabat, qui commotius quoddam et ad animos incitandos accommodatius dicendi genus exemplo suo commendarent: quod maxime omnium Ciceronis erat. Hinc Brutum iudicii sui socium et consortem habebat, in alia natura voluntate tamen similem. Calvus enim, cum natura acer et vehemens esset, vim animi dicendo aequare non poterat; qua re quod consequi non poterat verbis contemnebat. Brutus autem sentiendo et faciendo Stoicorum animi aequitatem exprimebat: ut ei res indigna sapiente videretur delectando aut movendo iudici dare operam et alio modo quam docenda veritate proficere. In eo igitur Cice-

72) Cic. Brut. 95, 325. 73) Cic. Brut. 13, 51.

ronis obtrectatores errabant, quod Atticum illud, quod solum probabant, dicendi genus non tam docere quid sequendum esset, quam monere quid esset vitandum ignorabant. Cum enim Atticos oratores omne insolens atque ineptum defugere viderent, nihil curabant, nisi ne ipsi quoque insolenter et inepte loquerentur. At obliviscebantur etiam Attice posse vehementer et splendide dici; et cum Attici oratores exigua tenuiter, magna elate et acriter dixissent, ipsi, quia tenuia sola propter ingenii exilitatem consequi poterant, omnia exiliter dici volebant. Sed Cicero, quocum Calvus iniquissimam contentionem de principatu eloquentiae habuerat (74), longe rectius illo intellexit caput esse artis *decere*, id est rei magnitudinem verbis aequare. Cum igitur et ingenio plurimum valeret et maximo studio quicquid sciri poterat didicisset et summa industria sese ad dicendum exercuisset et optimorum scriptorum et magistrorum exempla aemularetur, Romanorum omnium primus id est assecutus, ut orationis instruendae arte et copia eloquendi ubertate et dignitate artium omnium notitia accuratissima Graecae eloquentiae principi Demostheni aequaretur.

§. 39.

Rhetoricae apud Romanos fundamenta.

Quo certius agnitum est eloquentiam omnium artium et maxime philosophiae praesidio muniendam esse et tanquam florem ex omni scientiae genere enasci, eo magis Romani generosiore indole praediti a rhetoribus ad antiquiores cum sciendi tum eloquendi auctores et fontes se contulerunt. Hinc qui dicendi artem interius cogniturі erant quicquid a viris Graecorum eruditione principibus excogitatum et perscriptum erat dedita opera perdiscebant. Et cum Plato, qui sentiendi praestantia et dicendi ubertate quasi deus quidam philosophorum haberetur, opus oratorium sprevisse potius quam ignorasse videretur, duo maximi viri ad dicendum duces sequendi illis videbantur, doctrina summi, facundia non contemnendi, Aristoteles Platonis discipulus et Theophrastus, cui Aristoteles magister fuerat. Ex horum libris summam dicendi copiam et acumen maxime inveniendi et partiendi sumi posse cum Cicero primus animadvertisset (75), huius exemplum alii plures, ut M. Calidius C. Calvus M. Brutus M. Messalla secuti sunt. Videbant tamen hominum a foro remotissimorum praecepta non sic temere ac sine rerum usu ac iudicio arripienda esse; accedere etiam elocutionis memoriae pronuntiationis artificium, de quibus rebus illi non praecepissent; praeterea vel summam indolem sine accuratissima exercitatione non proficere, sed quasi inermem videri et ad impetus insidiosos facile patere. Hinc necessitas exstitit etiam praestanti ingenio viris, ut sese in magistri alicuius disciplinam darent ad fori usum instruendos. Horum rhetorum maxime expetebantur Graeci: sed, cum philosophi Athenas tanquam sedem praecipuam colerent, eloquentiae docendae laus ad Rhodios transierat. Eorum, qui Rhodi Ciceronis aetate docebant, nemo Apollonio, qui et Molo vocatur, incertum an Molonis filius, clarior fuit. Hic cum Sullae aequalis esset, studiose auditus a Cicerone est, cum is post primam causam publicam magis vehementer quam perite dictam cum valetudinis restituendae tum discendi causa in Asiam esset profectus (76). Natura rei effectum est, ut, cum Graeci rhetores et in urbe et per Graeciam et Asiam maxime expeterentur, Latini doctores contemnerentur. Tota enim disciplina oratoria peregrina videbatur adhuc et vix in usum recipienda; in qua cum Graeci omnia summa praestarent Romanis vix prima initia egressis, quid mirum, quod discendi cupidi et utriusque sermonis periti novam et dubiam eruditionem fastidirent et firmam stabilemque artis laudem amplecterentur? Accedit, quod rhetores latini a L. Plotio prosati iure magis rabulis quam oratoribus erudiendis apti visi sunt, quae causa censoribus Crasso et Domitio fuerat cur eos ex civitate tollerent. M. Antonius Gnipho hac aetate

74) Seneca Controv. III. 19. verba sunt.

75) Cic. ad Divers. I. 9. Inv. I. 5, 7. et multis locis librorum de oratore. 76) Cic. Brut. 90, 312. 91, 316.

unus veram etiam ex discipulis laudem tulit. Is enim, cum et literas et eloquentiam doceret, C. Caesarem adolescentem discipulum habuit et a Cicerone iam praetorio expetitus est, qui eum in declamitando exerceret. Sed qui praeterea commemorantur, Sex. Clodius L. Epidius L. Otacilius certe discipulis nobilitati non sunt. Otacilius enim Cn. Pompeii, Epidius M. Antonii triumviri et Augusti Caesaris magister fuit, quorum nullus dicendo viguit ([77]). Graece Romae Cicerone adolescente docuit Hermagoras, cuius disciplina ad ornandum inops, ad inveniendum expedita fuisse dicitur. Sed huius et aliorum Graecorum praecepta iam illa aetate ita insederant, ut Romani scriptores quae ab eis sumpsissent hic illic pro populi et temporum natura mutata in publicum ederent. Horum librorum exstant illi, quos scriptor nunc ignotus ad C. Herennium misit; homo in invenienda et distribuenda materia nec inops nec ineptus, eloquendo impar. Duplex ad cognitionem eloquentiae veteris ex his libris efficitur utilitas; altera, quod Graecorum praeceptorum summa et capita partim recepta partim reprehensa cognoscuntur; altera, quod quantum in hoc quoque genere Romani tempore satis exiguo profecerint intelligitur ([78]). Libros de arte oratoria praeter Catonis et Antonii scripta ante auctorem Rhetoricorum ad Herennium nullos fuisse satis certum videtur ([79]). Neque etiam magno numero fuisse credendi sunt qui rhetoribus audiendis erudirentur: id enim ut fieret, Augusto demum principe invaluit et eo magis receptum fuit, quo manifestiora erant eloquentiae in exiguum iudicialium causarum orbem coactae decrementa ([80]). Hinc maxime elucet laus Ciceronis; cui adeo non satis videbatur eloquentiam ad summum praestantiae fastigium extulisse, ut adolescentes discendi cupidos senex circa se congregatos docendo et re-

77) Suet. de cl. rhett. c. 3. 4. 78) De Hermagora vide Cic. Brut. 76, 263. Hinc Isidoro Hispalensi Origg. II. 2. secundum Gorgiam et Aristotelem tertius rhetorices inventor dicitur. Hoc volebat, tres illos prae ceteris artem diversis rationibus et consiliis ineundis explicuisse. 79) v. Schuetz. prolegg. ad Scr. Herenn. p. 41. 80) Seneca Controv. prooem. II. p. 134 Bip.

gendis eorum exercitationibus erudiret. Certe quantumcunque M. Caelius C. Calvus M. Brutus dicendo valuerunt, magnam partem laudis eius Cicero magister sibi vindicat. Etiam Dolabellam Hirtium Pansam Plancum cum rei publicae causa tum ob elegantiam ingenii ad eas exercitationes admisit ([81]).

§. 40.

Exercitationes oratoriae.

Etsi igitur periti harum rerum existimatores intelligebant sine rerum maximarum usu et veritate causarum orationibus reddenda eloquentiam cogitari non posse, opus tamen esse videbant exercitationibus ad veritatem imitandam compositis. Has igitur, cum historiam eloquentiae veteris universae non scribamus, perpaucis tractabimus ([82]). Commune nomen omnium, quae in scholis exercendi ingenii causa pronuntiabantur, Graecis est μελετῶν: Romani post Ciceronem, cuius aetate id vocabulum novitium videbatur, *declamationes* dicunt et *declamandi* atque *declamitandi* verbis utuntur ([83]). Declamationum genus antiquissimum et cui Ciceronem tantum tribuisse ferunt, ut etiam post summos honores gestos in eo sese exerceret, θέσεις sunt, argumenta generalia, communes loci, ex quibus etiam verarum causarum constitutio et iudicium repetenda sunt: velut *num sapienti committenda sit res publica* vel *num cives indemnatos pro salute rei publicae liceat occidere.* Theses Peripatetici, si non invenisse, at certe

81) De Cicerone magistro eloquentiae ipsius testimonio uti licet p. Caelio 4. epp. ad Divers. IX. 18., quod lucem accipit a Seneca Controv. I. prooem. p. 63 Bip. Quos *grandes praetextatos duos* vocat, Hirtius & Pansa sunt consules a. 711. Adde Quintilianum VIII. 3, 54.; ubi quod controversum est propter scripturam Pansae nomen, firmatur loco altero XII. 11, 6. et Suetonio de clar. rhett. 1.: quanquam Wolfius loci Quintilianei alterius immemor Suetonio Pansam ereptum ibat. Eum dilectum a Cicerone fuisse ostendit liber illi inscriptus *de arte* a Nonio commemoratus v. *inaudite*, p. 30. Merc. De Planco consule Hieronymum in Chronico p. 185. et adde Ruhnkenii annotata ad Velleium II. 63. p. 285. 82) Plura v. ap. Cresoll. theatr. Rhet. IV. 6. 83) Seneca controv. praef. libri I. p. 63. Bip. Cic. Brut. 90, 310.

studiose dicere solitos esse Quintilianus auctor est (84). His affines sunt ἀνασκευαί et κατασκευαί, quibus fabulis fieret fides vel historiis derogaretur (85). Sed thesibus opponuntur ab artis scriptoribus ὑποθέσεις, quae sunt argumenta personis locis temporibus coniuncta (86). Haec cum vera sunt, quae ab oratoribus tractantur, tum ficta ad veritatis similitudinem. Ficta, quae in scholis dictione tractari solebant, Cicero *causas* dixit, actas sequens *controversias*, quod ea significatione recentius etiam quam *declamationis* vocabulum Seneca dicit (87), cum hoc ipsum auctorem Cicerone et Calvo antiquiorem non habeat. Veteres autem eodem Seneca et Suetonio testibus eas causas fictas s. controversias dicendo exsequebantur, quae proxime ad veritatem accederent, ita ut committi eas potuisse probabile videretur (88). Hoc genus tanquam maxime idoneam exercendi ingenii materiem laudat Quintilianus eorum, quae ab aequalibus in ea re peccarentur, cum tacita quadam reprehensione recordatus (89). Quantum enim iam Augusto principe, quin ab ipso Latrone, qui primus celebrati nominis professor fuit, veritatis lex violata sit controversiae docent a Seneca conscriptae; sententiae enim pleraeque pueriles sunt, argumenta portentosa. Praeterea mos Graeca Latine vertendi tanquam Crassi et Ciceronis commendatur a Quintiliano (90); quem veri simile est quae Crasso tribuantur in libris de Oratore ex Ciceronis sententia dici existimasse: Ciceronis enim de se testimonium non exstat, etsi nemo ignorat Platonica quaedam et Demosthenis Aeschinisque orationes de corona ab eo Latino sermone donata esse. Fecerunt etiam Brutus et Messalla, et aetate illa usitatum fuisse Suetonius docet. Nec deerant, qui carmina solutâ oratione redderent; quo genere solo Ser. Sulpicius Ciceronis aequalis usus fertur, reprehendit autem

84) Cic. Or. 14, 45. ad Att. IX. 4. et 9. Quintil. II. 1, 9. X. 5, 11. 85) Quintil. II. 4, 24. Sueton. cl. rhett. 1. 86) v. nos ad de Or. II. 19, 78. 87) Controv. I. prooem. p. 63. Errat Westermannus p. 140. Verba *aut controversiam* apud Cic. de Or. III. 28, 109. excludenda sunt. 88) Seneca l. c. 89) Quintil. X. 5, 17. 90) Qu. X. 5, 20.

Crassi persona Cicero (91). Postremo vel rescribebatur causis veris, ut Cestius in Milonem fecit (92), vel, quod Brutus in Miloniana Ciceronis fecisse traditur, in oratione de domo Ciceronis Calidius, in causa acta elaborabant (93). Recitationes autem sive ἐπιδείξεις, quae Graecis vocantur, cum apud Graecos vetustissimae essent, Romanis non ante Augusti tempora usitatae fuerunt: Asinius enim Pollio primus earum auctor fuit (94).

§. 41.

Usus eloquentiae.

Sic instructi adolescentes ingenua indole praediti et nominis nobilitandi cupidi in forum veniebant, mature quidem plerique, sed non imparati. Ita de Caelio Calvo Bruto Pollione Messalla accepimus, et diu sane cunctatus Cicero videtur, qui anno sexto et vicesimo primam causam privatam P. Quinctii egit, Sex. Roscii publicam anno post (95). Adolescentes autem, qui honores non gessissent, sed exspectarent, nec satis potentes plerique essent, ut opibus et clientelis in re publica valerent, trium generum dicendi iudiciale, quo ingenii praestantiam ostenderent, re ipsa iubente eligebant. Propter nobilitatis in civitate potentiam, quorum rursus pauci quidam in ceteros dominabantur, factum est, ut viri honorati et illustres magis defendendis reis amicos colligere, quam persequendis industriam ostendere mallent. Hinc igitur pessimo publico invaluit ille mos, ut accusationes adolescentibus obtingerent fere solis: ut, si imperitia actorum nihil deliquisset, patronorum arte et potentia vel maxime noxii debitae poenae subtraherentur (96). Hoc perverso more effectum est, ut frigerent accusationes, sontes potentium hominum auxilio freti exsultarent actoribus et provincialibus, qui plerosque

91) Quintil. X. 5, 4. cf. Cic. de Or. I. 34, 154. 92) Quintil. X. 5, 20. 93) Quintil. X. 1, 23. 94) Lipsius Epp. Sel. centur. XI. ad Belgas ep. 48., unde sua Wolfius in praef. Marcellianae p. XIX. 95) Quintil. XII. 7, 3. 96) Caelius ad Ciceronem VIII. 2. 4. 6.

reos agebant, iuxta contemptis. Verris auxiliatores Hortensium Metellos Scipiones norunt omnes. Ille si Ciceronis opera cecidit, non id eloquentiae debebatur, sed hominis quamvis ditissimi ignobilitati. Eadem causa fuit cur Cicero manifestorum criminum reos quosdam quamvis ambitiose defendens damnationi subtrahere non potuerit, velut turpissimum hominem A. Gabinium P. Varenum M. Scaurum, ut nobilem, ita contemptum nec ullis aliorum, qui tum potentes erant, praesidiis subnixum ([97]). Rectius quam principes iudicabat populus ambitioso studio nullo praepeditus. Inde exsibilatus aliquanto Hortensius est, quod Messallam ambitus apertissime convictum iudicibus pecunia corruptis periculo exemisset, Cicero autem convicium audivit a Iuvencio Laterense, quod dedita opera miserabiles pro sontibus perorationes faceret. Invaluit igitur mos, ut homini quamvis honesto in causa agenda omnia facere liceret; facta infecta verbis reddere, vera falsis obruere, manifesto vera pro mendaciis tractare, quo pluribus opera ipsius oratoria probaretur. Nam illud Sophistarum *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* in primis oratorium habebatur nec Ciceroni modo et Quintiliano placuit, qui patroni et causidici erant, sed etiam Panaetio Stoico, qui homines alias sese rigidos virtutis assertores iactabant ([98]). Rursus etiam accusatores falsissima crimina confingebant, ut reis nocerent: quod iam prius factum esse in causa P. Rutilii a M. Scauro accusati iure affirmat Cicero ([99]). Neque etiam, nisi omnis clamaret antiquitatis memoria, Demosthenes an Aeschines rectius praefuerit rei publicae, hic an ille a Philippo sese corrumpi passus sit utriusque orationibus adhibitis dignosceremus. Quam leviter enim oratoris munus et officium iudicatum sit et quam omnia in persuadendo, non in veritate tuenda posita fuerint, ingenue confessus est Cicero Cluentium defendens. In ea causa cum accusator Accius ob-

97) Quintil. IV. 1, 69. VII. 2, 86. Ambitus enim damnatus, repetundarum absolutus est Scaurus; de hoc iudicio v. Val. Max. VIII. 1, 10. 98) Quintil. XI. 1, 74. Cic. Off. II. 14, 51. 99) Cic. p. Fonteio 13.

iecisset quae ille olim in Verris causa dixisset de officio iudicis, ille satis ingenue profitetur oratoris non esse veritatem tueri, sed probabilem videri orationesque omnes non esse hominum et patronorum, sed rerum atque temporum ([600]). Quin ne praevaricationem quidem actores cum patronis facere fugiebant, si ipsorum rationibus conduceret: cuius sceleris certissimum exemplum in causa Catilinae a Cicerone defensi exstat ([1]). Ceterum tempus, quo quisque in iudicio dicens uteretur, cum ante infinitum fuisset, ut non nulli iudices dicendo fatigarent, lege a Pompeio tertium consule lata angustius redditum est, ut accusator ne plus duabus, patronus ne plus tribus horis uteretur ([2]); quod tempus bonis oratoribus sufficiens loquacium inanitatem perdebat ([3]). Hinc etiam illud veris causis commodum fluxit, ut pleraeque ab uno defenderentur, quod natura rei postulat. Nam, cum antiquo instituto uno accusante unus defenderet ([4]), Cicerone adolescente id ita mutatum est, ut bini terni seni patroni dicturi procederent causa ita partita, ut vel alter expositionem confirmationem et refutationem, alter perorationem susciperet, vel ut unus rem exponeret, alter confirmaret, tertius in refutando et perorando versaretur: saepe etiam omne munus oratorium a singulis tractatum est separatim ([5]). Ciceroni, quod et vehementius diceret et miserabilius quam ceteri, perorandi munus relinqui solebat. Igitur M. Caelii Rufi causa praeter ipsum a Cicerone acta et Hortensio; Murenae Sullae Balbi Flacci Sextii causae Ciceronis et Hortensii opera iuncta; quin M. Scaurus a sex patronis defensus Cicerone Hortensio Calidio Clodio Marcello Messalla. Post, ante legem quidem Iuliam, ad duodenos perventum esse Asconius auctor est ([6]).

Generis deliberativi haud dubie Cicero sine aemulo princeps erat. Praeter hunc maxime Cato et in senatu et popu-

600) Cic. Cluent. 50. 1) Cic. Att. I. 2. 2) Cic. Brut. 94, 324. dial. de Oratt. 38. 3) Cic. Brut. 69, 243. 4) Cic. Cluent. 70. 5) Cic. Brut. 57, 207. 6) Asconius ad Scauranam p. 20 Orell.

lari dictione excelluit. Reliqui autem, qui in iudiciis famam assecuti sunt, aut quod adolescentes essent, ut Caelius Calvus Pollio Messalla, aut quod moribus perditi erant, ut Curio illorum quibusdam aetate par, in deliberatione publica non valebant. Cato autem orator non erat, hoc est non curabat quo modo audientes delectaret atque moveret, sed falsis veri similitudinis imaginibus nudam et rectam veritatem praeponebat. Hinc nec apud populum nec apud potentes satis valebat, quanquam spectata vitae integritas orationi fidem faciebat: ille enim arte et blanditiis moveri, hi leges tolli volebant, ut regnarent ipsi; ita tamen, ut veteris rei publicae eversio fallaci libertatis specie praetexeretur. Sed ne Cicero quidem, cum esset etiam in populari dicendi genere et senatoria sententia princeps, in re publica eam dignitatem, quam dare ingenium et honores viderentur, satis tueri potuit. Nam et id tempus erat, quo plus possent regales non nullorum opes militaribus copiis aut ingentibus clientelis subnixae, quam laudes honeste quaesitae; et Cicero, cum sese omnibus rebus praeter ingenium superari ab aliis videret et fiducia sui plane careret, post splendidum illum consulatum ad vitae usque finem potentioribus serviebat. Itaque, cum sese foede relictum aliquando et inimicorum iniuriis expositum vidisset, tamen dominum instare rei publicae intelligens eam factionem constanter secutus est, quam legibus et institutis patriis minus hostiliter imminere videret. Intelligimus igitur Ciceronem, cum maxime floruerit eloquentia, rei publicae ruinam aliquantum quidem morari sed arcere non magis potuisse, quam Demosthenem olim Atheniensem: quem cum pericula publica recte sentire cives intelligerent, sequi tamen monentem noluerunt.

Tertium eloquentiae genus, quod Graeci ἐπιδεικτικόν, Quintilianus demonstrativum vocat, ultra laudationum funebrium morem propagatum non est; illae autem dicendi quidem, sed non artis oratoriae campum quendam patefaciebant: habebantur enim non a peritissimis oratoribus, sed a proximis cognatorum.

§. 42.

Orationes scriptae et commentarii.

Orationes autem nec de scripto habitae sunt (7) nec vulgo nisi capita, exordia maxime et perorationes, ante quam diceretur, chartis mandata. Nam, inquit Cicero, orationes pleraeque habitae scribuntur, non ut habeantur (8). Ita priorem orationem, quam ille pro Milone habuit, legit adhuc Quintilianus, longe inferiorem illi, quam postea scripsit elaboratius, nec ab ulla parte comparandam: qua cur uteretur minus ornata in amici optime meriti periculo, nisi ut quae scribendo inchoaverat accurata meditatione aucta extemporalis dictionis colore accenderentur? Hinc Plinius (9) idem de Cicerone dicit, quod de Crasso Cicero (10): multa in orationibus capita non perscripta legi, sed notata tantum; ut pro Vareno, quae quidem perdita est, et pro Murena, ubi quae media sunt inter Sulpicii et Catonis crimina refutata, nunc omnino desiderantur; quanquam in Mureniana teste quidem Plutarcho eo minus placuit, quod in commentatione nimium desudaverat. In quibus igitur minor sibi ipse visus est, ea, cum orationem ederet, consulto omisit, ne aliis quoque videretur famae non satis fecisse. Deinde etiam illae causae, quibus oratores impares fuissent aut in quibus voluntati eventus non respondisset, saepe omnino non perscribebantur, sed relinquebantur in commentariis. Ciceronis igitur actiones pro Gabinio Vareno Vatinio, etsi ex prima verba quaedam habet Hieronymus, quippe ex commentariis, non magis perscriptas fuisse puto, quam Scauri defensionem ambitus rei, cum de repetundis absolutus esset: quam in commentarios relatam Quintilianus legit (11). Quin Cornelia-

---

7) Wolf. praef. ad Marcellianam p. XIX. 8) Cic. Brut. 24, 91. Tusc. IV. 25, 55. Cat. M. 11, 38. Off. II. 1, 3. et de Scaurana et Planciana epp. ad Q. Fr. III. 1, 4. Sic intelligendum Q. Fufii convicium in Ciceronem apud Dionem XLVI. 7. Non dicit omnino nullam habuisse orationem, sed non talem, qualem verbis perpolitis postea ediderit. 9) Plinius Epp. I. 20, 7. 10) Cic. Brut. 44, 164. 11) Quintil. IV. 1, 69.

nam, cum quatriduo egisset, in duas orationes scribendo transtulit ([12]). Commentarios, id est meditationes scriptas actionum omnes magni huius aetatis oratores confecerunt. Ciceronianos quidem, quamvis extemporali et perfunctoria opera concinnatos et post mortem oratoris a Tirone editos, cum admiratione legit Quintilianus ([13]), qui idem Ser. Sulpicii tribus solum editis orationibus clari commentarios causarum omnium summis laudibus extollit. Hinc videmus tanquam rem singularem nec sane quotidianam commemorari orationes totidem, quot habitae verbis sint, perscriptas esse, ut Brutus apud Ciceronem de Hortensii oratione pro Messalla dicit ([14]). Aliud est enim, ut ait Plinius l. c. bona actio, aliud bona oratio. Is igitur, cum partes actionum in scribendo recisas fuisse exemplis ostendisset, ex tempore in agendo consumpto ostendit scribi totas non potuisse. Velut Cornelium quatriduo defensum a sese dicit Cicero. At nulla hodie oratio est, quae trium horarum spatium expleat, nec potuit reliquum tempus interrogandis testibus impendi, quod genus actionis Cicero coactus necessitate in solo Verre secutus est.

§. 43.
Q. Hortensius.

Oratorum Cicerone antiquiorum unus excelluit *Q. Hortensius* ([15]). Is natus a. 640 octo annis maior Cicerone, cum honores plerosque suis annis gessisset nec unquam ab urbe et foro afuisset, eum fortunae cursum tenuit, ut nullum unquam casum expertus sub ipsa belli civilis erumpentis initia deorum beneficio exstinctus esse videretur, ne quid pristinae felicitatis amitteret. Iam ante Sullana tempora cum maximis oratoribus M. Antonio & L. Crasso coniunctus et L. Philippo

12) Ascon. arg. Cornel. p. 62. Orell. cf. Plin. l. c. 13) Quintil. X. 7, 30. cf. I. 8, 19. III. 6, 59. Liber Ciceronis tertius decimus causarum, quem testatur Diomedes I. p. 365, procul dubio commentariorum erat, in quos causae relatae erant. 14) Cic. Brut. 96, 328. 15) De Hortensio exstat eruditus Luzacii libellus editus Lugduni a. 1810.

C. Cottae P. Sulpicio praelatus est ([16]). Mario & Cinna urbem tenentibus afuit; recuperata Sullae victoriis re publica ne huius quidem aliquem fructum percipere voluit et victricium partium commercio constanter abstinuit ([17]). Erat enim ita animatus, ut vitae deliciis et divitiarum fructu libenter uteretur, sed nec has avare quaereret nec illis cupidius se ingurgitaret. Ante consulatum a. 685 gestum in eloquendo insigni diligentia elaboravit et aliquot annis princeps oratorum habitus est, cum Cicero Roma abesset cum in Asiam profectus tum quaesturam Siciliensem gerens. Etiam postquam maximum certamen Hortensius consul designatus cum aedile designato Cicerone habuit in causa Verris, despiciens aemulum, quod neminem consularium sibi parem videret, multum laxavit industriam et singulis annis magis magisque de pristina virtute amisit. Sed a Cicerone consule in campum gloriae revocatus viribus refectis usque ad vitae exitum in summis causis tractandis una cum illo versatus est ([18]).

Hortensius in literis non plane hospes, sed natura et voluntate ab iis paulo alienior erat. Carmina fecit, quos antiquitas invenusta dixit ([19]); historiae scribendae studium aliquod tribuit, ut tamen nihil praeter nomen annalium eius commemoretur ([20]). Sed philosophiam multiplicemque Graecorum doctrinam omnem vix gustaverat: qua re Cicero, qui in Academicis hunc philosophiae adversarium constituisset ([21]), cum a se ad mutandam sententiam adductum scribit, hoc magis veri similitudini cuidam dialogos decenti, quam veritati tribuisse putandus est. Hinc maximus eloquentiae Hortensianae defectus cognoscitur. Cum enim memoria verborum cursu et flumine voce suavi et canora actionis dignitate et venustate praestaret, a natura quicquid magnum oratorem facit acceperat. Sed his naturalibus bonis confisus cum discendi laborem aspernaretur, nec facundiam literarum copia ornare et instruere curaret, adolescens quidem adolescentibus

16) Cic. de Or. III. extr. Brut. 88, 301. 17) Cic. Divers. II. 16. 18) Cic. Brut. 93, 320. 94, 323. 19) Gell. XIX. 9. cf. Plin. Epp. V. 3. 20) Velleius II. 16. 21) Cic. Acad. IV. 19, 61. Lactant. Inst. III. 16.

placuit propter sententiosum et copiosum dicendi genus: sed, seniori cum gravius quoddam conveniret, sententiarum illa concinnitas dignitate destituta debile quiddam et puerile habere videbatur ([22]). Tamen illis naturae bonis accedente studio dicendi non contemnendo partitione accurata collectionibus memoriae auditorum servientibus ([23]) secundum certe a Cicerone locum tenere existimatus est. Sed cum haud dubie magis placeret auditus quam lectus, orationes eius iam seculo post pleraeque evanuerant.

Primum in foro dixit undeviginti annos natus, cum L. Crasso & Q. Scaevola consulibus *causam Africae* egit a. 659 ([24]). Paucis annis post *pro rege* Bithyniae *Nicomede* dixit et magis etiam probatus discessit ([25]): ea causa a. 663 acta videtur, sub ipsa initia belli Italici. Sed quid rei fuerit, cur haec causa Romae ageretur non constat. Post Hortensius cum L. Philippo *pro Cn. Pompeii bonis* dixit a. 667 ([26]). Sequitur causa privata, qua Ciceronem pro P. Quinctio dicentem a. 672 primum habuit adversarium. Deinde *Cn. Dolabellam* L. F. ex provincia Cilicia repetundarum reum M. Scauro accusante defendit a. 676, sed non pervicit, ut absolveretur ([27]). Felicior fuit in altero Cn. Dolabella Cn. F. consulari item repetundarum reo facto a C. Caesare, qui postea dictator fuit, a. 677; hunc iuncta cum C. Cotta opera accusatori eripuit et in ea causa primas agere visus est, cum Cotta patronorum nomine princeps esset ([28]). Eidem *M. Canuleio* praetorio repetundarum reo affuerunt ([29]). Solus deinde Hortensius eo tempore aedilis *M. Terentio Varroni Lucullo* de repetundis reo a. 679 patrocinatus est et, ut absolveretur, effecit ([30]). Sequitur *causa Verris*, in qua habitam orationem legit adhuc Quintilianus ([31]). Post a. 687 *A. Gabinio* legem

---

22) Cic. Brut. 88, 301. et 95. 23) Cic. Brut. 88, 302. 24) Cic. de Or. III. 61, 229. Brut. 64, 229. 25) Cic. de Or. l. c. 26) Cic. Brut. 64, 230. Qualis haec causa fuerit docet Plutarchus Pomp. 2. 27) Ascon. in Scaur. §. 26. personatus Asconius in div. in Caecil. §. 24. 28) Cic. Brut. 92, 317. 29) Cic. l. c. 30) Personatus Asconius l. c. 31) Quintil. X. 1, 23.

de maritimo Cn. Pompeii imperium ferenti in senatu est adversatus ([32]). Cum Cicerone consule *C. Rabirium* perduellionis reum defendit ([33]); item eodem et socio et anno *L. Murenam* consulem designatum de ambitu ([34]); uno autem post *L. Sullam* eiusdem criminis postulatum; quorum ille quidem absolutus honorem tenuit, hic damnatus est ([35]). Paulo ante *L. Vargunteium* senatorem i. e. quaestorium defenderat de ambitu; cuius causae tempus non constat, modo quod ante Catilinariam coniurationem detectam actam oportet ([36]). Porro gloriosi laboris, ut ait ipse ([37]), Cicero et Hortensius consortes fuerunt in defendendo *L. Flacco* repetundarum postulato a. 695 ([38]); in *L. Sextio* de vi reo a. 698 ([39]); in *M. Scauro* ambitus & repetundarum criminibus petito a. 699 ([40]); in *Milone* defendendo a. 702 ([41]). Sed sine Cicerone causam egit alius cuiusdam *Valerii Flacci*, non eius, qui ex Asia de repetundis postulatus est ([42]), defendit *M. Valerium Messallam* consulem designatum ambitus reum, qui Hortensii sororis filius erat ([43]), denique *Ap. Claudium Pulchrum* censorem designatum eiusdem criminis postulatum, in qua causa paucis ante mortem diebus acta M. Brutum socium habuit ([44]).

§. 44.
Sisenna. Macer.

L. Sisennae laudes oratoriae historiarum scriptione adeo obscuratae sunt, ut ignorarentur, nisi duobus locis Cicero eius mentionem fecisset; nec ulla causa, quam egerit, cognita est praeter illam Rutilii sive Hirtilii sive Chirtilii, quam a Cicerone commemorari videmus ([45]). Hunc minorem Sulpicio, Hortensio maiorem fuisse ille dicit: qui cum decem

---

32) Cic. p. lege Manil. 17, 51. 33) Cic. Rab. Perd. 6. Duo verba inde habet Charis. p. 100. 34) Cic. Mur. 23, 48. 35) Cic. Sull. 4, 12. 36) Cic. Sull. 2, 6. 37) Cic. Brut. 1, 3. 38) Cic. Flacc. 17. ad Att. II. 25. 39) Cic. Sext. 2, 3. 40) Ascon. ad Scaur. p. 20 Or. 41) Ascon. arg. Milon. p. 35 Or. 42) Luzac. p. 64. 43) Cic. Brut. 96, 328. Divers. VIII. 2. Verba inde retulit Val. Max. V. 9, 2. 44) Cic. Brut. 94, 324. Divers. VIII. 6, 13. 45) Cic. Brut. 64, 228. 74, 259.

annis distarent, non multum sane Sisenna Hortensium praecedebat. Cum literis optimis eruditus esset et eloquendi inveniendique diligentiam afferret, tamen industria sola indolis oratoriae defectum adeo compensare non potuit, ut neque maiorem assequeretur et minori cederet ([46]). Genus eius dicendi antiquitatis quadam aerugine obsitum et Cicero notavit et grammatici plurima ob eandem causam ex eius libris enotaverunt ([47]). Magis quam orationibus historia Romana libris duobus et viginti perscripta claruit, cuius belli Sullani enarrationem partem fuisse, non singularem librum, probabile videtur. Verum tamen quamvis superasse priores credendus est, tamen ne ipse quidem id opus secundum Graecorum scriptorum elegantiam perfecit, ut neque honorifice de eo iudicet Cicero et historiam a literis Romanis adhuc abesse queratur ([48]).

C. Licinius Macer idem esse putatur, qui post praeturam a Cicerone praetore a. 688 de peculatu damnatus voluntariam mortem sumpsit; quae causa esse potuit, ut eius

46) Cic. Brut. l. c. Ex Corneliis Sisennam fuisse Ursinus docuit ad Sall. Iug. 98. et Vossius de Hist. Lat. I. 10. p. 44. Natus circa a. 635 praeturam peregrinam gessisse ex ahenea tabula apud Ursinum scitur a. 676. Pighius errat eo anno quaestorem ponendo: quod si verum esset, vix Cicerone maior fuisset. Contra Velleius II. 9. (cf. Ruhnk.) eum cum L. Antipatro Crassi magistro P. Rutilio Valerio Antiate Claudio Quadrigario coniungit, non aetate aequalibus', sed quod eodem tempore ediderunt; Rutilius certe maior fuit annis minimum triginta quinque. 47) Gellius secundum Quintil. I. 5, 13. eum *assentio* pro *assentior* dixisse notavit, Festus *meditimum* pro *mediterraneo*, quod nemini praeter ipsum placuit; porro primus dixit *patrem familiae* v. Probum p. 220., et *patres familiarum* v. Varr. LL. VIII. p. 73.; *congenulare* et *remulcare* ex eo exscripsit Nonius p. 57 Merc.; idem *apisci* pro *assequi* de iis, qui iter facerent p. 68.; *conducere* pro *prodesse* cum accusativo dictum [p. 274; *adesum* pro *ex parte comeso* p. 71.; denique adverbia *dubitatim* et *festinatim* p. 98. 514., cuius adverbiorum generis usum praeposterum in eo vituperat etiam Gellius XII. 15. De Sisenna praeter illos, quos commemoravi, dixit, sed nihil novi attulit C. L. Roth, commentatione edita Basileae a. 1834. 48) Cic. Legg. I. 2, 7.

filius C. Licinius Calvus iniquissimam cum Cicerone simultatem invidia ductus exerceret. Is annales composuit, ex quibus quaedam particulae servatae exstant, arguti cum loquacitate Ciceroni dicti ([49]). Idem de diligentia eius in inveniendo et partiendo honorifice iudicat, sed actionem lepore caruisse et aliquid ineptiarum habuisse, elationem autem impudentia fuisse plenam; tamen magnum eius in patronis nomen fuisse futurum, nisi vita et mores omnem ingenii commendationem evertissent ([50]). Huius ex oratione nescio qua *pro Tuscis* particula servata est apud Priscianum; nam alter locus quem etiam Diomedes habet, annalium est ([51]).

Reliquam turbam patronorum magis cupidorum quam peritorum, quae nec in re publica valuit nec memoriam literis consignavit, silentio praeterimus; pluribus quam opus erat persecutus est Cicero in Bruto.

§. 45.
M. Cicero.

M. Tullii Ciceronis vitam non scribimus: est ea tam accurate cum historia Romana eius aetatis coniuncta, ut separatim tractata non intelligatur. Neque etiam id agimus; sed paucis ostendendum est, primum quo modo et quibus auxiliis Cicero is orator factus sit, quem fuisse omnes fatentur, deinde quid eloquendi ars apud aequales eius opera profecerit.

Cicero tantam eloquentiae praestantiam minime institutioni oratoriae et artis praeceptis discendis debuit, sed cum naturae felicitati et omnium artium asciscendarum industriae, tum aetatis, qua exstitit, beneficio. Parentis et avi diligentia accurate eruditus est iis literis, quas didicisse tunc ingenuos adolescentes decebat; sed cum puer varia tentasset elaborassetque etiam in poesi, a qua, ut gesta sua celebrarentur, ne vir quidem factus abstinuit, mox auditis

49) Cic. Legg. I. 2, 6. 50) Cic. Brut. 67, 238. Att. I. 4. Plut. Cic. 9. cf. Val. Max. IX. 12, 7. 51) Prisc. X. p. 501. t. I. Diom. p. 61. Prisc. p. 496. t. I. Sed tribunus C. Rabirium accusaverat, v. Cic. Rab. Perd. 2.

claris oratoribus Crasso et Antonio cui operi natus et a natura factus esset intellexit. Id igitur primum egit, ut omnium artium accuratissimam cognitionem imbiberet. Ius civile ad Q. Mucium Scaevolam augurem deductus didicit; qui cum mortuus esset, Q. Mucium pontificem maximum assectatus est. Mox Romam delatis praecipuarum in philosophia sectarum principibus Phaedro Epicureo Diodoto Stoico et Philone Academico ducibus omnium philosophorum, qui in aliquo numero essent, placita didicit et auditis etiam post Antiocho Cratippo aliis ea studia nunquam intermisit: ut, cum re publica a Caesare exstincta libris scribendis inventutem ad Graecos cognoscendos illicere cuperet, eam senilem suam declamationem diceret. Cum igitur primam causam publicam Sex. Roscii de parricidio postulati egisset, tam et cultum et vehemens dicendi genus in forum afferre videbatur, ut nulla causa esset, quae non digna patrocinio eius haberetur. Tamen in Graeciam Asiamque per aliquod tempus secedere constituit; ut ipse dicit, valetudinis firmandae causa, ut alii tradiderunt, vitandis offensionibus potentium. Sed dici non potest quantum hoc itinere contraxerit commodi. Audiendis enim philosophis et rhetoribus, qui illa aetate plurimum famae habebant, exercendo apud Molonem Rhodium ingenio, acuendo rerum optimarum iudicio astrinxit puerilem illam, qua olim affluebat, vehementiam et quasi luxuriantem naturam ad sanitatem revocavit; ut corpore firmatus, artibus et literis plurimis instructus, maturam recti existimationem adeptus, omnino, ut ipse dicit, prorsus mutatus post duos annos Romam rediret. Nec postea unquam ea studia recolere et amplificare omisit, sed in summis rebus versatus et in ipso honorum functione doctorum hominum usu legendo scribendo declamando docendo vim et copiam eloquendi auxit et firmavit. Ad quam ingenii praestantiam cum accederet insignis integritas et innocentia morum, summo populi plausu omnes honores suis annis adeptus est et, cum nec opibus polleret nec nobilitate praestaret nec rerum bello gerendarum copiam aut quaesivisset aut oblatam accepisset, per aliquot annos rei publicae princeps habitus est.

Ciceronem oratorem Demosthenis vim non esse assecutum consentiunt. Huius enim magnitudo inest in rebus, quas profert, argumentis, quibus utitur, ponderibus sententiarum, quibus adversarios de statu deiicit frangit prosternit. Cicero autem inveniendi partiendi memoriae actionis praestantia Hortensium Calidium Calvum alios aequalium vincere non potuit: erant enim haec apud alium alia praestantissima. Duabus autem rebus omnes superavit. Altera est praestantia elocutionis, ars sententias numerose concludendi altera. De quibus virtutibus cum iam brevibus disputarimus, hic eadem iterandi locus non est (52).

Sed etiam aetatis felicitati partem gloriae debere Ciceronem significavimus. Ea felicitas non est otii et pacatae civitatis, qualis sub Augusto et Traiano fuit, nec morum simplici integritate conspicuorum, quales Spartae olim fuere et Romae vigebant, donec imperii impotentia orbis terrarum dominos corrupit. Sed merito felicitatem quandam temporum in eo agnoscimus, quod Cicero, cum esset cupidissimus discendi, tantam cupiditatis explendae materiem reperit, quae non pateret, si seculo prior fuisset; quod ingenio validissimus etiam colendi ingenii uberrimam copiam nactus est; quod ostendendae praestantiae in maximis causis agendis summisque rei publicae discriminibus tantam facultatem adeptus est: denique quod eo seculo ars, cui se totum dicarat, studiosis tanta diligentiae praemia reddebat.

Assecutus igitur est, ut nomen ipsius ab eloquentia seiungi non posset, et cum aequalium paucos, posterorum plures obtrectatores habuerit, sanos et prudentes artis existimatores eosdem sui admiratores reperit. Sed non solum exemplo suo artem auxit, sed etiam doctrina, eaque cum scriptis tum ore cum discentibus communicata. Significavimus enim artem suam Ciceroni tantopere cordi fuisse, ut praestantis ingenii adolescentes quasi suae laudis successores et aemulos praeceptis instruxerit et naturae eorum virtutem sua peritia adiuvare voluerit. Huic igitur Caelius Curio Brutus

52) §. 37.

magnam laudum suarum partem debuerunt et Brutus certe minime eam, quam debebat, gratiam Ciceroni retulit, quod quem imitari aut nollet aut non posset tanquam perversa secutum criminatus est. Sed non dixit modo et docuit praeclare Tullius, sed scripsit etiam non inferius. Non moramur Rhetorica priora, etsi etiam haec non contemnendam Graecorum praeceptorum peritiam ostendunt: sed inchoatos reliquit et itinere Asiano interruptos non absolvit suis profectibus indignos iudicans. At quis laudare eloquentiam facundius, quis necessitatem instruendae plurimarum artium apparatu ostendere luculentius, quis denique inveniendi partiendi eloquendi agendi praecepta ponere plenius potuit, quam ille in libris de Oratore? quis imaginem perfecti oratoris elegantius adumbrare quam fecit in Oratore ad M. Brutum? quis ortus et incrementa eloquentiae Romanae accuratius consignare literis, quam factum est in libro de claris oratoribus? Hi libri maturissimum profecto ingenii Ciceroniani fructum referunt, nec profecto talia scribere potuit, nisi qui Verrem damnavit Catilinam expulit Antonium communi civium odio obiecit.

§. 46.

Ser. Sulpicius.

Oratores aetatis Ciceronianae sic tractabimus, ut primum eorum res enarremus, qui Ciceroni suppares ipsorumque viribus fisi suam dicendi viam tenuerunt; deinde eos, qui Ciceronis doctrina et exemplo, cum aetate posteriores essent, secuti sunt; postremo illos, qui in Augusti usque tempora duraverunt.

Illorum antiquissimus & Ciceronis aequalis est *Ser. Sulpicius Rufus* (53). Is gente antiquissimae nobilitatis ortus, quod ipse in accusando Murena iactavit (54), sed quae maiorum culpa ad eam ignobilitatem descendisset, ut pater et avus nullis honoribus functi intra equestrem dignitatem sub-

53) De hoc scripsit R. Schneider, Lips. 1834, quo scripto tamen non utor. 54) Cic. Mur. 7, 15.

sisterent. Sed in P. Sulpicio huius gentili tractando illam Sulpiciae familiae partem ad plebem transisse videri diximus. De Ser. Sulpicii honoribus ante praeturam gestis non constat. Praeturam autem anno post Ciceronem administravit a. 689 et quaestioni de peculatu praefuit (55); consulatum Cicerone consule in annum sequentem petivit et superatus designatum competitorem L. Murenam de ambitu reum fecit per Ser. filium M. Catonem tunc tribunum et L. Postumium. Quem defendente Cicerone cum damnare non potuisset, abiecta consulatus spe decem annis sequentibus totum se causis agendis et respondendo de iure dedit, in quo munere non singularem modo scientiam, sed etiam raram integritatem ostendisse fertur (56). Consul igitur cum M. Marcello fuit sub ipsa belli civilis initia a. 703. In hoc magistratu tanquam cunctatorem increpat Caelius ad Ciceronem, qui tum Ciliciae praeerat, scribens. Verebatur enim Caesarem offendere in sortiendis provinciis et Parthos post Crassi mortem Syriae imminentes timebat (57). Bello coepto Caesaris partes tanquam tutissimas amplexus cum aliis consularibus, ut L. Volcatio et L. Caesare, etiam filium cognominem in eius castra misit: quod non iniuria reprehendit Cicero quamvis ipse desultor partim Pompeianarum (58). Inde Caesar eum Achaiae regendae praefecit, ex qua provincia Ciceronem epistola de morte Tulliae consolatus est, quae quarto epistolarum huius libro inclusa legitur. Hinc Romam reversus occiso dictatore moderatum libertatis recuperatae amicum egit. Mortuus est Mutinam legatus profectus ad conciliandum rei publicae Antonium. Quam ob rem Cicero honorificentissima dicta sententia (59) statuam eius in Rostris ponendam censuit. Filius eius paternae laudis consors ipse quoque de iure civili scripsit (60).

Sulpicius vir bonus fuisse videtur et amans rei publicae, sed luxuria seculi ad summam mollitiem et libidinem cor-

55) Cic. Mur. 20, 42. 56) Cic. Phil. IX. 5. 57) Caelius ad Cic. Divers. VIII. 10. al. 58) Cic. Att. IX. 19. 59) Philippica nona: Titulum huc spectantem v. apud Reinesium p. 504. 60) Affert aliquid inde Festus v. *municeps*.

ruptus, si quidem graviter queritur Cicero ([61]), quod una cum uxore libertinam sibi dilectam Cytheridem et septem aliis lecticis totidem sive amicos sive amicas in iter eduxerit. Sed oratoriam laudem ab eo abiudicare non licet. Quodsi enim quam honorifice in primis Quintilianus de eo existimet reputaverimus, mirum videri possit, quod Cicero quamvis amicus virtutes eius minus praedicaverit, quam viri laudes et mutua benevolentia postulabant. Nam in Mureniana quidem ignoscimus oratori τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντι, cum civilem Sulpicio prudentiam non adimit, sed eloquentiam non concedit. Sed in Bruto ([62]) eximiam quidem praeter alias literas illam ei laudem tribuit, quod cum peritia Scaevolae et aliorum iuris consultorum illam quoque doctrinam coniunxerit, quae dissipata componere confusa discernere suis quaeque capitibus subiungere doceat, et acumine dialectico iuris rudem adhuc indigestamque molem in artis formam redegerit: at mox addit assumpsisse Sulpicium eloquentiae tantum, ut ius civile facile tueretur, quod non sane magnum est, et alio loco principibus eloquentiae num par fuerit addubitat. Ne Philippica quidem nona laudem aliam quam iuris consulti habet. Iuris enim peritia ante Labeonem Antistium et Ateium Capitonem omnibus praestitit, ut libri reprehensorum in Scaevola capitum commentarium in duodecim tabulas alii in summo honore essent. Docent Gellius et Festus eorum testimonio multifariam utentes. Longe iustior Cicerone Quintilianus, qui non modo artis exempla a Sulpicio petit ([63]), sed etiam studium laudat ([64]), acumen insignem eius in dicendo virtutem praedicat ([65]), facundiam cum peritia huic, ut Catoni et Scaevolae, concessam fuisse agnoscit ([66]), insignem tribus orationibus perscriptis laudem partam esse refert ([67]), sed omnium orationum commentarios accuratissimos ab eo confectos narrat, nec minorem horum quam orationum praestantiam esse significat ([68]). Causarum, quas

61) Cic. Att. X. 10. 62) Cic. Brut. 41, 156. 63) Quintil. IV. 2, 106. VI. 1, 20. 64) Quintil. X. 5, 4. 65) Quintil. XII. 7, 4. 66) Qu. XII. 10, 11. 67) Qu. X. 1, 116. 68) Qu. X. 7, 36.

egit, una nota est *Aufidiae* nescio cuius, quam aut accusavit aut defendit: adeo enim in diversa abeunt scriptorum testimonia, ut ad liquidum res perduci posse non videatur ([69]). Nam Murenae accusationem, quod visum Westermanno, in hunc numerum referre non licet, quia non constat ipsene Sulpicius actor prodierit; quicquid enim Cicero criminum refutat a filio Sulpicii adolescente proferri potuit, quem non tangit ille, quia contra auctorem accusationis dicere, quam administrum petere maluit.

Addo Sulpicium cum aliis inter lascivos poëtas recenseri a Plinio ([70]); carminum nihil reliquum est.

§. 47.
C. Caesar.

C. Iulius Caesar, qui dictator fuit, ingenio excellens studiis diligens promptus dicendo loquendo elegantissimus omnium aequalium maxime verendus Ciceronis aemulus futurus erat, nisi gloriae et imperii assequendi cupiditas rebus bello gerendis occupatum ab opera forensi abstraxisset. Summa eius erat in eloquendo cura; quam ut multis literis illustravit, ita libris commentariorum testatam reliquit. Sed si scriptorum veterum testimonia consideramus, facile intelligimus recte perspexisse eum orationum aliam quam

69) Aufidiam accusaveritne an defenderit, non constat; hoc dicunt Quintil. IV. 2, 106. IX. 1, 22. Festus v. *manceps;* at idem ille VI. 1, 20 alterum testatur nec memoria, ut solet alias, deceptus est: quae enim exempli causa affert actoris personae, non patroni conveniunt. De coniecturis VV. DD. v. Westermann. p. 210. Messallam alterius partis patronum fuisse constat ex Quintiliano X. 1, 22. Hoc loco non relinquam Velleium II. 36., in quo explicando corrigendove cum alii errarunt tum Ruhnkenius. Lipsius enim recte intellexit illic non L. Crassum, sed M. Crassum triumvirum significari, nec P. Sulpicium, qui alio loco cum aequalibus et maioribus L. Crasso et M. Antonio satis laudatus sit (II. 9.), sed hunc Ser. Sulpicium iuris consultum. Illa verba *saneque M. Crassum* hoc ipsum significant ne hunc quidem, quod vix crederes, a laude oratoria alienum fuisse; de qua re vide Cic. Brut. 66, 233.

70) Plin. Epp. V. 3, 5. cf. Ovid. Trist. II. 441.

historiarum virtutem esse debere et, ut in rebus gestis narrandis summam simplicitatem perspicuitatem et verborum elegantiam consecutus sit, ita ne ab orationibus quidem illas laudes afuisse, sententiarum autem verborumque vim tantam in eis apparuisse, ut hac parte cum summis in eo genere viris compararetur. Artis enim eius orationes fortasse minus habuerunt, quam Ciceronis, sed naturae in Caesare illa felicitas fuit, ut tanta industria ipsi opus non esset. Hinc si nitidum illud et facetum Caesaris Strabonis gentilis sui in dicendo genus imitatus dicitur, id adolescentis erat nondum in summis rebus versati nec maximis discriminibus iactati. Quae si accessissent, quod in perpetuis bellis versato contingere non potuit, etiam vehementia et commiserationibus cuilibet fuisset par ([71]). Orationum commemorantur tres in *Cn. Dolabellam* repetundarum postulatum ([72]), qua causa prima summam sibi gloriam peperit; eiusque actionis pars divinatio erat, qua certavit cum aliquo, qui eandem actionem profitebatur ([73]); dein oratio *pro Graecis* in M. Antonium Creticum ([74]); tres in *L. Domitium* et *C. Memmium* contiones consulares a. 695 habitae ([75]); denique contio *ad milites*, cuius quae verba affert Suetonius ([76]) in Africa ante pugnam ad urbem Thapsum habitam arguunt. Incerto tempori assignanda oratio *pro Bithynis* ([77]): nemo enim Pighii rationem probabit, C. Memmium ex Bithynia administrata repetundarum reum actum per literas a Caesare tunc in Gallia bellum gerente a. 698. Quaestor pro contione laudavit amitam Iuliam et uxorem Corneliam ([78]). Sed quod Suetonius

71) De sermonis eius diligentia v. Cic. Brut. 72, 252., ipsius dictum de antiquariis apud Gell. I. 10. Macrob. Sat. I. p. 223. Z. Gellium ipsum XIX. 8. De vi dicendi Caesaris v. Quintil. X. 2, 25. cf. 1, 114. Plut. Caes. 3. 72) Schol. Bob. in Cic. p. Scauro 21. Gell. IV. 16. Dial. de or. 34. Suet. Caes. 4. Emporius ap. Capperonn. p. 311. 73) Suet. l. c. c. 55. 74) Asconius in Cic. in toga candida p. 522 Orell. 75) Schol. Bob. ad Cic. in Vatin. 6, 3. p. 317 Orell. Cic. Sext. 18, 2. Suet. Caes. 23. 76) Suet. Caes. 66. 77) V. reliquias ap. Gell. V. 13. Rufin. p. 201. cf. Suet. c. 49. 78) Suet. Caes. 6.

Cinnae uxoris suae fratri reditum rogatione Plotia confectum ab eo dicit ([79]), non rogationem Plotii s. Plautii Silvani spectat, quae socios intra praestitutum tempus professos in civitatem recipi iubebat: erat enim Cinna civis, sed exsul propter Sullae dominationem; sed alius cuiusdam Plautii de exercitu Lepidiano. Non magis iam Suetonii aetate constabat de oratione quadam *pro Q. Metello*, qui ipse quis fuerit ignoratur; inscribebatur enim in quibusdam exemplaribus *quam scripsit Metello*; certe Augustus male subsequentibus verba dicentis actuariis exceptam credidit, non ab ipso Caesare editam ([80]). Nec quae ferebatur *ad milites in Hispania* duplex, prior ante praelium (ad Mundam puta), altera post praelium habita, Augusto vera visa est; accedebat adversum Asinii Pollionis testimonium propter repentinam hostium incursionem ne tempus quidem milites alloquendi concessum fuisse ([81]). Denique ignorantur quales fuerint orationes *pro Decio Samnite*, *pro Masintha* contra Hiempsalem et *pro Nysa* Nicomedis filia ([82]).

§. 48.

M. Calidius.

Cum Cicerone vixit etiam octo vel decem annis minor *M. Calidius* Quinti illius filius, cuius rogatione olim Q. Metellus Numidicus restitutus est. Et is quidem ad praeturam ascendit, sed repetundarum damnatus est. Filius autem eo anno praeturam gessit, quo ab exsilio restitutus Cicero, P. Lentulo Q. Metello coss. (697), et insigniter eius honorem adiuvit. Cuius beneficii causa Cicero pluribus orationum locis magnificas ei gratias egit ([83]). Nec praeterea quicquam de rebus viri tam, ut videtur, honesti quam eloquentis constat, nisi quod Caesaris partes secutus, cum Galliae cis-

79) v. Meyer. p. 411. Suet. Caes. 5. Gellius XIII. 3. Nonius v. *necessitas*. 80) Suet. Caes. 55. cf. 66. 81) Suet. l. c. Sed exstant quaedam ex oratione *ad milites de commodis eorum* apud Diomedem p. 81. 82) Dial. de oratt. 21. Suet. Caes. 71. it. 49. de reliquiis Caesaris universis Meyerum p. 408 sqq. 83) ut p. red. in sen. 9.

alpinae praefectus esset, Placentiae decessit (84). Eloquendi praeceptorem Calidius Apollodorum Pergamenum eundem Augusti Caesaris magistrum habuit (85) et, cum Ciceroni familiaritate iunctus esset, partim etiam eius viam exercitandae declamando eloquentiae secutus est. Dixit enim ingenii exercendi causa de domo Ciceronis (86). Sed verarum eius aut actionum aut defensionum paene omnium memoria periit. Unde desumpta sint pauca illa verba, quae Festus (87) eius nomine habet, incertum est. Relinquuntur causae tres sane graves, quarum duae tamen ignotissimae sunt. Prima est actio in *Q. Gallium*, de qua haud mediocris doctorum dissensio fuit et incertitudo. Q. Calidius Marci pater a Q. Gallio accusatus et damnatus est (88). Hinc filius Gallium postulavit, defendit autem Cicero tum consulatus candidatus et pervicit, ut absolveretur. Sed quo crimine Gallius reus actus sit non efficitur ex loco defensionis Ciceronianae, qui adeo placuit artis scriptoribus, ut multifariam eo utantur demonstraturi quomodo sigillatim capita accusationis a patrono diluantur (89). Sed Severianus indicat vel repetundarum vel ambitus causam fuisse, qui pecunias reo obiectas fuisse dicat: quae, si causa ambitus fuit, distributae fuerunt, non captae. Atque id sane testatur etiam Asconius (90). De veneno eloquentissimus fuit Cicero, qui ipse in Bruto exponit quomodo id crimen eluserit; alium locum orationis Quintilianus retinuit, cuius interpres Spaldingius ceteras eius causae rationes acute explicuit (91). Admistum enim invidiae au-

84) Caes. B. Civ. I. 2. Euseb. ad a. 1960. 85) Euseb. l. c. 86) Quintil. X. 1, 23. cf. Markland. Prolegg. ad Cic. Oratt. IV. p. LXVIII. ed. Wolf. 87) v. *Sufes.* Dubito enim an *Gallium* ibi scribendum sit, cum exstet *Caecilium.* 88) Cic. Planc. 29. Verr. Accus. I. 13, 38. et ibi personatum Asconium. 89) Quintil. VIII. 3, 66. Aquila p. 144. Ruhnk. Severianus p. 338. Capperonn. 90) Ascon. ad or. in toga candida p. 88 Orell. 91) Cic. Brut. 80, 278. Spalding. ad Quintil. VIII. 3, 66. Q. Calidium patrem accusatum esse a Lollio nescio quo contra Menardum probare vult Ernestus ad or. in tog. cand. p. 1053. omnibusque apud Ciceronem locis Gallii nomen eximi, quod tamen mordicus retinent Asconius l. c. et qui eius nomine circumfertur Verrinarum interpres. Itaque

gendae causa crimen veneni in accusatorem Calidium tentati. Ciceronis autem locus apud Quintilianum luxuriosi convivii descriptionem habet, quae si causae defendendae non satis idonea videtur, intelligendum est pertinuisse eam ad diluendum crimen veneni, ut Gallius alienissimus ostenderetur a struendis insidiis in ea compotatione, in qua sibi ipse non satis cavisset a temulentia. Huius Gallii tunc iam senioris filii, post annos quatuordecim Calidium consulatus candidatum, sed repulsum, de ambitu reum videntur fecisse; de qua causa Caelius Ciceroni scribens Calidium in defensione eloquentem, in accusatione frigidum fuisse dicit (92). Idque maxime cadit in Calidium, quem Cicero omnibus fere laudibus oratoriis instructum fuisse affirmat, inveniendo et partiendo bonum, elocutione ac verborum elegantia eximium, struendarum et numerose componendarum sententiarum plane artificem, sed ab omni vehementia cum rebus et verbis tum actione alienissimum. Denique ille *M. Scaurum* repetundarum reum defendit (93).

§. 49.

M. Marcellus. M. Cato. M. Favonius. C. Memmius.

In *M. Marcello M. Catone M. Favonio C. Memmio* paucis defungi licet. Illum, cum propter insigne Caesarianarum partium odium exsul tum Mitylenis versaretur, summis laudibus cumulat Cicero in Bruto, iisdem exercitationibus ac stu-

Pighii sequor sententiam subscriptorem Gallii Lollium fuisse et a Cicerone dictum aliquando honestiore nomine.

92) Caelius ad Ciceronem VIII. 4, 1. 9, 5. Quanquam priore loco vulgo leguntur ignotissima nomina *M.* cuiusdam *Claudii* et duorum *Gallorum* pro *Galliis* et *Calidio*, altero autem *Canidii*, quem inter oratores et disertissimos quidem eius aetatem fuisse nemo novit. Utrumque locum ex Mediceo codice correxit Orellius. Simile vitium Nonium occupavit v. *logi*, apud quem legitur *Claudius in Quintium Gallum;* correxit Meyerus p. 200. ed. vet. Idem tamen Meyerus accusationem Calidii a Caelio memoratam Q. Gallii patris dicit esse; quasi Caelius de ea Ciceroni in provinciam scribere potuisset quatuordecim annis post et ei quidem, qui adversarii patronus fuisset! 93) Cic. Brut. 79. 80. Asc. ad Scaur. p. 20. Quintil. X. 1, 23.

diis atque se ipsum deditum ab ineunte aetate fuisse et summam diligentiam gravitatemque et verborum et sententiarum prae se tulisse ([94]). Huius laudis partem constantiae tribui, qua Marcellus maxime consul optimatium causam adversus Caesaris audaciam rei publicae exitiosam defendit, suspicari iure licet. Verum illa constantia, cum magnam animi firmitatem ostenderet, prudentia plane destituebatur. Erat enim Marcellus in eis, qui Pompeio caeciter confisi Caesarem facili negotio frangi et obteri posse crederent: qua de causa rem publicam, quam defendere poterant, Caesare insperato ingruente deseruerunt. Laudes illius oratoriae, si a Ciceronis testimonio discesseris, non ultra commemoratae reperiuntur.

Eandem in re publica causam, sed ingeniosius et sapientius tuebatur *M. Porcius Cato*. Is si minus rigidus exstitisset virtutis propugnator, magis profuturus erat civitati malis suis turgescenti et ambiguae inter libertatem et dominationem. Sic autem nobile spectaculum ex rerum historia eximeretur viri in ipsa omnium labe ac ruina invicti. M. Cato enim vigorem animi Censorii illius proavi sui retinebat, sed in dissimili rerum statu, quod leges et instituta maiorum, quibus a novatorum licentia tuendis ille intentus erat, cum dudum perdita essent, defendere non potuit. Sic igitur eas in se custodire et quantum posset libidini potentium in dies crescenti adversari decrevit, medius inter duas partes nec unquam delictis aliorum indulgens, etiam si id rei publicae conducere videretur. Genus dicendi eius quale fuerit, cuius Cicero ne nomen quidem in oratores retulerit, suspicari tamen licet. Totum enim Stoicorum sententiis accommodatum severum aequabili quadam moderatione temperatum ab omni placendi movendique voluntate alienum erat, uni veritatis patrocinio factum, Areopagitarum tristitiae quam illis moribus accommodatius. Raro dicebat nec nisi propter rem publicam: num scripserit quicquam dubitari licet ([95]).

---

94) Cic. Brut. 71, 250. 95) Nam Bruto data sunt quae dicuntur a Cicerone Brut. 31, 119.

Huius simiam vocabant *M. Favonium*, oratorum nullo in numero, sed tenacem et rei publicae liberae etiam adversus Octavianum, cum captivus ipse esset, defensorem. Huius insignem quendam locum de coenarum luxuria Gellius retulit ([96]).

Dissimillimus huic, sed non minus acer Caesaris adversarius erat *C. Memmius L. F.* Is tribunus contra Lucullum clamoribus et criminibus nomen quaesivit, et ex oratione eius *de triumpho Luculli* particulae servatae sunt ([97]); postea praetor in consulem Caesarem asperrimis orationibus invectus est ([98]); cum autem consulatum peteret, ambitus damnatus Athenas in exsilium concessit ([99]). Is Graecarum literarum peritissimus Latinarum fastidiosus dicitur, orator argutus verbisque dulcis; sed cogitandi pariter et dicendi laborem fugiebat. Auctoritatem igitur in civitate assequi non potuit ([700]).

§. 50.

Iam ad eos pervenimus qui aut ex uberrimis Ciceronis disputationibus aut exemplum eius imitati oratores prodierunt. Fuit enim illius praeclari viri, quam etiam in aliis magnis ingeniis animadvertimus, singularis quaedam laus, ut non solum ipse adiret omnes humanae scientiae fontes, sed etiam aliis patefaceret eosque ingenti studio discendi impleret. Inde factum est, ut adolescentes vix alium in literis ducem circumspicerent neque ad alium sese applicarent; etsi quidam vitae instituto et moribus, ut Brutus, alii exemplis ad ipsorum naturam accommodatioribus imitandis, ut Calvus, ab eius praeceptis dissederunt. Horum plurimum famae collegerunt aequales duo longe diversissimum vitae genus amplexi, *M. Caelius Rufus* et *C. Licinius Calvus* ([1]). Nam tertium horum

---

96) Gell. XV. 8. cf. Meyer. p. 424. 97) Servius ad Virg. Aen. I. 161. IV. 261. 98) Suet. Caes. 23. 49. 73. 99) Cic. Div. XIII. 1. Att. IV. 18. 700) Cic. Brut. 70, 217. 1) De Caelio dixerunt Manutius prooemio commentarii ad Ciceronis epp. ad Diversos VIII. et Drumannus in historia Romana, quem librum non habeo; de Caeliorum originibus Pighius vol. III. p. 28. et 201. Nomen saepe cum *Caecilio* confunditur: v. Ruhnk. ad Vell. II. 68.

aequalem *C. Curionem* verbo transmittere licet. Is summo ingenio praeditus a prima adolescentia in omni genere probri volutatus rem publicam turbavit, sed nec ad laudem maturitatis oratoriae pervenit nec scripti quicquam reliquit.

Gens Caelia summis honoribus functa non est ante C. Caelium Caldum consulem cum Cn. Domitio a. 660; sed huius familia, cuius etiam apud Ciceronem saepius mentio fit, cum Caelio oratore nulla cognatione iuncta fuit. *M.* enim *Caelius Rufus* patre equite Romano, qui Puteolis negotiaretur, genitus est eodem quo C. Licinius Calvus anno, Cn. Carbone tertium et C. Mario C. F. consulibus, a. u. 672 ([2]). Artibus a patre viro severissimo diligenter eruditus est et adolescens ad Ciceronem & M. Crassum deductus, quorum disciplinae et moribus insuesceret ([3]). Sed forma corporis eximia ingenio mutabili et facili ad vitia praeditus, cum ante Ciceroni consulatum petenti dedisset operam, mox Catilinam libidinibus & luxuria adolescentes sibi pignerantem assectatus est. Deinde cum Q. Pompeio propraetore, quem sanctissimum virum dicit Cicero ([4]), in Africa fuit. Inde reversus C. Antonio consulari homine turpissimo accusando primum documentum voluntatis in rem publicam dedit. Quaestorem etsi Pighius a. 697 fuisse vult, equidem hunc magistratum non ante Pompeium & Crassum secundum consules ab eo gestum crediderim. Inter quaesturam et tribunatum anno 702 gestum interiecta videtur altera accusatio Caelii, qua L. Sempronium Atratinum praeturae candidatum de ambitu reum fecit. Sed mox ab huius filio subornante Clodia olim a se amata ipse de vi et veneficio postulatus est: contra quam accusationem et ipse se defendit et Ciceronem patronum habuit, cuius ex-

et ad Iul. Rufin. p. 211. et confer mendose scripta apud Plin. H. N. VII. 49. Dionem Cassium XLII. 22. & Appianum pluribus locis libri secundi de bello civili. *Caelius* an *Coelius* scribendum sit incertum est; de numis v. Zumpt. ad Verr. Accus. IV. 70, 181., de codicibus Oudendorp. ad Suet. Caes. 48. Ex titulis utrisque scripturae documenta peti possunt: v. nostra ad Cic. de Or. I. 25, 117.

2) Plin. H. N. VII. 49. 3) Cic. Cael. 4. Quintil. XII. 11, 6. 4) Cic. Cael. 31.

stat oratio ([5]). Tribunus plebis Cn. Pompeio tertium consule sine collega cum bonis stetit Milonis defensor et legi Pompeiae de vi intercessionem minitans, quam privilegium in Milonem ferri dicebat ([6]). Quam ob rem summa, ut ait Cicero, bonorum voluntate ante annum suum aedilis factus est a. 704, qui erat provincialis Ciceronis. Huic igitur aedilis elegantissimas illas in Ciliciam epistolas scripsit, quae octavo libro Ciceronianarum continentur. Sed cum propter mores dissolutos aere alieno obrutus iam in ipso magistratu Caesaris causae sese addicere coepisset, quam ob rem Ciceronis discessu a se ipso discessisse dicitur ([7]), bello civili orto aperte ad illius factionem transiit. Hinc ab eo ductus in Hispaniam bello Afraniano praeturam multo ante annum accepit a. 706 C. Caesare secundum P. Servilio Isaurico consulibus ([8]). Sed cum Caesare in Graecia bellum gerente propter vim aeris alieni turbulentas leges ferre tabulisque novis instituendis operam dare coepisset, urbe pulsus et, cum accito Milone servitia per Italiam concitasset, circa Thurios interfectus est annum agens tricesimum quintum ([9]).

Moribus iracundus erat ad insaniam ([10]) et, cum insignem formae dignitatem foedi homines et mulieres impudicae expeterent, magis seculi quam sua culpa vitam vitiis inquinatam egit ([11]). Magnam enim Catilinam assectati infamiam esse oportebat, nec tantam iudicibus caliginem in causa Caelii offundere potuit Cicero, quin quod verum esset perspiceretur. Saltatorem, quod quam turpe Romanis convicium visum sit satis scitur, antiquiores secutus vocat Macrobius ([12]), nec honestiores sunt feminae libidinosissimae Clodiae amores ([13]); inquinatos mores ipsius paucis tangunt alii. De aere alieno,

5) De Caelio a semet ipso defenso testis Suetonius de cl. rhett. 2. 6) Ascon. in prooemio ad Milonianam, cf. Cic. Mil. 33, 81. Brut. 79, 273. 7) Cic. Brut. l. c. 8) Errat Manutius quaestorem Curionis in Africa fuisse arbitratus, qui ipsius aequalis erat. 9) Caes. B. Civ. III. 20 sqq. Liv. epit. CXI. Vell. II. 68. et ibi intpp. Dio XLII. 22. 10) Seneca de ira III. 8. 11) Cic. Att. VI. 1. Val. Max. IV. 2, 7. Quintil. I. 6, 29. 12) Sat. II. p. 389. ed. Zeun. 13) P. Victorius Var. Lectt. XVI. 1.

quod luxurioso vitae genere, fortasse etiam ambitiosis largitionibus contraxit, diximus.

Hinc inimicitias exercuit acerrime. Appium Claudium aedilis censorem, quod accusatorem lege Scantinia, quae fuisse videtur de incestu, in eum subornaverat, ipse eadem lege postulavit ([14]): quanquam utraque accusatio peracta non est. Quod Trebonius ipsi quamvis ante legitimum annum praeturam adepto praelatus est, praecipua causa fuit, cur a Caesare alienaretur.

Sed inter oratores nomen eius clarissimum fuisse omnis consensit antiquitas. Verbo eius mentionem faciunt Velleius ([15]) et Plinius Minor ([16]). Copiosiores sunt Cicero Quintilianus scriptor dialogi de oratoribus. Et ex eis quidem, quae oratorum princeps in Bruto habet ([17]), discimus eum cum elocutionis ornatu et facetiis tum actionis dignitate et venustate praestitisse. In Oratore autem quae de maestitia oratoria sive de tristi et severo dicendi genere commemorantur ([18]) apprime ad Caelium describendum accommodata et in ipsa causarum, quas egit, indole posita sunt. Accusando enim quam defendendo meliorem fuisse cum ex Bruto Ciceronis, tum ex eiusdem quodam dicto apud Quintilianum servato cognoscimus ([19]). Alio Oratoris loco ([20]) significari videntur antiquariorum deliciae a Caelio captari solitae. Nam et epistolae Ciceronianarum corpore comprehensae, cum abundent ingenuo dicendi spiritu et facetiis, huius vitii tum primum orti documenta exhibent, et docet idem ipsius, quam profert Quintilianus, vocis *frugi* originatio ([21]). Hoc vitium nimia cupiditate, ut solent qui rem ambitiose defendunt, ita persequitur scriptor dialogi de oratoribus, ut Galbam et Carbonem imitatum videri dicat et alio quodam loco hiantem eius

---

14) Caelius ad Cic. Div. VIII. 12. 15) Vell. II. 68. 16) Plin. Epp. I. 20. 17) Cic. Brut. 79, 273. 18) Cic. Or. 16, 53. 19) Quintil. VI. 3, 69. 20) Cic. Orat. 50, 169. 21) Quintil. I. 6, 29. *Parricidatum* idem, pro *parricidio* puto, dixit secundum Quint. I. 6, 42: minime enim probabilis Spaldingii sententia de Antipatro historico intelligentis: medius enim ponitur inter aequales Messallam Pollionem Calvum.

compositionem sordesque verborum reprehendat ([22]). Sed Secundus utriusque sententiae medius et iudex aequior granditatem consiliorum dignumque homine libero et futuro principe civitatis dicendi genus iustis laudibus extollit ([23]). Cum hoc consentiens Quintilianus multum in eo fuisse ingenii indicat dignumque cui et mens melior et vita longior contigisset ([24]). Itaque dignus ei visus est, ex cuius orationibus exempla studiosorum imitationi in primis idonea excerperet ([25]). Excerpta ex eo sibi missa esse M. Antoninus Frontoni scribit ([26]). Post hunc a studiosis lectus et exemplo habitus non videtur: nam verba sane aliqua propter qualemcunque rationem grammaticam a Prisciano aliisque artis scriptoribus apponi videmus. A doctrina Caelius non tam natura et iudicio abhorruisse, quam turbulento ingenio et luxuria vitae abductus esse videtur. Certe non reperitur alius Caelius, cui M. Varro librum suum de geometria inscripserit. Sed quod etiam a Cicerone librum sibi inscribi cupit ([27]) magis ambitiosi est, quam literarum studiosi: non enim familiaritate solum, sed etiam studiorum communione cum aequalium literatissimo coniunctus videri volebat.

Restat, ut de causis dicamus, quas egit, et de reliquiis orationum testimoniis scriptorum per antiquitatem sparsis. Et accusationum quidem, quas tres, omnes e re publica, fuisse Cicero dicit ([28]), duae satis notae sunt *C. Antonii* et *L. Atratini*. Antonius Macedoniae proconsul per triennium praefuerat, ex qua provincia Caelius cum repetundarum accusavit damnavitque ([29]). Iniuria disceptatur pecunia multatus an in exsilium eiectus Antonius sit ([30]). Nam neque sola multa huius delicti culpam ea aetate luisse reos constat et miseria illa Antonii, de qua Cicero pluribus orationum locis queritur, non potest nisi exsulis intelligi ([31]). Subscriptores Caelius habuit Q. Fabium Maximum et C. Caninium Gallum;

---

22) Dial. de Or. 18. et 21. 23) l. c. c. 25. 24) Qu. X. 1, 115. 25) Qu. IV. 2, 123. v. infra. 26) p. 32. ed. Berol. 27) Divers. VIII. 3. 28) Cic. Brut. 79, 273. 29) vide Cic. p. Caelio 7. et 31. Pigh. III. p. 334. 340 sqq. 30) Quippe ab intpp. ad Philipp. II. 23. 31) Cic. in Vatin. 11. Phil. II. 38.

nec sane accurate locutus est Valerius Maximus, cum a Caninio damnatum Antonium dicit (32). Acta autem causa est Caesare et Bibulo consulibus a. 695 apud praetorem Cn. Lentulum Clodianum, qui usitatiore cognomento Marcellinus vocatur (33). Genus eius mixtum, de Macedonia provincia male habita et perduellionis Catilinariae societate: quam ob rem Antonius, cum repetundarum crimen Cicero patronus refutasset, de vi damnatus est. Vatinius enim beneficio legis suae, quae commodiorem iudicum sortitionem concedebat, clausula adiecta reum Antonium exclusit, quod acerbe exprobrat Cicero in oratione, qua eum in senatu concidit (34). Huius actionis duas particulas servavit Quintilianus (35); altera brevissima est. Secunda accusatio in L. Atratinum de ambitu actione illa, quam Atratini filius ulciscendi patris causa Caelio intentavit, non multo prior videtur, etsi accuratius definiri illa res non potest; nihil eius praeter memoriam exstat. Atratinus enim damnati filius a Clodia, quam amaverat Caelius, instigatus hunc de vi postulavit admisto veneficii tentati crimine, quae res et ex Ciceronis defensione accurate scitur et accurato Quintiliani testimonio confirmatur. Duae enim particulae orationis a Quintiliano retentae sunt, qua Caelius quamvis Ciceronem patronum habens pro se ipse usus est (36). Acta ea causa est apud praetorem Cn. Domitium Calvinum a. 698 (37). De tertia accusatione non satis certo constat. Plurimi quidem Pauli Manutii sententiam secuti sunt D. quendam Laelium a Caelio postulatum, cuius nomen in incertae cuiusdam orationis Caelianae loco exstat (38). Dissentire et suam quandam sententiam ponere videtur Ruhnkenius ad Vell. II. 68. Nomina enim Caelii et Caecilii saepe in libris confundi ostensurus praeter alios etiam Plinii

---

32) Val. Max. IV. 2, 6. Iniuria Garatonus ad Cic. p. Sulla 33. Caelium subscriptorem Caninii vocat. 33) Garat. l. c. 34) Cic. in Vat. l. c. 35) Qu. IV. 2, 123. IX. 3, 58. 36) Quintil. XI. 1, 51. VIII. 6, 53. v. Spalding. 37) Drumann Hist. R. II. 413. 38) Apud Quintil. VI. 3, 39. cf. 41. Nec sane magnopere contenderim cum Spaldingio utrum *D.* an *L. Laelius* rectius scribatur, dum constaret eo nomine hominem ab ullo aequalium reum actum.

locis duobus utitur, quorum alter sic vulgo scriptus exstat: *hoc* (aconitum) *fuit venenum, quo interemptas a Calpurnio Bestia uxores M. Caecilius accusator obiecit* (39). Non faceret, credo, Ruhnkenius, nisi de hoc M. Caelio Rufo cogitaret. Nam si alius est, quid refert ignoto nomini subrogare aliud ignotius? Scimus praeterea Calpurnium quendam Bestiam praeturae candidatum his temporibus de ambitu accusatum esse Cn. Lentulo L. Philippo consulibus, a. 698 (40). Verum si ea magni viri sententia fuit, refellitur ex Ciceronis Caeliana (41), qua duas res publica accusationes a Caelio tanquam voluntatis pignora habere dicitur. Hinc tertiam illam Caelii actionem post a. 700 poni oportet. Neque etiam de Ap. Pulchro lege Scantinia postulato cogitandum, quam accusationem terrendi hominis causa susceptam abiecit, postquam voluntatem eius mutatam intellexit. Sed dudum suspicatus est idem ille Manutius (42) *Q. Pompeium Rufum* a Caelio de vi damnatum, hominem inter asseclas Clodii et in causa Milonis, cum tribunus esset a. 702, violentissimum. Hunc in exsilium pulsum ex Asconii argumento Milonianae scimus, sublevavitque eum Baulis exsulantem Caelius huius rei ipse iactator, cum ad Ciceronem in Ciliciam scripsit (43). Sublevatus autem ita est, ut Caelius matrem eius Corneliam Sullae dictatoris filiam coëgerit, praedia fidei suae commissa filio reddere; testis Valerius Maximus (44). Contionis Caelii *de aquis* ad populum verba quaedam Priscianus ascripsit eademque apposuit Frontinus, apud quem *de aquaeductibus* inscribitur (45). Incertarum orationum verba paucissima retinuerunt Quintilianus Priscianus Diomedes Rufinianus (46).

---

39) Plin. H. N. VII. 49. XXVII. 2. 40) Cic. Q. Fr. II. 3. 41) c. 32. 42) ad Div. VIII. 1. p. 827. 43) Cic. Div. VIII. 1. 44) Val. Max. IV. 2, 7. 45) Prisc. VI. p. 678. P. Frontinus II. p. 242. ed. Keuchen. Huc spectat Caelii dictum Div. VIII. 9. 46) Quintil. I. 5, 61. Prisc. VI. p. 221. t. I. Kr. Diomed. p. 41. Rufinianus p. 211. Iniuria Caelio tribuuntur alia quaedam huius et Catonis Censorii nominibus per errorem confusis. Primum qui apud Festum in *oreae* p. 144. locus affertur ex oratione *Caelii pro se apud populum*, Caelii esse iam ea de causa non potest,

§. 51.

C. Licinius Calvus.

C. Licinius Calvus eodem, quo Caelius, natus anno 672 in dispari natura vitaeque genere id tamen illi simile habet, quod vix explicatis et monstratis ingenii virtutibus praematura morte exstinctus est (47). Hic, etsi nomen contrarium videtur arguere, non tamen ex vetustissima plebeiarum et nobilissima gente Licinia ortus est, cuius multi eodem cognomine praediti fuerunt. Patre enim Macro Licinio, de quo ante diximus, ortus non antiquae nobilitatis fuisse se iam eo monstrat, quod gens eius perpetuo cognomine caret; qui mos sub Caesaribus ita increbuit, ut non filii modo a patribus, sed etiam fratres inter se diversitate cognominum distinguerentur. Honesta Calvus disciplina usus et omni bonarum artium genere diligenter imbutus fuisse videtur; multas enim in eo et reconditas literas agnoscit Cicero alias iudex eius non aequissimus. Neque moribus ab eo, quod instituit, vitae genere discrepantibus fuit. Frugi enim hominem fuisse cum

quod huius aetate nemo nisi de perduellione apud populum causam dicebat. Neque quis fuerit L. ille Stertinius constat, sub quo qui hanc orationem habuit sese militasse dicit, nec urbe abfuit Caelius nisi contubernalis Q. Pompeii in Africa. Sed aequalis Catonis et in Hispania proconsul ex praetura L. Stertinius fuit annis 555 ad 558, narratque Cato de illis, quae ipse consul illo teste in Hispania fortiter fecisset. Deinde orationis *de vestitu et vehiculis* particulae apud Priscianum VI. p. 694. s. 243. et XIII. 960. s. 566. item Catonis sunt, ut priore loco scribitur, non Caelii, ut Krehlius vult; qui cum Catonis nomen sine addito praenomine apud Priscianum dici solere affirmat, refutatur eiusdem orationis mentione VI. 276, Originum VI. p. 297., libri de re militari VII. p. 329. et aliis locis. Quae Casp. Barthius Adversar. XXXVIII. 14. p. 1748. ex lexico vetere Terentiano tanquam Caeliana laudat, ea ubi reperiantur ignoro. Sed sane defensio M. Saufeii acta a. 702. commemoratur ab Asconio ad Mil. p. 54.

47) De Calvo dixere paucis Crinitus & Gyraldus de poëtis Latinis scriptores, dein Levesque de Burigny in Hist. Acad. Inscr. & Litt. Elegg. Paris. t. XXXI. p. 122. et nuper Weichertus.

quod nemo vitae eius sanctitatem in dubium vocare ausus est, etsi summa dicendi libertate in potentissimorum hominum odia incucurrit, tum ex Valerii Maximi et Plinii testimoniis intelligitur (48). Nam quod versus paulo lasciviores fecit, cum viris gravissimis Q. Scaevola Q. Catulo Ser. Sulpicio C. Plinio aliis ei commune est: nec magis Quintiliae amores culpabimus, quam in Tibullo Deliae, qui sciamus ne a meretriciis quidem amoribus tunc interdictum fuisse adolescentibus. Sed ille liberrimum vitae genus amplexus post quaesturam magistratus non petivit, sed cum omnibus familiaritatis usu coniunctus, qui eo tempore gratia aut dignitate inter aequales praestabant, causis dicendis malisque civibus insectandis operam dedit: quod institutum eo laudabilius videtur, quo magis distabat ab eorum vita, qui populi auram aut principum virorum amicitiam quaerentes honorum viam ingrediebantur. Cum liberrima loquendi audacia et facetissimis dictis insignis esset, ne potentissimorum quidem reverentia adduci potuit, ut salsissimas eorum reprehensiones contineret. Nam et Cn. Pompeium et C. Caesarem mordacissimis versibus proscidit et palam insectatus est quos illis acceptos sciret. Caesari tamen postea conciliatus est ipso dictatore hominum omnium liberalissimo invitante, ut scribit Suetonius (49). Hinc etiam non ante annum 707 mortuum esse perspicitur. Sed epistola Ciceronis ad Trebonium scripta a. 708 (50) et Bruti locus, quo copiosius de eo iudicat, cum is liber principio anni 708 ineunte scriptus sit, proxime ante decessisse docent (51). Etiam cum Cicerone, cui propter patrem Macrum damnatum infensus fuerat, quae res utriusque de altero iudicio non mediocriter offecit, in gratiam rediit, ut plures adeo Tullii epistolae exstarent ad Calvum datae (52). Exiguo corpore erat, quod Catullus risit, homo facetus, sed qui

48) Val. Max. IX. 12, 7. Plin. H. N. XXXIII. 11. Is questum ait graviter, quod vasa coquinaria ex argento fierent. 49) Suet. Caes. 73. Cum Catullo et coniunctus vixit, ut testantur huius epigrammata 51. et 95., et ab Horatio componitur propter carminum similitudinem. 50) Cic. Div. XV. 21. 51) Brut. 82, 283 sqq. 52) Priscianus IX. p. 469 K. cf. Sen. Controv. III. 19. p. 232.

dicto saepe minus opportune uteretur ([53]). Valetudine adolescens non integra, sed iusto labore vitaeque genere frugi et sobrio refectus esse dicitur ([54]). Stirpem non reliquit; certe aedes eius in Palatio ad Octavianum Augustum pervenerunt et ab eo habitatae sunt ([55]).

Calvum poëtam aetate sua non contemptum, oratorem autem inter eos, qui siccitatem illam Atticam consectarentur, plane eximium fuisse constat. Et Ciceronem quidem paulo iniquius de eo iudicare non miramur, si quidem Calvum non abstinuisse videmus, quo minus iniustissime de principe Romanorum oratorum existimaret, quod plenior et vehementior et numerosior esse voluerat, quam qui ante eum fuerant eloquentiae laude clari ([56]). Peritus enim et moderatus harum rerum iudex Seneca longam et iniquissimam litem de principatu eloquentiae cum Cicerone Calvum habuisse iudicat ([57]). Sed etsi Ciceroni credendum est Calvum genus dicendi uberius et vehementius et numerosius ea maxime de causa aspernatum esse, quod naturae vitio assequi non posset, et, cum nimis in se inquireret et suorum verborum quasi calumniator ipse exsisteret, etiam earum, quae erant, virium partem perdidisse: tamen in parte eloquentiae minime contempta summus fuit et ab omnibus auctoribus, si ab Apro dialogi de oratoribus persona discesseris, meritis laudibus extollitur. Ille sane Galbam et Carbonem horridos antiquitate et rudes exempla ad imitandum ei proposita fuisse dicit, iniquius iudicans, ut accidit in utramque partem disputantibus ([58]). Et Plinius quidem ea consecutum dicit, quae pauci, quos aequus amaverit Iupiter ([59]). Seneca cum actionis vim laudibus fert, qua impetu dicendi elatus usque ad adversarios transcurrere et subsellia iudicum excedere solebat ([60]), tum compositionem ad Demosthenis exemplum severam et concitatam; in qua re

53) Catull. epigr. 54. cf. Ovid. Trist. II. 431. Apud hunc quid esset *exiguus* primus explicuit Scaliger ad Catullum. 54) Plin. H. N. XXXIV. 18. 55) Suet. Octav. 72. 56) Dial. de or. 18. Cic. Att. XIV. 20. XV. 1. 21. de opt. 9. or. 4. 57) Sen. Controv. III. 19. p. 232 Bip. 58) Quintil. I. 6, 42. 59) Plin. Epp. I. 2. 60) Seneca l. c. cf. Quintil. XI. 3, 133.

tamen non Ciceronis modo, sed etiam illius, quem imitabatur, dissimilis erat. Non enim membratim compositam orationem comprehensionibus numerosioribus distinguebat, sed omnia fere brevioribus sententiis dicebat antiquiorum, non cultiorum exemplum consectatus ([61]). Quin Ciceronis compositionem palam et literis ad ipsum datis reprehendere solebat ([62]). Sed et orationes eius et carmina ingentis animi plena fuisse Seneca, quem testem produximus, pronuntiat. Et Quintilianus ([63]) itemque scriptor dialogi de oratoribus ([64]) cum Cicerone consentientes, ille in singulis verbis calumniandis nimium fuisse, hic, cum sciret quid in eloquentia summum esset, magis virium inopia quam voluntate non assecutum esse dicunt: qua re factum esse, ut haud facile assurgeret eamque vehementiam, qua plurimum pollet oratio, raro consequeretur: ita tamen, ut in Vatinianis orationibus etiam ab hac parte laudabiles quidam loci fuerint. Cetera autem, inveniendi copiam probandi et refutandi acumen verborum venustatem et elegantiam summa in eo fuisse affirmant.

Inter poëtas obtrectatores non habuit. Quicquid enim de carminibus eius traditur, quae ludicra pleraque et cum amatoria tum epigrammata fuerunt, laudis plena sunt omnia ([65]). Carminum reliquias, cum alii id munus susceperint, non recensemus, sed actionum memoria colligenda orationumque quae exstant partes indicandae sunt. Non multo provectiorem

61) De antiquis v. Cic. Or. 66, 223. 62) Quintil. XII. 1, 22. 63) Quintil. X. 1, 115. 2, 25. XII. 10, 11. 64) Dial. de oratt. 25. Infelix illud verborum cavillandorum studium Quintilianus plurimis locis Calvo non nominato vituperat, ut X. 7, 14. 65) Seneca l. c. Cic. Div. VII. 24. Ovid. Amor. III. 9. Propert. II. 25. Plin. Epp. I. 16. Gell. XIX. 9. Et Cicero quidem Hipponacteam mordacitatem, Propertius amatoria in Quintiliam carmina laudat, Gellius circa Catullum et Calvum quicquid venustum et gratiarum plenum Romani Graecis opponere possint effloruisse dicit; qua de re versibus Horatii Serm. I. 10, 20. Propertii II. 19, 40. et Augurini apud Plinium IV. 27. illi coniuncti commemorantur nec idonea causa erat cur Heusingerus apud Plinium I. 16. Calvo Bibaculum subrogare vellet. Nam in Bibaculo mordacitas fuit, beatum ingenium non fuit.

annis, quam Hortensium et Crassum, quorum ille undeviginti annos, hic unum et viginti natus primum in foro dixit, ad causas agendas accessisse Calvum auctor est qui dialogum de oratoribus scripsit ([66]), reliquisse autem libros unum et viginti ([67]). Horum tempore priores illae fuisse videbuntur, quae ad augendam eius gloriam nihil contulerunt, quarum exemplo afferuntur orationes *in Asitium* et *Drusum* ([68]). Quis Asitius fuerit ignoratur variisque doctorum suspicionibus nomen illud causam dedit ([69]). Drusus autem ille videtur, qui reus de praevaricatione factus est, familiaris Pompeii, Pisaurensis; is cum epulone Vatinio subcontumeliose componitur in epistola quadam Ciceronis ([70]). Quanquam Cicero eum defendit Pompeio gratificaturus; quae defensio num ipsius Calvi actionem spectaverit, an Calvus accusationi subscripserit nescitur. Non clariores sunt defensiones duae, altera *C. Catonis* adversus Asinii Pollionis actionem ([71]); altera *Messii* cuiusdam, qui videtur C. Messius tribunus plebis a. 697, laudatus a Cicerone propter rogationem de reditu eius promulgatam ([72]). Etiam hic Pompeii erat amicus ([73]), videturque causa eadem esse, quam etiam Cicero defendit apud praetorem P. Servilium Isauricum ([74]). De genere eius etsi nihil certi habemus, publicam tamen fuisse et verba Senecae ostendunt, ex quibus Messium tertio causam dixisse videmus ([75]) et comparatus propter perorationis virtutem Calvus cum Demosthene, tum etiam illud, quod iurisdictionem urbanam illo anno habuit T. Annius Milo. Sed nulla re magis illustratum est Calvi ingenium, quam actionibus *in Vatinium*, ex quibus fere solis desumpta exempla sunt, quae ab artis scriptoribus afferuntur ([76]). Maxime laudata est secunda ex his oratio. Sed non plane clarum est, utrum hae actiones re et tempore seiunctae fuerint, an habitae in eadem causa. Certum est Vatinium ambitus reum factum a Calvo, cum M. Catonem praetura deiecisset a. 700, sed absolutum defendente Cicerone rogatu Pompeii ([77]); ex hac actione sunt, quae apud scriptores relata videmus: fere omnia enim ambitus mentionem habent. Verum cum hic annus Calvi fuerit vicesimus nonus, non potuit inde exemplum praematurae in foro dictionis sumi, nec primam eius actionem hanc fuisse significari, etsi prima claruisse dicitur a scriptore dialogi de oratoribus ([78]). Et cum Calvus a scholiasta Bobiensi orationum Ciceronis inter patronos P. Sextii nominetur ([79]), quem defensum esse a. 698 certum est, primam Vatinii accusationem Sextii defensionem tempore antecedere oportet; quod si ita est, non eiusdem delicti bis reus Vatinius fuit aut ampliatus vel comperendinatus est, sed diversis temporibus et de alio plane delicto. Hinc causa mihi orta est in Pighii sententiam inclinandi Vatinium a. 696, Calvi vicesimo quinto, accusatum existimantis apud praetorem C. Memmium maiestatis lege Licinia Iunia, quam promulgatione per trinundinum neglecta Vatinius prioris anni tribunus vio-

66) c. 34. 67) c. 21. 68) Dial. de or. 34. 69) Cic. Cael. 10, 23. eundem fortasse Ascitium dicit, sed nec lectio certa nec nomen Romanum videtur. Lipsius *Asinium*, Heumannus *Fuscinium*, quod nomen sic corrupte scriptum exstat pro *Vatinio* apud Charis. p. 203., Nicolaus Loënsis *Vatinium*, hic quidem pessime, quia in Vatinio in primis claruit Calvus, Thorbeckius *Asidium* secundum Sen. Suas. 2. p. 16., denique Weichertus *Messium* correxit, hic gravi errore, cum Calvus Messium defenderit, non accusaverit. 70) Cic. Att. II. 7. cf. IV. 15. 71) Thorbeckius p. 56. C. Catonem ex tribunatu turbulente gesto a Pollione accusatum dicit; v. etiam Cic. Att. IV. 15. 16. 17. Asc. in Scaur. p. 19. Acta res a. 700. cf. §. 53. 72) Cic. p. Red. in Sen. 8. 73) Cic. Att. VIII. 11. 74) Cic. Att. IV. 15. 75) Sen. Controv. l. c. III. 19. Tertio causam dixit, quippe a pluribus defensus, Calvo, Cicerone et aliis fortasse, quorum nomina ignorantur.

76) Sunt haec: Prima particula apud Iulium Severianum p. 342 Capp. cf. Ruhnk. emendationem in Add. ad Rutil. p. 276. Altera apud Aquilam p. 183., eademque apud Quintil. IX. 3, 56. et Diomedem p. 443., apud quem vitiose *Gallus* pro *Calvo* legitur. Hae solae ad priorem actionem aliquo modo referri possunt. Tertia apud Quintil. VI. 1, 13. et Senecam ep. 94. Quarta apud Quintil. IX. 2, 25. et Isidorum Hisp. Origg. II. 21. p. 49. Quinta et sexta apud Charisium p. 198. et 203., quo loco dudum *Vatinii* pro *Fuscinii* correctione illatum est. 77) Cic. Q. Fr. II. 16. 78) c. 34. 79) Schol. Bob. argumenti or. p. Sextio p. 292. ed. Orell.

laverat. Hoc iudicium ille P. Clodio tribuno appellando effugit, qui cohorte sua in tribunal immissa praetorem sella deiecit totumque consilium inspectante populo Romano disturbavit (80). Causa igitur illa dicta non est. Duobus annis post (a. 698) Vatinius iterum postulatus a Calvo videtur; crediderim de vi propter violentum eius in priore actione facinus. Nam quod scholia Bobiensia quaesturam illi ultimo mandatam esse et tamen propter accusationem eius fortunam nutasse secundum Ciceronem narrant, res diversae plane sunt; dudum enim quaestoria Vatinii aetas abierat (81).

§. 52.
M. Brutus.

M. Iunius Brutus natus est a. 669, undetriginta annis Hortensio minor, uno et viginti Cicerone (82). Vitam eius totam implicatam rebus Romanis illius aetatis non enarrabo; hoc unum addo de eius origine ineptissimos fuisse illos, qui iam illa aetate tradiderint Brutum filium Caesaris fuisse ex clandestinis Serviliae amoribus ortum. Nam Caesar C. Mario M' Aquilio consulibus natus solis sedecim annis Brutum aetate superabat. Et hic quidem a puero honestis studiis deditus et ingenuis artibus eruditus non minus morum integritate, quam magno animo et ingenii cultu commendabatur. In suos usus in epitomen redegit Fannii annales et Caelii Antipatri historiam (83); quin vix superato vitae discrimine excerpta Polybiana confecit (84). Ius pontificium

80) Pighius t. III. p. 360. Addo incertas quasdam Calvi scriptorum particulas, quae ex epistolis eius desumptae videntur, exstare; *ad amicos* Charis. I. 59.; *ad uxorem* Diomed. I. p. 372.; *ad C. Caesarem* Mar. Victorin. p. 2456., et incerta apud eundem Victorinum l. c. et Diomedem II. p. 466. Sed Licinius is, cuius liber secundus nulla nota addita affertur ap. Prisc. VI. p. 694. et 717. Macer Licinius est Calvi pater. *Collos* pro *colla* Calvum dixisse Quintilianus auctor I. 6, 42. 81) Schol. Bobiens. ad Or. in Vatin. p. 316. 82) De hoc dixere Wetzelius praef. ad ep. ad Div. XI. et Meyerus prooemio ad Brutum Ciceronianum. Stemma cognationis cum Serviliis posuit Madvig. ad Cic. Fin. p. 356. 83) Cic. Att. XII. 5. XIII. 8. 84) Plut. Brut. 4.

a Ser. Sulpicio didicit et philosophis ea aetate clarissimis sese sapientiae praeceptis imbuendum tradidit, maxime Academicis, quorum principem Aristum heredem Academiae dixit Cicero (85); sed etiam Antiochum Ascalonitam et Theomnastum Academicos et Cratippum Peripateticum ab eo auditos refert Plutarchus (86). Quanquam post Stoicorum placita fortasse M. Catonis avunculi exemplum aemulato magis arrisere. Eloquendi autem praeceptis et declamando exercitatus a Pammene quodam illius aetatis Graecorum eruditissimo traditur (87). Latine igitur declamitasse non videtur veteris consuetudinis tenax; nec ad exemplum Ciceronis floridius et uberius dicendi genus, sed priscam simplicitatem sanitatemque Atticorum veterum sectatus est. Et hoc est, quod Cicero et qui huius iudicium sequuntur in Bruto reprehendunt. Ille quidem pluribus locis significat aliud sibi, aliud Bruto dicendi genus placere (88): quod quale fuerit cum aliunde, tum ex Quintiliani verbis quibusdam (89) intelligi potest. Hic enim magis philosophum fuisse quam oratorem iudicat et in illo genere auctorem praestantissimum, quod recta non modo scripserit, sed ita scripserit, ut animum praeceptorum plenum et penitus imbutum prae se ferat. Conspirat cum hoc maxime Seneca (90); nam cum *sacratissimam* eius eloquentiam vocat, quod minime corruptum est, ut Schultingio & Meyero visum p. 445, mores spectat quasi diis dicatos et acceptos propter sanctimoniam, quorum imago in orationibus expressa esset. Haec paulo invidiosius iudicat Aper in dialogo de oratoribus (91), Brutum philosophiae suae relinquendum censens: nam in orationibus fama minorem esse etiam admiratores eius fateri. Sed in primis gravis est, cum orationes perierint, ad indolem eloquentiae Bruti intelligendam epistola, quae inter Ciceronianas ad Diversos legitur libri undecimi tertia. Ea Cassii simul, qui collega Bruti erat, nomine scripta est, sed manifesto huius manum prae se fert; at non ad consulem rei

85) Cic. Brut. 97, 332. cf. 31, 120. 40, 149. 86) Plut. Brut. 2. et 24. 87) Cic. Brut. 97, 332. 88) Cic. Or. 71, 237. Att. XIV. 20. XV. 1. 89) Quint. X. 1, 123. 90) Sen. Controv. V. 1. p. 328 Bip. 91) c. 21.

publicae perniciosissimum a praetoribus viris amplissimis et gravissima quidem iniuria laesis scriptam dicas, sed a philosopho sapientiae fastigium in omnis contumeliae tolerantia quaerente: adeo lenis est, ne mollem et malorum publicorum aequissimo animo patientem dicam ([92]).

Orationum eius paucissimas et nomine tenus novimus. Antiquissima est pro *Ap. Claudio* affine suo ambitus reo, quem una cum Hortensio defendit a. 704 ([93]). Hunc paulo post bellum civile defunctum oratione laudavit, cuius laudationis particulam servavit Diomedes ([94]). Deinde *regem Deiotarum* defendit apud Caesarem; sed ex Ciceronis quadam ad Atticum epistola discitur eam causam Nicaeae dictam in Bithynia a. 707; ut veri simile sit Brutum fuisse in eis regis hospitibus et amicis, quorum precibus motus Caesar illi ignovisse dicitur, cum post bellum Alexandrinum & Ponticum in Asiam venisset ([95]). Denique commemoratur *contio in Capitolio habita* Caesare interfecto, nitida illa et verbis ita expolita, ut nihil posset supra, sed vehementia carens, quod Brutus docendo quam movendo intentior causae suae confidebat ([96]). Praeterea sui exercendi gratia *pro Milone* orationem scripsit ([97]), et aliam *de dictatura Pompeii* ([98]). Et, ut de ceteris Bruti scriptis breviter defungamur, Catonem libro singulari laudavit, quem minus quam Ciceronianum eiusdem argumenti placuisse Caesari legimus ([99]); librorum philosophicorum *de Virtute* et *de Officiis* in Ciceronis aemulationem scriptorum et *de Patientia* quaedam verba a grammaticis relata exstant ([800]); commemorantur etiam epistolae ([1]) et ad Caesarem quidem scriptae nominatim ([2]). Versus Bruti lascivi

---

92) Addo Bruto subinde versus excidisse a Quintiliano annotari IX. 4, 76. 93) Cic. Brut. 94, 324. 94) Diom. p. 364. Quintil. X. 1, 23. Ascon. l. c. Schol. Bobiens. p. 276. Habita illa non est, quia Appius in Euboea insula mortuus. 95) a. 707.; Cicero in alia causa eum defendit a. 709. 96) Cic. ad Att. XV. 1. 97) Quintil. X. 1, 23. cf. III. 6, 93. X. 5, 20. Ascon. arg. or. Milon. p. 42. 98) Quintil. IX. 3, 95. 99) Cic. Att. XIII. 44. 800) Charis. I. p. 85. Prisc. VI. p. 679. Diomed. I. p. 378. 1) Diom. I. p. 383. Prisc. IX. p. 863. 2) Charis. II. p. 105.

Veteribus dicti sunt; abiicit eosdem Aper in dialogo de oratoribus ([3]), Statius autem oscitationes Bruti ipse oscitanti longe similior vocare ausus est ([4]).

§. 53.

C. Asinius Pollio.

C. Asinius Pollio gente ante ipsum obscura ortus quasi medius constitutus est inter liberam rem publicam et Augusti principatum. Natus enim a. 678 ([5]) honores iam ante bellum civile ortum gessit et causis dicendis non ignobile nomen habuit; Caesar dictator amicitia et familiaritate dignum putavit et ad praeturam sustulit. Anno altero post praelium Philippense (713) consulatum accepit concedente Octaviano, quasi in praemium prudentis, sed publice perniciosae cunctationis inter Caesarianam factionem et libertatis defensores ([6]). Cur Caesaris partes secutus sit ipse probabiliter exposuit scribens ad Ciceronem Divers. X. 30. Nam satis eius nomen bellis Caesaris illustratum erat, in quibus partes haud spernendas gessit. Interfuerat enim praelio Pharsalico, bello persecutus est in Africa Pompeianos, insignem operam Caesari navavit pugna apud Mundam Hispaniae commissa ([7]). Cum Antonio fuit ad pacem usque Brundisinam ([8]); dein ad Caesarem Octavianum transiit, sive luxuriem illius et Cleopatrae impotentiam perosus sive quod talis rerum status mutationem properari praevidebat. Postquam pro consule de Dalmatis triumphaverat, ab honoribus et muneribus publicis gerendis sese removit et, cum ditissimus esset, in otio literato consenuit. Nec tanta eius laus oratoria fuit, cum virtutes quasdam in illo genere maioribus vitiis exstinguere videretur, quam scriptoris historiarum; nec scriptoris tanta rursus, quanta literatorum hominum fautoris et amici. Huius in orationibus magna erat tractationis diligentia, maior etiam

---

3) c. 21. 4) Silv. IX. 20. 5) De hoc v. Thorbeckii librum Lugd. a. 1820 editum; quanquam is de anno natali errat; expedivit Clintonus secundum Eusebium. 6) Appian. III. 97. 7) App. II. 82. Plut. Caes. 52. Vell. II. 73. 8) Appian. V. 64.

componendi cura, quae ut in contrarium vitium versuum effundendorum incideret, efficiebat ([9]). Sed neque vehementia affectuum movendorum nec sermonis Latini copia et elegantia praestitisse videtur: qua de causa qui aequissime de eo iudicarunt, antiquorum et obsoletorum amorem obiecerunt ([10]), qui paulo concitatius, siccam et duram eius orationem vocarunt, ut antiquissimorum non castitatem, sed asperitatem referre videretur ([11]). Et haec eo iustior est reprehensio, quod ipse acerbissime insectando Ciceronem Caesarem Sallustium Livium omnes, qui unquam fuissent, latinitatis auctores longe a se relictos iactare videretur. Tamen iure dici licet istam obsoletorum captationem in tribus epistolis, quas ad Ciceronem dedit, non reperiri; sunt enim simpliciter et emendate scriptae. Hinc plerorumque eorum, quos exagitavit, memoria scriptis consignata manet: ipsius, si a paucis et fortuitis reliquiis discesseris, nunc solis aliorum testimoniis nota est. Actionum eius aut defensionum aliquae nomine tenus aut verbis nonnullis retentis conservatae sunt. Omnium antiquissima est *accusatio C. Catonis* tribunicii de maiestate legibus Licinia Iunia et Fufia, non aliunde nota, nisi quod M. Scaurum et C. Calvum ille patronos habuit ([12]); acta videtur a. 700. Sequitur *M. Scauri defensio* de ambitu eodem anno habita ([13]). Incertis annis, sed non ante triumvirorum tempora dictae sunt causae *L. Aelii Lamiae* ([14]), *L. Nonii Asprenatis* adversus Cassium Severum ([15]), *pro Moscho* rhetore veneficii reo ([16]), *pro Apollodoro* rhetore Pergameno ([17]), *pro Liburnia* ([18]), orationes duae *pro heredibus Urbiniae*; denique

---

9) Quint. X. 2, 25. XII. 10, 11. cf. IX. 4, 76. Dial. de oratt. 25. 10) Quint. I. 6, 42. cf. Macrob. Sat. I. 4. Charis. I. p. 119. 11) Dial. de oratt. 21. Seneca Contr. IV. p. 413. L. Seneca epp. 100, 6. 12) Cic. Att. IV. 15—17. Sed res non satis certa. 13) Exstat particula orationis apud Quintil. IX. 2, 24. cf. VI. 1, 21. 14) Relicta est sententia a Seneca relata Suas. VII. p. 38. v. Meyer. p. 492. 15) Quintil. X. 1, 23. cf. Plin. H. N. XXXV. 12. Suet. Octav. 56. 16) Schol. Cruq. ad Hor. Ep. I. 5, 9. 17) Sen. Controv. II. 13. p. 180. 18) Particulam vide ap. Quintil. IX. 2, 34.

contra *maledicta* Antonii a. 722, ut videtur ([19]). Nam *in Plancum* oratio scripta est, non habita.

§. 54.
M. Messalla.

Hoc dignior, quem cum amore quodam et admiratione suspiciamus, habendus est M. Valerius Messalla Corvinus eorum, qui re publica libera clarescere coeperunt, ultimus ([20]).

De gente Valeria eiusque familiis antiquitus ita divisis, ut ne cognationis quidem inter Laevinos et Messallas memoria maneret ([21]), dicere non est opus. Hic, cuius res tractamus, patrem habuit M. Valerium Messallam consulem cum Cn. Domitio Calvino a. 701, matrem Hortensiam oratoris filiam ([22]). Sed de natali anno non satis video constare. Plerique enim Eusebii Chronici scriptoris rationes sequuntur Q. Caecilio Metello Celere et L. Afranio consulibus natum existimantis; id est anno urbis 694. Verum hoc falso credi dudum docuit vir summus Iosephus Scaliger ([23]). Huius argumentorum haec sunt capita. Eusebius, in hoc alios auctores secutus, decessisse Messallam affirmat septuaginta duos annos natum; recte sane. Sed cum pluribus Ovidii locis ([24]) iam exstinctum fuisse, cum ille exsul erat, Messallam efficiatur et scriptor dialogi de oratoribus hunc quidem ad medium usque Augusti principatum durasse testetur, Asinium autem Pollionem ad extremum ([25]), Eusebius de ortu illius erravit. Biennio enim ante Augustum exstinctum Messallae mors ponenda esset, ut a Metello et Afranio

---

19) Dial. de oratt. 38. Quint. IV. 1, 11. VII. 2, 4. Partes servatas habemus apud Quintil. VII. 2, 26. Charis. p. 44. 59. 20) Res Messallae tractarunt Levesque de Burigny Hist. acad. Francog. Inscrr. et Lit. Eleg. t. XXXIV. Voss. de hist. Lat. p. 81. Broukhus. ad Tib. Eleg. I. 3. Io. Henr. Vossius ad Virg. ecl. VI. et Ludov. Wiese in libello a. 1829 Berolini edito, quem nancisci non potui. Van Hall Batavus, vir doctus, liberius finxit plura, quam exposuit. 21) Plin. H. N. I. praef. extr. 22) Hoc efficitur ex loco Valerii Maximi V. 9, 2. 23) ad a. 2027. p. 165. 24) Ut Pont. I. 7, 27. 25) Dial. de oratt. 17.

consulibus sive anno urbis 694 ad annum 766 septuaginta duo efficerentur. Hinc igitur Scaliger natalem Messallae esse vult a. 685, unde ad a. 757 tot, quot posuimus, numerantur. Ita error Eusebii eo continetur, quod natali anno Messallae perperam posito coactus est vitam eius longius producere. Causam autem erroris Massonus ([26]) sollerter aperuit. Confudit enim Eusebius Q. Metellum Celerem consulem a. 694 cum L. Afranio et Q. Metellum Creticum consulem cum Q. Hortensio oratore a. 685. Sed pueritiam certe dudum egressum esse oportebat quem triumviri ita metuebant, ut proscribendum censerent ([27]). Nec post praelium Philippense duodeviginti annos nati, si Eusebio credimus, tanta esse fama potuit, ut legiones tot honoratis et militia duratissimis spretis hunc potissimum ducem creare vellent. Sed est longe firmius argumentum veritatis. Nam in causa Aufidiae dixisse Messallam, cum adversarium Ser. Sulpicium iuris consultum haberet, multis Quintiliani locis testatum habemus. Sed hanc causam ante annum 710 actam esse oportet, quo Italia bello Mutinensi ardebat et Sulpicius exstinctus est. Affirmat etiam Quintilianus agere coepisse Messallam et Pollionem Cicerone arcem eloquentiae tenente ([28]), id est ante bellum Pharsalicum; quod cum erupit, ille secundum Eusebium undecim annorum erat.

De Messallae iuventa et literarum studiis perpauca sciuntur. Cultum enim omni ingenuarum artium genere fuisse ex maturioris aetatis fructibus colligimus, sed neque quibus magistris usus sit nec quos viros exempli capiendi causa domi peregreve assectatus sit cognovimus. Ciceronis in primis fuisse studiosum olim creditum est: verum non exstat eius rei testimonium praeter subditicias illas ad M. Brutum epistolas. Illud tamen Cicero tradidit versatum esse Athenis; num colendi ingenii causa, propter incertam et paucis verbis factam rei mentionem affirmare non licet ([29]). Primis post Philip-

26) Vita Ovidii p. 77. ed. Burm. 27) Appian. B. Civ. IV. 38. Dio Cassius XLIX. 16. 28) Quintil. XII. 11, 28. Quid Wiesium moverit, ut a. 679 natum Messallam poneret, non diiudico. 29) Cic. Att. XII. 32.

pensem pugnam annis, cum liberae rei publicae causam perditam videret, Antonii partes secutus est semper, ut ipse apud Plutarchum dicit, ab honestissimo quoque pendens ([30]). Et sane militare Antonii ingenium, cum nondum corruptum esset illecebris et luxu Cleopatrae, fallaciis et subdolo animo Octaviani praeferendum videbatur. Sed a. 717 iisdemque fere, quibus Asinius Pollio, causis ab Antonio ad Octavianum se contulit potentiam Cleopatrae et luxuriosos Antonii amores exosus. Adulatorie enim loquitur Velleius, cum statim post pugnam apud Philippos Caesaris causam amplexum dicit ([31]). Is, rerum usu prudentior factus insitam naturae saevitiam lenitatis specie obtegens quanti talis amicus faciendus esset intelligebat. Augurali igitur sacerdotio honestatus ([32]) in superando Sex. Pompeio partes quasdam habuit Messalla ([33]) et Salassos Alpinam gentem domuit a. 720 ([34]). Ad consularem dignitatem eodem anno evectus est, qui longum de imperio orbis certamen Actiaca victoria diremit (a. 723). Abrogarat enim senatus Antonio consulatum, cum bellum inciperet, et in eius locum factus est Messalla ([35]). Bello composito rebus Asiae per aliquod tempus praepositus est: ad quam provinciam cum proficisceretur, Tibullus Corcyrae aeger relictus pulcherrimum carmen composuit, quod nunc tertium est libri primi ([36]). Sed mox Narbonensi Galliae et Aquitaniae praefectus, cum in ea provincia rebellantes Gallos fregisset, triumphi honorem meruit: is tamen anno demum 726 celebratos est ([37]). Ex praeda Gallica viam per Albanum Tusculanumque agrum in Sabinos duxit ab ipsius nomine Valeriam appellatam ([38]). Sed triumphum de Parthinis gente Illyrica meruisse, quod visum non nullis ([39]), quibus documentis constet nemo dixerit: est enim eius belli laus penes Asinium Pollionem. Anno post triumphum praefecturam urbis ab Augusto mandatam intra paucos dies deposuit, quasi

30) Plut. Brut. 53. 31) Vell. II. 72. 32) Dio XLIX. 16. 33) Appian. B. Civ. V. 103 sqq. 34) Dio XLIX. 38. 35) Dio L. 10. 36) Dio LI. 7. 37) Tibull. I. 7. II. 1. 38) Tibull. I. 7, 57. 39) Ut Wernsdorfio ad poëtas Lat. min. vol. III. p. 118.

nescius exercendi, ut ait Tacitus ([40]), et recte: non quod ingenio minor videretur, sed quia potestatem illam parum civilem putaret. Deinde, cum res domi forisque egregie gessisset, privatus reliquam vitam egit in literis: ut Augusto, si non acceptissimus, tamen honoratissimus haberetur. Lectus est enim a senatu, qui Augustum patrem patriae consalutaret ([41]). Mortuus est anno 757, postquam duobus annis ante ex gravi morbo omnium, etiam nominis oblitus fuerat([42]).

Mores Messallae candore et libertate adeo praestabant, ut alio seculo dignae viderentur. Cassium enim imperatorem suum palam praedicavit ([43]) et coram Augusto Caesare profiteri ausus est sese semper optimi cuiusque partis' sequi solitum, cum in castris Bruti et Cassii fuisset et Antonium secutus esset, ante quam ad Caesarianam causam sese applicaret. Plinius autem indignatum narrat, quod adulatores alienas Laevinorum imagines genti ipsius insererent ([44]). Nec profecto poëta Romanorum tenerrimus Tibullus eum tanta caritate amplexus foret, nisi fuisset eo animo praeditus, qui dignorum amorem et sentiret et pari beneficio redderet. De literis autem Romanis et hominibus literatis eo melius meruisse videtur, quam Pollio, quo hic vaniloquentior, ille modestior fuit. Maecenas autem, cum et maximarum rerum cura districtus teneretur et perpetua valetudine laboraret, literis magis quod hominum ingeniosorum usu oblectaretur favit, quam quod dignitatem earum recte perspexisset. Messalla non modo orator fuit, sed etiam carmina fecit, res grammaticas accurate perscrutatus est, historiam non leviter

40) Ann. VI. 11. 41) Suet. Aug. 58. Quando factum sit non constat. Casaubonus l. c. lapides protulit rem undecimo Augusti consulatui assignantes, i. e. a. 731. Alii consulem Messallam a. 758 eo honore functum dixerunt: sed tunc iam exstinctus erat ille, de quo nos tractamus. Nec video cur a monumentorum fide discedamus. Si consul eo anno Messalla erat, honor ille ei deberi videbatur, et nec legi a senatu eum opus erat, quod in consulibus ignobilibus placere potuit, nec id Suetonius tacuisset. 42) Plin. H. N. VII. 24. De Messallae progenie vide Ruhnk. ad Vell. II. 112. Intpp. Ovid. Pont. II. 2, 87. III. 2 init. Masson. vit. Ovid. p. 107. 43) Tac. Ann. IV. 34. 44) Plin. H. N. XXXV. 2.

attigit; sed libros de disciplina augurali iniuria ei tributas a Gerardo Vossio iam Burignius ad patrem, qui annis quinque et quinquaginta augur fuit, auctorem referendos vidit. Poëtas Horatium et Virgilium saepius virtutum eius meminisse nemo ignorat: etsi uterque propter beneficia accepta Maecenati devinctior fuit, a cuius moribus et vita Messalla plane abhorrebat. Ovidio autem quamvis sui iactatori non videtur pro vaniloquentia tribuendum, quod sua olim studia a Messalla recta esse refert ([45]): est enim veri non absimile nascentis ingenii nondumque luxuriantis fetus magno viro placuisse. Quanta observantia Tibullus eum coluerit carmina in omnem posteritatem testabuntur.

Scriptorum eius praeter orationes frequens memoria est, sed reliquiae paucissimae. Et grammaticorum quidem libri *de litera S* mentio aliquoties fit apud Quintilianum et alios([46]); librum *de involute* i. e. tralate *dictis* Festus antestatur ([47]); idem *explicationes duodecim tabularum*, opus non ad linguae solum latinae, sed ad totius antiquitatis Romanae rationes investigandas gravissimum. Historicorum clarissimi sunt libri *de bello civili*, quibus Plutarchus in vita Bruti tanquam fonte et documento usus est ([48]); fuerunt etiam de familiis Romanis, a sene compositi ([49]); sed libellum *de progenie Augusti* eius nomine circumferri solitum Messalla prorsus indignum esse dudum consentiunt. Epistolam eius nescio quam antestatur Suetonius ([50]); certum inde est literas ab eo non libris modo, sed etiam epistolarum commercio esse tractatas. Poëtam lascivum dixit Plinius, quod amatoria quaedam levioris argumenti carmina tangit, quae nunc cum ipsa paene memoria perierunt ([51]); nec enim in pastoritia carmina id convenit, quorum scriptor carminis ad Messallam meminit ([52]), nec

45) Ov. Pont. I. 7, 27. 46) Quintil. I. 5, 15. 7, 23. 35. IX. 4, 38. Festus v. *serpsit*. 47) Festus v. *sanates*. Explicationes duodecim tabularum loco mutilo p. 164. Lind. commemorantur. 48) Plut. Brut. 40. 45. 53. Tac. Ann. IV. 34. Tib. IV. 1, 5. 49) Plin. H. N. XXXIV. 13. XXXV. 2. Suet. Aug. 74. 50) Sueton. de clar. gramm. 4. 51) Plin. Epp. V. 3, 20. 52) v. 17. v. Wernsdorf. p. 118.

elegidiis ad Sulpiciam scriptis, quae fuerunt qui ei tribuerent (53).

Orationum, quod in viro tantis virtutibus praedito et ab omnibus laudato mirere, perpaucae nomine tenus retentae, pauciorum etiam partes servatae sunt. Multas Graecorum exercitandi causa Latine versas ab eo orationes tradidit Quintilianus, sed unam nominatim *Hyperidis pro Phryne*, cuius tria ille verba retinuit (54). Deinde *in causa Aufidiae* dixit eamque sive oppugnavit sive defendit, ut in pertractandis Ser. Sulpicii rebus vidimus. Tertia causa est *Liburniae* (55), quam eandem etiam Asinio Pollioni dicendi materiam praebuisse scimus (56). Quarta est *Pythodori* rhetoris ceteroquin ignoti, quam disertissimam dicit Seneca (57). Quinta est *contra Antonii literas*, qui transisse Messallam ad partes Caesaris aegre ferens literis ad senatum missis eum criminatus videri potest (58). Sexta *de Antonii statuis* post pugnam Actiacam habita videtur: sed deiici eas iussisse Messallam non affirmaverim; non enim satis decorum viro praeter alias laudes ab omni insolentia alieno (59).

Consentiunt qui has res attigerunt eloquentem Corvinum fuisse, sed ut intelligas quid ei defuerit. Cum enim summa verborum deligendorum et componendorum cura ei tribuatur,

---

53) Wernsdorfius l. c. p. 150. nixus locis elegiarum illarum IV. 8. et 10. Is Sulpiciam clari iuris consulti filiam significari putat; sed tota res obscura est. — Incertae scriptorum Messallae partes exstant apud Quintil. I. 6, 42. Senecam ἀποκολοκ. p. 386. Bip. Charisium I. p. 119. Ad patris libros augurales referenda sunt Gell. XIII. 15. Macrob. I. p. 290. Zeun. Festus v. *sponsis, solida sella, suad ted, vernisera.* 54) Quintil. X. 5, 2. Verba Messallae exstant apud eundem I. 5, 61. 55) Festus v. *tabes.* 56) Quintil. IX. 2, 34. Festi locus corruptus Ant. Augustino corrigendi materiem dedit *Cornificio;* sed dudum verum inventum est ex loco Quintiliani et alio X. 1, 24. 57) Sen. Controv. II. 12. p. 171 Bip. 58) Charis. I. 103. 59) Charis. p. 80. pauca inde verba attulit. Ad eandem orationem refer quae Plinius habet H. N. XXXIII. 3. Oratio *de constitutione vectigalium Asiae* incerta est; potest enim Charisii testimonium p. 85. etiam de scripto intelligi.

ut mitior etiam et dulcior ipso Cicerone fuerit, eorum, quae oratorem perfectum habere decet, una vehementia affectuum movendorum caruit, docendo et delectando, quam ad persuasionem cogendo auditori intentior (60).

§. 55.

Eloquentia aetatis sequentis.

Videmus igitur hac aetate, qua summis eloquentiae praemiis propositis felicissimus oratorum proventus exstitit, dicendi cupidos plurimos, disertos haud paucos, eloquentes non nullos fuisse. Ciceronem aequalium et omnino Romanorum omnium principatum occupasse consentiunt omnes: non quod omnia perfectissima habuerit, sed quod plurima; praeter hunc naturae bonitate C. Caesar et Q. Hortensius, studiorum diligentia C. Calvus ceteros anteibant. Sed praeter hos magni adhuc erant M. Calidius Ser. Sulpicius M. Caelius Rufus; si C. Curio his comparari recte non potest, vel perversae in re publica gerenda menti aut voluntati a studiis literarum aversae culpa danda videtur. Rursus his inferiores erant M. Marcellus M. Cato M. Brutus, minus ingenii felicitate, quam quod consulto aliam eloquendi viam insistebant. Sed praeter hos multi dicebant, quorum quibusdam, ut T Torquato et C. Triario eas laudes impertit Cicero, ut converso

---

60) Huc redeunt Quintiliani iudicium X. 1, 113. cf. I. 7, 35. XII. 11, 28. et Senecae Controv. l. c. cf. dial. de oratt. 21. Famam diserti retinuerunt Horat. ad Pison. 370. Tibull. IV. 1, 45. Seneca ἀποκολοκ. p. 386. Hinc suae aetatis hominum plerorumque iactationem secutus Aper in dial. de oratt. c. 24. dicere potuit, non per ipsum stetisse, quo minus laetitiam et nitorem sequentis aetatis exprimeret: scilicet aetas Ciceronis horrida non nullis videbatur, quia aberat a puerili sententiarum acumine, virilis potius dignitatis studiosa, quam muliebribus artibus compta. Verba tamen Messallae quaedam etiam Quintiliano obsolevisse videbantur, ut *gladiola* I. 6, 42., quod ille a forma *gladium* oriri potuisse putabat, cf. Varronem de L. L. IX. 81. p. 224. Muell. Vitiosum in eo reperit Aper in dial. de or. 20., quod a valetudine excusanda prooemia duxerit. At Quintilianus IV. 1, 9. ingenii & virium infirmitate ingenue confitenda magnam prooemiis commendationem assecutum testatur. Igitur hoc quoque ille ex seculi iactantia.

rei publicae statu et morte praematura ingenii explicandi et summorum adipiscendorum facultatem amisisse videantur (61).

Nunc, quoniam munere nostro defuncti sumus eloquentiae Romanae origine aetatibus incrementis cultu quantum fieri potuit expositis nec consilium habemus declamatorum umbraticas elegantias cum laude aut reprehensione persequendi, quo modo a fastigio suo descenderit eloquentia paucis enarrabimus. Decrevisse eam et paulatim exstinctam esse nemo dubitat hodie, cum et exstent pauca quidem, sed ex omni dicendi genere monumenta et locupletium auctorum testimonia. Cur id factum sit facile dictu est in libertatis quamvis turbulentae alumna, nec disertius dici potest quam scriptor dialogi de oratoribus fecit. Nam et libertas deerat aperiendi quid quisque sentiret et magnitudo materiae et idonea praemia eloquentibus olim proposita. Nam sub Augusto species saltem libertatis aliqua manebat: quam ob rem et literarum quaedam partes ad raram perfectionem evectae sunt et duravit, quae radices in solo libero egerat, eloquentia Pollionis Messallae aliorum. Quanquam in exiguum orbem coacta est sententiae senatoriae libertate contionibusque sublatis. At quotusquisque, ut Taciti verbis utar (62), cum Augustus decessit, supererat, qui rem publicam vidisset? Et saevitia Tiberii, quam significat Seneca, cum sub Augusto miram fuisse loquendi libertatem dicit (63), quid magni et honesti inviolatum esse sivit? si quidem Mamerco Scauro versus suspecti propter significationem, Cremutio Cordo Bruti et Cassii laudes ante annos sexaginta mortuorum exitiosa fuerunt. Et cum vita libera sentiendi quoque ingenuitatem paulatim exstingui, ut ager deficiente cultura horrescat, quis non intelligit? Praeterea cum aucta morum corruptela puerorum a teneris educatio vitiata est; nec casti et graves esse poterant quibus in servulorum et theatri nequitia enutritis pessima quotidie exempla ante oculos versabantur.

Porro cum dicendi studia multos quidem exercerent et prae ceteris illustria et honesta viderentur, sed idoneum,

61) Cic. Brut. 76, 265 sqq. 62) Tac. Ann. I. 3. 63) Seneca Controv. II. 12. p. 174. ed. Bip.

in quem excurrerent, campum non invenirent, declamationum insulsitatem a veterum sanitate remotissimam increbescere necesse erat (64). Hinc a verarum causarum ratione animi paulatim adeo desueverunt, ut Porcius Latro, qui primus clari nominis professor fuit, cum causam oraturus ex privatorum parietum angustiis in lucem forensem prodiret, insolentia loci et strepitus adeo exterreretur, ut rogatu eius iudicia ab Augusto in basilicarum spatia compellerentur (65). Nec recitationes ab Asinio Pollione primo institutae nec commissiones C. Caesaris nec quinquennales ludi a Domitiano conditi perpetua versificatorum & declamatorum materia contra mala illa valebant: a remediorum enim natura plurimum ipsa distabant (66). Nam qui novi videre volebant, ne a morosis iudicibus improbarentur, verborum inania acumina, exaggeratas sententias, enervem compositionem captabant, omnia dicendi genera confundebant, antiquata poëtis concessa et recens procusa vocabula iuxta habebant; quem errorem ne summi quidem viri nonnulli, ut Tacitus, defugerunt. Erant sane qui antiquorum lectioni innutriti vitia illius aetatis intelligerent et quantum poterant devitarent; nec opus multis laudare C. Plinium et, qui et simplicior est et elegantiore iudicio, M. Fabium Quintilianum. Hi enim et horum similes solis veteribus oratorum nomen tribuebant satis honeste de aequalibus existimari putantes, si diserti et causidici vocarentur (67). Quorum vocabulorum posterius in primis verum est, cum praeter iudicia privata et accusationes defensionesque apud senatum agitatas nihil oratoribus materiae relinqueretur. Sed pars oratorum illius aetatis longe maxima suis laudibus insolenter praedicandis unice intenti tantum aberant, ut se antiquis cedere faterentur, ut soli acute invenire eleganter eloqui artificiose componere venuste agere sibi viderentur, veteres inventione ineptos enarrando otiosos verbis horridos compositione hiulcos actione obsoletos et

64) De discrimine orationis et declamationis v. dial. de oratt. 35. Senecam Contr. I. p. 61. Bip. IV. prooem. 65) Quint. X. 5, 18. 66) Suet. Calig. 53. 67) Dial. de oratt. I. 14. 38.

paene barbaros dicerent (68): cum tamen, ut alia taceam, Quintilianus plerorumque aequalium gestum turpissimum et scenicorum, quales tunc erant, lasciviae similem fuisse affirmet (69). Sed sensus veri ex animis plerorumque adeo effluxerat, ut quem princeps eloquentiae Romanae in scena regnare et propter dignitatem disertis omnibus exemplo esse pronuntiavit, cum Turpione Ambivio comparare non vererentur (70). Ipsi tamen nescio quo modo ad antiquissimorum, quos tantopere despiciebant, similitudinem delapsi sunt, ut uni operi declamatorio intenti omnia illa, quibus summi olim viri ornandam eloquentiam putarent, non curantes ius civile morem civitatis instituta publica ignorarent, literas autem et artes tanquam otiosorum oblectamenta contemnerent (71). Sed ne insaniae suae plausus deesset, mercede conducebantur qui bona mala aequa iniqua manibus vocibusque prosequerentur, ut, si non docti, at vulgus deciperetur (72).

Pravus hic dicendi mos a Cassio Severo coepit, sed post ingentem in modum crevit. Nam quantum Severus a Ciceronis candore et integritate, tantum a Severi acumine et libertate imitatores eius aberant. Inde quamvis laudet meliores ex hoc numero Latronem Afrum Passienum Trachalum peritus harum rerum existimator Quintilianus, minime tamen quibus rebus cedant prioribus dissimulat. Quam celeriter autem vix exstincto Traiano omnis fori honos evanuerit Frontonis exemplum docet, qui cum aetatis suae disertissimus habitus sit in summorumque virorum familiaritate versatus Marco Antonino discipulo claruerit, ineptiis inventionis et eloquendi barbarie a veri sensu rectoque iudicio remotissimus fuit.

68) Dial. de oratt. 19. 21—23. Sen. ep. controv. III. p. 399.
69) Quint. IX. 4, 142. XI. 1, 56. 3, 13. et 57. Dial. de or. 26.
70) Dial. de oratt. 20. 71) Dial. de oratt. 32. De iuris consultis similia dicit Gellius XVI. 10. 72) Quintil. XI. 3, 126. Plin. Epp. II. 14. Eandem apud Graecos seculo post regnasse iudicii perversitatem Lucianus ostendit in festivissimo libello praeceptorum rhetoricorum; Demosthenem enim admirari sese simulabant, sed imitationi idoneum negabant, c. 9., Platoni et Isocrati conviciabantur c. 17.; ridicule affectabant Atticorum similitudinem, sed elegantiam et nitorem verborum inepte captantes c. 11. 15. 16.; gestu deformes et ridendi erant c. 19.; denique plausorum greges conducebant c. 21.

M. TULLI CICERONIS

BRUTUS.

I. 1. Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensi morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso cum consuetudine iucunda tum multorum officiorum coniunctione me privatum videbam, et interitu talis auguris dignitatem nostri collegi deminutam dolebam; qua in cogitatione et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam. 2. Augebam etiam molestiam, quod magna sapientium civium bonorumque

1. *deminutam*] diminutam.
2. *augebam*] augebat.

I. 1. *allatum*] *adlatum* Ven. 1. Lg. 8. 51. — *Hortensi*] sic Lg. praeter 20., item Ven. 1. Gu. 1. — *collegi*] sic aut *conlegi*, quod est in Lg. 8. 51., praeter hos 39. 53. 58. 68. 70. v. C. Cr. ad de Or. I. 9, 35. — *deminutam*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. et a corr. 39. Ven. 1. Cett. *di-*. Has formas vi differre nec Oudendorpio credo ad Suet. Caes. 5. nec Ochsnero ecl. Cic. p. 13. — *collegium*] *conlegium* Lg. 8. 51. — *in parentis*] om. *in* Lambinus solus. V. Explicatt. ad de Or. III. 9, 33.

2. *augebam*] sic codd., ut videtur, omnes: certe Lg. mei, Ven. 1. Vat. Ottob. Gud. 1. Vulgo *augebat*. — *sapientium*] *sapientum* ed. pr.; hoc et *bonorum* locis confundi in quibusdam

I. 1. Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensi morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso cum consuetudine iucunda tum multorum officiorum coniunctione me privatum videbam, et interitu talis auguris dignitatem nostri collegi deminutam dolebam; qua in cogitatione et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam. 2. Augebam etiam molestiam, quod magna sapientium civium bonorumque

1. *deminutam*] diminutam.
2. *augebam*] augebat.

I. 1. *allatum*] *adlatum* Ven. 1. Lg. 8. 51. — ***Hortensi***] sic Lg. praeter 20., item Ven. 1. Gu. 1. — *collegi*] sic aut *conlegi,* quod est in Lg. 8. 51., praeter hos 39. 53. 58. 68. 70. v. C. Cr. ad de Or. I. 9, 35. — *deminutam*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. et a corr. 39. Ven. 1. Cett. *di*-. Has formas vi differre nec Oudendorpio credo ad Suet. Caes. 5. nec Ochsnero ecl. Cic. p. 13. — *collegium*] *conlegium* Lg. 8. 51. — *in parentis*] om. *in* Lambinus solus. V. Explicatt. ad de Or. III. 9, 33.

2. *augebam*] sic codd., ut videtur, omnes: certe Lg. mei, Ven. 1. Vat. Ottob. Gud. 1. Vulgo *augebat.* — *sapientium*] *sapientum* ed. pr.; hoc et *bonorum* locis confundi in quibusdam

penuria vir egregius coniunctissimusque mecum consiliorum omnium societate alienissimo rei publicae tempore exstinctus et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat: dolebamque, quod non, ut plerique putabant, adversarium aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius et consortem gloriosi laboris amiseram. 3. Et enim si in leviorum artium studio memoriae proditum est poetas nobilis poetarum aequalium morte doluisse, quo tandem animo eius interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? cum praesertim non modo nunquam sit aut illius a me cursus impeditus aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adiutus et communicando et monendo et favendo. 4. Sed quoniam perpetua quadam felicitate usus ille cessit e vita suo magis, quam suorum civium tempore, et tum occidit, cum lugere facilius rem publicam posset, si viveret, quam iuvare, vixitque tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere: nostro incommodo detrimentoque, si est ita necesse, doleamus, illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius quam misericordia prosequamur: ut, quotienscunque de claris-

libris dicit Corradus, Lambinus autem sic transposuit: *bonorum sapientiumque civium*, nulla idonea causa, quicquid dicit Baumstark in libello lectionum Tullianarum edito a. 1832. p. 6.

3. *et enim*] sic divisim Lg. 39. 51. 53. 56. 58. 70 corr. Ven. 1. Vat. v. C. Cr. ad de Or. I. 11, 50. — *nobilis*] sic codd. adhuc collati omnes. — *morte*] solus Lambinus *mortem*, defensum a Baumstarkio p. 8. — *nunquam*] nullus cod. per *m*.

4. *benevolentia*] codd. per *i*; v. C. Cr. ad de Or. II. 17, 72. — *quotienscunque*] *quotiesc.* solus collatorum Vat. — *clarissumo* — *beatissumo*] sic Lg. 8. 51. 53. Ott.; scriptura in Bruto unice vera.

5. *tanquam*] *tamquam* Lg. 8. 51. 58.

II. 6. *et enim*] divisim Lg. 8. 39. 51. 56. 58. 70. Ven. 1. Ott. Gud. 1. — *cetera*] per *ae* Lg. 53. 58. v. Comm. Cr. ad de Or. I.

sumo et beatissumo viro cogitemus, illum potius quam nosmet ipsos diligere videamur. 5. Nam si id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet, nostrum est id malum: quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur. sin, tanquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur, summam eius felicitatem non satis grato animo interpretamur.

II. 6. Et enim si viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et fortibus civibus, hunc aut praeter ceteros aut cum paucis sustineret dolorem, cum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingeni, voce erudita et Romanis Graecisque auribus digna spoliatum atque orbatum videret. 7. Equidem angor animo non consili, non ingeni, non auctoritatis armis egere rem publicam, quae didiceram tractare quibusque me assuefeceram quaeque erant propria cum praestantis in re publica viri, tum bene moratae et bene constitutae civitatis. Quod si fuit in re publica tempus ullum, cum extorquere arma posset e manibus iratorum civium boni civis auctoritas et oratio, tum profecto fuit, cum patrocinium pacis exclusum est aut errore

6. *aut praeter ceteros*] autem praeter ceteros.

3, 12. — *hunc aut praeter ceteros aut*] sic coni. Orell.; *h. autem — aut* Ern. Hand. in Tursell. p. 546. t. I.; libri omnes *h. et praeter ceteros aut.* — *ingeni*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. Perraro haec scriptura emicat in Gu. I.; sed cum semper bonos libros testes habeat, in Bruto unice vera videtur.

7. *angor animo*] *a. animi* Manutius; codicum Lg. 8 corr. Aliud est *angor*, aliud *pendeo animi;* hanc antiquam esse ablativi formam affirmat, non probat Klotz. ad Cic. Tusc. I. 40. p. 138. — *ingeni*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *egere*] *geri* coni. Corradus. — *assuefeceram*] *adsuef.* Lg. 8. 51. — *pacis*] *civitatis* ed. pr. — *errore*] omnes, ut videtur, codd. *terrore*, haerente litera ex priore

hominum aut timore. 8. Ita nobismet ipsis accidit, ut, quanquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, quod, quo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissumis tanquam in portum confugere deberet non inertiae neque desidiae, sed otii moderati atque honesti, cumque ipsa oratio iam nostra canesceret haberetque suam quandam maturitatem et quasi senectutem, tum arma sunt ea sumpta, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quem ad modum salutariter uterentur non repperiebant. 9. Itaque ei mihi videntur fortunate beateque vixisse cum in ceteris civitatibus tum maxume in nostra, quibus cum auctoritate rerumque gestarum gloria tum etiam sapientiae laude perfrui licuit. quorum memoria et recordatio in maxumis nostris gravissumisque curis iucunda sane fuit, cum in eam nuper ex sermone quodam incidissemus.

III. 10. Nam cum inambularem in xysto et essem otiosus domi, Marcus ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines cum inter se coniuncti

vocabulo; cf. de Or. II. 42, 178. et de toto genere Matth. ad Cic. p. lege Man. 9, 23. „Pompeiani partim *timore* (metuebant enim Caesaris iram), partim *errore*, quia victores se fore opinabantur, abiectis pacis conditionibus bellum ultro susceperant.“ *Meyer.* — *timore*] *tremore* Lg. 68.

8. *quanquam*] per *m* pars codd., quam scripturam minus probatam non magis posthac commemorabo, quam in *unquam nunquam tanquam.* — *rebus amplissumis*] *atque honoribus* additur in Gu. 1.: interpretis manus particula *que* agglutinata: v. Comm. Cr. ad de Or. II. 33, 144. — *inertiae* — *desidiae*] *inertia* et *desidia* ed. pr. — *et quasi*] *atque* Lg. 20. — *sumpta*] sic per *p* codd. collati omnes, quam scripturam, cum et vera sit et libri addicere soleant, posthac non notabo. — *repperiebant*] sic duobus *p* Lg. 8. 51. Ven. 1.; v. Comm. Cr. ad de Or. II. 24, 100.

9. *ei*] sic, non *ii*, Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 68. 70. om. *ii* ed. pr. — *ceteris*] sic Lg. 8. 51.; rell. ae vel *oe*, quod posthac notare

tum mihi ita cari itaque iucundi, ut eorum aspectu omnis, quae me angebat de re publica, cura consederit. Quos postquam salutavi, Quid vos, inquam, Brute et Attice, nunc? quid tandem novi? Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis aut ego pro certo dicere audeam. 11. Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de re publica esset silentium et aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla molestia. Vos vero, inquam, Attice, et praesentem me cura levatis et absenti magna solatia dedistis. nam vestris primum literis recreatus me ad pristina studia revocavi. Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epistolam, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi visus est et monere te prudenter et consolari amicissume. 12. Recte, inquam, est visus. Nam me istis scito literis ex diuturna perturbatione totius valetudinis tanquam ad aspiciendam lucem esse revocatum. Atque ut post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam proelio populus se Romanus erexit posteaque prosperae res deinceps multae

omittam. — *maxume*] sic, et post *maxumis* Lg. 8. 51., hoc et Ven. 1. Ott.

III. 10. *inambularem*] *ambularem* Gu. 1. — *itaque iucundi*] *atque iuc.* Lg. 35. 53. 68. ed. pr. — *aspectu*] sic sine *d* collati libri omnes; sequendi autem sunt, quia congruit doctrina grammaticorum: v. Schneider. Gr. Lat. vol. II. p. 529. — *nunc? quid*] *numquid* aut divisim Lg. 53. 56. 70.; eodem *nunquid* fert in 35. 58.; scriptura haud quaquam spernenda.

11. *literis*] veram scripturam soli codicum Lg. 39. et Ottob., hic correctus in contrarium, habent nec notabo posthac. — *perlubenter*] per *i* Lg. 20. 35. ed. pr., haec quidem ubique. — *epistolam*] *epistulam* Lg. 8. 51., quibus quamvis optimis contra veritatem parere ratio non est; nec notabo posthac. — *amicissume*] sic Lg. 8. 51. Ott.

12. *valetudinis*] sic per *e* codd. optimi Lg. 8. 39. 51. 53. 70. Ven. 1. Ott., qui cum omnes aut plerique in recta scriptura con-

consecutae sunt: sic post rerum nostrarum et communium gravissumos casus nihil ante epistolam Bruti mihi accidit, quod vellem aut quod aliqua ex parte sollicitudines allevaret meas. 13. Tum Brutus: Volui id quidem efficere certe et capio magnum fructum, si quidem quod volui tanta in re consecutus sum. sed scire cupio quae te Attici literae delectaverint. Istae vero, inquam, Brute, non modo delectationem mihi, sed etiam, ut spero, salutem attulerunt. Salutem? inquit ille. quodnam tandem genus istuc tam praeclarum literarum fuit? An mihi potuit, inquam, esse aut gratior ulla salutatio aut ad hoc tempus aptior, quam illius libri, quo me hic affatus quasi iacentem excitavit? 14. Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est? Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse.

IV. Tum Atticus, Optatissumum mihi quidem est quod dicis: sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum aut tanto usui posset esse? 15. Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa et eam utilitatem, quam requirebam, ut explicatis ordinibus temporum uno in conspirent, postea non memorabitur. — *aspiciendam*] v. §. 10. — *praelio*] solus Lg. 8. *oe.* — *gravissumos*] scripsi ex Lg. 51. Ott. — *allevaret*] *levaret* Lg. 20; *adlev.* Lg. 8. Ven. 1., incerta res: v. Schneider. Gr. Lat. vol. II. p. 526.; nos semper *ll.*

13. *delectaverint*] *delectaverunt* Gu. 1. — *attulerunt*] *adt.* Lg. 8. 51. — *libri*] *liber* ed. pr.

14. *nempe eum*] inv. Lg. 35. — *dicis*] *dices* Lg. 8. 20. 51, 53. 58. 68. Ven. 1. mire. — *mihi quidem*] om. *quidem* Lg. 20.

IV. *mihi quidem*] inv. Lg. 35. — *posset esse*] *potest esse* Gu. 1.

15. *multa*] addit *attulit* Gu. 1. — *admonuitque*] *ammonuitque* Lg. 8. 39. 51. 58. 68. 70. Ven. 1. Ottob. Vat.; indicium libro-

spectu omnia viderem: quae cum studiose tractare coepissem, ipsa mihi tractatio litterarum salutaris fuit admonuitque, Pomponi, ut a te ipso sumerem aliquid ad me reficiendum teque remunerandum si non pari, at grato tamen munere: quanquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. 16. Ego autem voluntatem tibi profecto emetiar, sed rem ipsam nondum posse videor; idque ut ignoscas, a te peto. Nec enim ex novis, ut agricolae solent, fructibus est unde tibi reddam quod accepi: sic omnis fetus repressus, exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit, nec ex conditis, qui iacent in tenebris et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tanquam in inculto et derelicto solo; quod ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris; modo idem noster animus efficere possit, quod ager, qui, quom multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet. 17. Tum ille, Ego vero et exspectabo ea, quae polliceris, nec exigam nisi tuo commodo et erunt mihi pergrata, si solveris. Mihi quoque, inquit Brutus, exspectanda sunt ea, quae Attico

rum ab Italis scriptorum. — *Hesiodium*] *Hesiodi* Lg. 20. *Hesiodum* 53. 70. Vat. — *aut etiam*] *etiam* om. Lg. 20.

16. *emetiar*] *remetiar* ex coniectura Rivii Lamb. Wetzel. Schuetz. — *fetus*] sic per *e* Lg. 8. 20. 35. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Gu. 1. — *flos siti*] transposuit Lambinus. Librorum consensus *sitim* cum ubertate iungi postulat. — *obstructus*] *obstrictus* Lg. 20. Gu. 1. — *possit*] *posset* Lg. 70. — *quom*] sic dedi pro *cum* ex Lg. 8. 39. 51. 53. 56., in quibus *quam*, et 35., in quo *quam* corr. *quom*. V. Comm. Cr. in de Or. I. 1, 1. — *efferre*] *afferre* ed. pr. — *fruges solet*] *solet fructus* Lg. 39.

17. *exspectanda*] *et exsp.* s. *exp.* codd. omnes, etiam Gu. 1., deleverunt *et* Lamb. Ern. Sch. Or., defendere videtur Meyerus

polliceris, etsi fortasse ego a te huius voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, incommodo exacturum negat.

V. 18. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum. Non me Hercule, inquit, tibi repromittere istuc quidem ausim. nam hunc, qui negat, video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen et acrem fore. Tum Pomponius, Ego vero, inquit, Brutum nihil mentiri puto. Videor enim iamiam te ausurus esse appellare, quoniam longo intervallo modo primum animadverti paulo te hilariorem. 19. [Itaque quoniam hic, quod mihi deberetur, se exacturum professus est; quod huic debes, ego a te peto. Quidnam id? inquam. Ut scribas, inquit, aliquid. iam pridem enim conticuerunt tuae literae. Nam ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane postea acce-

18. *ausim*] ausus sim.
19. *veterum rerum*] veterum annalium.

verbis Handii de part. Lat. vol. II. p. 524. „*quoque* ad personam, *et* ad rem pertinet nec quicquam offenditur in cogitationis ratione. Virg. Aen. I. 5: *multa quoque et bello passus.*“ Recte Virgilius: passus enim et alias quam belli aerumnas Aeneas est; sed hic nihil aliud fieri dicitur, quam exspectari pollicita Attico. — *etsi*] divisim plerique libri, ut solent. — *incommodo*] *se incommodo tuo* Lambinus, nullo libro adiuvante. —

V. 18. *me Hercule*] sic divisim Lg. 8. 51. 53. 56. 58. 70. Ven. 1. 2. Gu. 1. et *me Hercle* Lg. 20. — *ausim*] sic Orell. ex codd. suis, quibus addicunt Ven. 1. Gu. 1.; rell. *ausus sim* aut *ausus sum*, ut Vat. Lg. 20. 51. Probat *ausus sim* Meyerus oblitus potentialem vim ab hac forma abesse. — *assiduum*] *adsiduum* Lg. 8. — *iam*] *iamiam* ed. pr. — *paulo*] sic codd. mei semper et omnes.

19. *quoniam hic*] *q. id* Lg. 20. — *iam pridem*] divisim Lg. praeter 20. 35. — *ad veterum rerum*] sic Lg. omnes; addunt *naturalium*, quod est etiam in Gu. 1. et ed. pr., ut tamen ab his

pimus: eisque nosmet ipsi ad veterum rerum memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. Sed illa, cum poteris: atque ut possis, rogo. 20. Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod quaerimus. Quidnam est id? inquam. Quod mihi nuper in Tusculano inchoavisti de oratoribus, quando esse coepissent qui etiam et quales fuissent. Quem ego sermonem cum ad Brutum tuum vel nostrum potius detulissem, magno opere hic audire se velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, cum te sciremus esse vacuum. Qua re, si tibi est commodum, ede illa, quae coeperas, et Bruto et mihi. 21. Ego vero, inquam, si potuero, faciam vobis satis: Poteris, inquit: relaxa modo paulum animum aut sane, si potes, libera. Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus est sermo, quod erat a me mentio facta causam Deiotari fidelissumi atque optumi regis ornatissume et copiosissume a Bruto me audisse defensam.

20. *inchoavisti*] inchoasti.
21. *potuero*] potero.

veterum absit: *veterum annalium* coni. Victor Pisanus. Unde vulgatum *nostrarum* illatum sit, nemo assequitur; puto et *naturalium* et *nostrarum*, cum illud *nr̄lium*, hoc *nr̄arum* scribatur, ex male intellecta scriptura *veterum* orta esse. Iure *nostrarum* improbavit Corradus, qui annales Attici non res Romanas solas complexos esse putaret. Huic adversatus Meyerus ad c. 3, 14. rem non probavit, sed posuit tantum. —

20. *mihi nuper*] inv. Lg. 20. 51. ed. pr. — *inchoavisti*] *incohavisti* Ven. 1.; vulgo *inchoasti* dissentientibus libris omnibus. —

21. *si potuero*] *cum pot.* ed. pr. *Potuero* est in Lg. 20. 35. Ven. 1. 2. Ottob. Est confusio perpetua, v. Comm. Cr. ad de Or. II. 20, 85; de sententia autem futuri exacti Klotz. in Cic. Tusc. I. 43, 103. *Potero* Lamb. Ern. Wetz. Schuetz. — *paulum*] *paululum* Lg. 20. 70. ed. pr.; *ll* in nullo libro. — *fidelissumi — optumi*] sic Lg. 35. 39. 51. 58. 68. 70. Ven. 1. Ott. ita corr. 53. Mox *ornatissume* et *copiosissume* Lg. 8. 51. Ottob.; hoc etiam Lg. 20.

VI. Scio, inquit, ab isto initio tractum esse sermonem teque Bruti dolentem vicem quasi deflevisse iudiciorum vastitatem et fori. Feci, inquam, istuc quidem, et saepe facio. 22. Nam mihi, Brute, in te intuenti crebro in mentem venit vereri ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria. cum enim in maxumis causis versatus esses et cum tibi aetas nostra iam cederet fascesque summitteret, subito in civitate cum alia ceciderunt, tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit. 23. Tum ille, Ceterarum rerum causa, inquit, istuc et doleo et dolendum puto; dicendi autem me non tam fructus et gloria, quam studium ipsum exercitatioque delectat: quod mihi nulla res eripiet, te praesertim tam studioso. et enim dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intellegit. quare qui eloquentiae verae dat operam, dat prudentiae, qua ne maxumis quidem in bellis aequo animo carere quisquam potest. 24. Praeclare, inquam, Brute, dicis; eoque magis ista dicendi laude delector, quod cetera, quae sunt quondam

VI. 22. *ecquodnam*] ad hanc veriorem scripturam ducit *et quodnam* in Lg. omnibus; *ecquodnam* ipsum Ottob. *quodnam* Gu. 1. ed. pr. *quoddam* Par. D. — *maxumis*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. — *fascisque*] sic Lg. omnes, Ven. 1. ed. pr. — *tum*] *tunc* Lg. 68.

23. *ceterarum rerum causa*] sic Lg. omnes, Ven. 1. 2. Vat. Ott. ed. pr. Rittershusius et Beierus delebant *causa.* — *et enim*] interponunt *dicere* ed. pr. libri omnes. Sed recte Handius de part. Lat. t. II. p. 545. separari illas particulas recentissimorum scriptorum esse dicit. — *intellegit*] sic per *e* Lg. 8. 51. Ven. 1. — *maxumis*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1., hic puncto supposito, quasi mendae signo; *u* scriptum igitur fuit in ἀρχετύπῳ libri illius. — *quisquam*] om. Gu. 1.

24. *qui se non*] *qui non se* Lg. 20.

25. *laudare*] *laudari* codd. mei praeter Lg. 68. Ven. 2. Ottob. Vat. — *qui sint*] sic ed. pr. et codd. praeter Gu. 1. Par. D.; alii *sunt.* — *hoc vero*] *hoc ego* Gu. 1. — *confirmaverim*] *conferam veri* Lg. pars; in Ven. 1. scriptum *conferam* (maveri) *veri.* — *sive illa*] *sive ulla* Lg. 8. 20 corr. 39. 51. 58. Ven. 1. Gu. 1. — *difficillumam*] sic Lg. 8. 51. Mox *maxumarum* Lg. 8. Ven. Ott. — *habeat*] libri, ut videtur, omnes *habeant*, quod primus cum correxisset Lambinus, nuper rursus placuit Meyero, cui Bernhardy iure obiecit plurale *concursus* non videri dici de artium societate.

VII. 26. *omnis*] sic Lg. omnes, Ven. 1. Ottob. ed. pr. — *a Graecis*] uncis inclusi cum Meyero illatum putans ex margine; non quod praecedat *testis est Graecia*, nam a locorum nominibus

habita in civitate pulcherruma, nemo est tam humilis, qui se non aut posse adipisci aut adeptum putet: eloquentem neminem video factum esse victoria. sed quo facilius sermo explicetur, sedentes, si videtur, agamus. Cum idem placuisset illis, tum in pratulo propter Platonis statuam consedimus. 25. Hic ego: Laudare igitur eloquentiam et quanta vis sit eius exprimere quantamque eis, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat neque propositum nobis est hoc loco neque necessarium. hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatur aliqua sive exercitatione quadam sive natura, rem unam esse omnium difficillumam. quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquaeque est ars ipsa magna per sese. quare quinque artium concursus maximarum quantam vim quantamque difficultatem habeat existimari potest.

VII. 26. Testis est Graecia, quae, cum eloquentiae studio sit incensa iamdiuque excellat in ea praestetque ceteris, tamen omnis artis vetustiores habet et multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam haec est [a Graecis] elaborata dicendi vis atque copia. In quam cum

25. *habeat*] habeant.
26. *a Graecis*] sine uncis.

intueor, maxume mihi occurrunt, Attice, et quasi lucent Athenae tuae, qua in urbe primum se orator extulit primumque etiam monumentis et literis oratio est coepta mandari. 27. Tamen ante Periclem, cuius scripta quaedam feruntur, et Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed iam adultis fuerunt, litera nulla est, quae quidem ornatum aliquem habeat et oratoris esse videatur. Quanquam opinio est et eum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum et paulo seniorem etiam Solonem posteaque Clisthenem multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo. 28. Post hanc aetatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspici, Themistocles fuit, quem constat cum prudentia, tum etiam eloquentia praestitisse: post Pericles, qui, cum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissumus. Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse. 29. Huic aetati suppa-

29. *Thucydidi*] Thucydidis.

ad cives incolas transiri satis usitatum (v. Explicatt. ad de Or. I. 19, 85), sed quod ad eandem Graeciam sermo statim redit verbis *in quam cum intueor.*

27. *paulo*] sic codd. omnes.

28. *Atticis*] omnes libri et ed. pr. *Attici;* dudum correxit Lambinus. — *clarissumus*] sic Lg. 8. Ven. 1. *dignissimus* Gu. 1. — *illum quidem*] inv. Lg. 20.

29. *Thucydidi*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 68. Ven. 1. 2. Vat. Gu. 1. *(tuchididi);* v. Explicatt. ad de Or. I. 19, 88. — *intellegi*] sic Lg. 8. 51. 58. Ven. 1. — *maxume*] sic eidem et Ottob. — *compressione*] *compositione* Lg. 58. *comprehensione* placet Bernhardyo, receptam scripturam novitiam rato; suam explicat *ambitu rerum et complexu magnifico*, quod non intelligo: nam *comprehensionem verborum* περίοδον esse scio, *rerum* ignoro. *Pressus* adiectivum norunt omnes; sed *pressio* eadem vi dictum non est eaque de causa *compressio* inventum a Cicerone, ut tralate significaret.

VIII. 30. *quodam modo*] divisim Lg. 35. 53. 58. 70. —

res Alcibiades Critias Theramenes: quibus temporibus quod dicendi genus viguerit ex Thucydidi scriptis, qui ipse tum fuit, intellegi maxume potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.

VIII. 30. Sed ut intellectum est quantam vim haberet accurata et facta quodam modo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt. Tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Calchedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus in honore magno fuit; aliique multi temporibus eisdem docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quem ad modum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset. 31. His opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat [verbis]. Huius ex uberrumis sermonibus exstiterunt doctissumi viri: primumque tum philosophia, non illa de

30. *Calchedonius*] Chalcedonius.
31. *his*] iis. — *verbis*] sine uncis. — *digressi*] degressi.

Calchedonius] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. Ven. 1. Ottob. Rell. *Chalced.* aut *Calced.*, etiam *Chalched.*, ut Lg. 70. Vat. Recta scriptura etiam in titulis servata, v. t. I. p. 148. n. 545. Orell. — *Abderites*] *Abderita* Lg. 53. 70. Ott., ex *Abderitas* ortum, quod in quibusdam libris est. — *Ceus*] *Chius* ed. pr. Lg. 20. 35. 39 cum var. *ceius*, 53. 56. 68. 70. Ven. 2. *prodigus cecius* Gu. 1. Rell. *Ceius;* cf. *Epicureius* c. 35, 131. 132. Eadem corruptela est N. D. I. 42, 118. — *Eleus*] *Elius* Ven. 2. *Eleius* Lg. praeter 35 (is *eplius)* et 56., qui *Theius.* Ea forma ex *e* et *i* scriptura confusa; nec minus bene scriberetur *Cius* et *Elius.* — *causa*] om. Gu. 1.

31. *His*] sic pro vulg. *iis* Lg. praeter 35., item Ven. 1. Gu. 1. — *subtilitate*] *sublimitate* Lg. 20. — *refellere solebat*] addunt *verbis* libri omnes, nec ibi cum Orellio putaverim latere *urbanissime,* sed ex sequenti *huius* male lecto ortum existimo; simili errore edd. quaedam antiquae *vir is*, deinde *cuius* pro *huius.* Uncis clausi. — *uberrumis*] sic, et mox *doctissumi*, Lg. 8. Ven. 1. —

natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur. quod quoniam genus ab hoc, quod proposuimus, abhorret, philosophos aliud in tempus reiciamus, ad oratores, a quibus digressi sumus, revertamur. 32. Exstitit igitur iam senibus illis, quos paulo ante diximus, Isocrates, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi: magnus orator et perfectus magister, quanquam forensi luce caruit intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo meo quidem iudicio est postea consecutus. is et ipse scripsit multa praeclare et docuit alios: et cum cetera melius quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quendam oportere servari. 33. Ante hunc enim verborum quasi structura et quaedam ad numerum conclusio nulla erat; aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quaesitam: quae forsitan laus sit; verum tamen natura magis tum casuque non nunquam,

32. *postea*] poëta.

reiciamus] sic uno *i* Lg. 8. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Gu. 1. V. Comm. Cr. in Cic. de Or. I. 42, 189. — *digressi*] sic per *i* mei omnes; v. C. Cr. in de Or. II. 19, 80.

32. *paulo*] Lg. omnes, nec opus enotari amplius. — *diximus*] post hoc in Gu. 1. inferciuntur haec: *laus egregia Isocratis oratorum summi.* — *cunctae — officina*] haec om. Lg. 70. — *parietes*] *domesticos par.* Lg. 20. — *meo quidem iudicio*] *quidem meo iud.* Gu. 1. Illud, quod Ern. ex cod. Par. D. restituit, et ed. pr. et Lg. omnes et Ven. 1. Ott. habent. om. *quidem* Rufinus de metris p. 189. Orell. — *postea*] sic ed. pr. et codd. mei omnes; *poëta*, quod ineptum esse ostendit Ruhnk. H. Cr. Or. Gr. p. LXII., Rufinus l. c. Grut. Ern. — *dum*] *cum* Lg. 20. — *versum*] *vorsum* Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Vat. Ottob.; scriptura memorabilis, sed non vera. — *servari*] *conservari* Lg. 20.

33. *forsitan*] *forsan* Lg. 20. contra usum Ciceronis. — *ve-*

quam aut ratione aliqua aut observatione fiebat. 34. Ipsa enim natura circumscriptione quadam verborum comprehendit concluditque sententiam: quae cum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose. nam et aures ipsae quid plenum quid inane sit iudicant, et spiritu quasi necessitate aliqua verborum comprehensio terminatur: in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est.

IX. 35. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor atque elegans, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. nam plane quidem perfectum et quoi nihil admodum desit Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quicquam esset elatius. 36. Huic Hyperides

rum tamen — fiebat] sic ed. pr. et codd. plerique, sed hi *quam* omisso, quod sola ed. princeps habet; *casu quam nonnunq.* Lg. 68. *nonnunq., haud ratione aliqua aut ulla observ.* Rufinus l. c. *Nunquam aut* coni. Peter, duro asyndeto.

34. *constricta*] *constructa* Lg. 20. Ven. 1. Oratio dicitur *structa* i. e. numerose composita, sed nec *constructa* nec addito *verbis*. *circumscripta* Gu. 1. — *defici*] *deficere* ed. pr.

IX. 35. *prope*] om. Lg. 70. — *et quoi nihil desit*] sic distincte Lg. 35. 58. 70. eodem redit *et quo* in 8. 39. 51. 56. 68. Hoc non intelligentes correxerunt *in quo*, ut Omnibonus, quem sequitur Schuetzius; ex coniuncta utroque scriptura fluxit *cui in quo* apud Par. D. Gu. 1., nam de hoc falsa retulit Schuetzius. *Quoius, quoi* tenenda addicentibus bonis libris; ea enim una cum *cuius, cui* in usu fuerunt, ut *quom* & *cum*. — *quicquam*] sic mei omnes praeter Ven. 2. Vat. Gu. 1.; v. C. Cr. in de Or. I. 8, 30. — *elatius*] *clarius* Gu. 1., ortum ex scripto *elacius*.

proxumus et Aeschines fuit et Lycurgus et Dinarchus et is, cuius nulla exstant scripta, Demades aliique plures. Haec enim aetas effudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, sucus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. **37.** Phalereus enim successit eis senibus adolescens, eruditissumus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus quam palaestra. itaque delectabat magis Athenienses quam inflammabat. processerat enim in solem et pulverem non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti doctissumi hominis umbraculis. **38.** Hic primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit et suavis, sicut fuit, videri maluit quam gravis, sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret; tantum ut memoriam concinnitatis suae, non, quem ad modum de Pericle scripsit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus.

X. **39.** Videsne igitur in ea ipsa urbe, in qua et nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem? siquidem ante Solonis aetatem et Pisistrati de nullo ut diserto memoriae proditum est. at hi quidem, ut populi Romani aetas est, senes, ut Atheniensium

36. *proxumus*] sic Lg. praeter 20. 35. 39. 56., item Ven. 1. 2. Vat. — *sucus*] sic uno *c* Ven. 1. 2. Vat. Gu. 1. Lg. praeter 20. 39. 58. — *inesset*] *esset* Lg. 20. 35. 51. 53. 58. 68. 70.

37. *Phalereus*] *Phalerius* Lg. 20. 58. — *palaestra*] sic mei omnes et ed. pr.; Lamb. *palaestrae*. — *doctissumi*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1.

38. *perfringeret*] *perstringeret* D. Gu. 1. Sch. Or. Meyer.

X. 39. *in ea*] *ut in ea* ed. pr. et codd. omnes; delevit Ern. *vel in ea* Heusingeri susp. — *secla*] scripsi secundum codices collatos omnes: v. C. Cr. in de Or. I. 43, 194. — *adolescentes*] *adul.* Lg. 8. 58. Ottob. Gu. 1. Semper aliqui *u*, quod non notabitur posthac. — *Ser. Tullio*] *Tullio* codd. pars, edd. vett. pleraeque, etiam Lambinus. *sexto tullio* Gu. 1.

secla numerantur, adolescentes debent videri. nam etsi Servio Tullio regnante viguerunt, tamen multo diutius Athenae iam erant, quam est Roma ad hodiernum diem: nec tamen dubito, quin habuerit vim magnam semper oratio. **40.** Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulixi tribuisset Homerus et Nestori, quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem, nisi iam tum esset honos eloquentiae; neque ipse poëta hic tam idem ornatus in dicendo ac plane orator fuisset. cuius etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum: siquidem non infra superiorem Lycurgum fuit, a quo est disciplina Lacedaemoniorum astricta legibus. **41.** Sed studium eius generis maiorque vis agnoscitur in Pisistrato. Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus est, ut apud nos, perantiquus, ut apud Athenienses, non ita sane vetus. fuit enim regnante iam Graecia, nostra autem civitate non ita pridem dominatu regio liberata. Nam bellum Volscorum illud gravissumum, cui Coriolanus exsul interfuit, eodem fere tempore quo Persarum bellum fuit; similisque fortuna clarorum virorum: **42.** siquidem uterque, cum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria se ad hostes contulit conatumque iracundiae suae morte sedavit. nam etsi aliter

40. *Ulixi*] Ulyssi.

40. *neque enim*] om. *enim* ed. pr. — *Ulixi tribuisset*] *plane orator fuisset* Gu. 1. *Ulixi* ceteri mei libri omnes. — *astricta*] eliso *d* libri omnes; *astructa* Gu. 1.

41. *fuit enim*] *fuit autem* Lg. 68. — *clarorum*] sic codd. omnes. Lambinus *clarissimorum*.

apud te est, Attice, de Coriolano, concede tamen, ut huic generi mortis potius assentiar.

XI. At ille ridens, Tuo vero, inquit, arbitratu; quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius. ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. **43.** nam quem Thucydides, qui et Atheniensis erat et summo loco natus summusque vir et paulo aetate posterior, tantum mortuum scripsit et in Attica clam humatum, addidit fuisse suspicionem veneno sibi conscivisse mortem: hunc isti aiunt, cum taurum immolavisset, excepisse sanguinem patera et eo poto mortuum concidisse. hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt, illa mors volgaris nullam praebebat materiem ad ornatum. Qua re, quoniam tibi ita quadrat, omnia fuisse Themistocli paria et Coriolano, pateram quoque a me sumas licet: praebebo etiam hostiam, ut Coriolanus sit plane alter Themistocles. **44.** Sit sane, inquam, ut lubet, de isto: et ego cautius posthac historiam attingam

42. *apud te est*] est apud te.
43. *Themistocli*] in Themistocle.

42. *apud te est*] sic, non *est apud te* ed. pr. et codd. mei praeter Ven. 2. Vat. Ottob. — *assentiar*] *ads.* Lg. 8. 51.

XI. *quoniam quidem*] *quando quidem* ed. pr. *quando* Lg. 35. — *ementiri*] *mentiri* Lg. 53 corr. 58. *et mentiri* 35. — *Stratocles*] *et Str.* Gu. 1. Sic *et* pro *etiam* dici visum plerisque locis librariorum libidini debetur.

43. *volgaris*] sic Ven. 1. Ottob. Lg. 8. 51. — *materiem*] *materiam* Gu. 1. Lg. 8. 51. 56. 68.: v. C. Cr. in Cic. de Or. I. 3, 10. — *ad ornatum*] *ad ornandum* Lamb. marg. ed. 1584. — *Themistocli paria et Coriolano*] sic Lg. 20. 53. 58. 68. 70.; ducit eodem, quod *in* abest a ceteris collatis omnibus, etiam Gu. 1. Sic imparilitas vulgatae scripturae *in Themistocle paria et Coriolano* vitatur, cuius rei causa *in Coriolano* scripsit Lamb. — *pateram*] hic inferciuntur haec in Gu. 1.: *per me licebit, ut etiam dicas*

te audiente, quem rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissumum. Sed tum fere Pericles, Xanthippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam: quae quanquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxagora physico eruditus exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad causas forensis popularisque facile traduxerat. huius suavitate maxume hilaratae Athenae sunt: huius ubertatem et copiam admiratae eiusdem vim dicendi terroremque timuerunt.

XII. **45.** Haec igitur aetas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nec enim in constituentibus rem publicam nec in bella gerentibus nec in impeditis ac regnum dominatione devinctis nasci cupiditas dicendi solet. pacis est comes otiique socia et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia. **46.** Itaque ait Aristoteles, cum sublatis in Sicilia tyrannis res privatae longo intervallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens et † controversa natura, artem et praecepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse:

44. *Athenae sunt*] sunt Athenae.

Coriolanum excepisse sanguinem tauri ex patera, sicut Themistoclem aiunt isti sumpsisse hostiam, taurumque Themistocles immolavit, ut par Coriolanus ei esset. Deinde sequitur *quoque a me sumas licet* et sqq.

44. *rerum Romanarum*] *rer. humanarum* Ven. 1. — *religiosissumum*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *quanquam tum*] *q. tunc* ed. pr. — *maxume*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. Ottob. — *Athenae sunt*] sic ed. pr. et codd. collati omnes; vulgo inv.

XII. 45. *nec in bella gerentibus nec in*] utrobique *in* om. ed. pr. Gu. 1.; altero loco Lg. 58. Nisi antecederet *nec in constituentibus rem publ.*, suspicio esset eos omnes dativos esse et praepositione recte carere. —

46. *controversa natura*] *controversia nat.* Lg. 8. Inscr. mendi signo ◡̇, 35. 39. 51. 56 corr. 58. 70. Ven. 1. 2. Ott. Vat. Gu. 1. *controvesa* Lg. 20. *controversi a* Lg. 39. 58. uterque

nam antea neminem solitum via nec arte, sed accurate tamen et de scripto plerosque dicere; scriptasque fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quae nunc communes appellantur loci. 47. quod idem fecisse Gorgiam, cum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset; quod iudicaret hoc oratoris esse maxume proprium rem augere posse laudando vituperandoque rursus affligere. huic Antiphontem Rhamnusium similia quaedam habuisse conscripta; quo neminem unquam melius ullam oravisse capitis causam, cum se ipse defenderet, se audiente locuples auctor scripsit Thucydides. 48. nam Lysiam primo profiteri solitum artem esse dicendi; deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse. similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur; sed, cum ex eo, quia quasi committeret contra legem, quo quis iudicio circumveniretur, saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artis componendas transtulisse.

corr. ut 8., Ox. ed. pr. *Gens controversiis nata* coniecit Iacobsius eleganter, sed improbatur a Bernhardyo, quod nemo adhuc Siculos natura litigiosos dixerit. At Cicero ita iudicat, quod iudicialis eloquentia apud eos orta dicebatur: nec male illis, qui controversias amant, res deberi dicitur in controversiis iudicialibus utilis. Schneiderus *et controversia* delevit et ante scripsit *controversiis et iudiciis:* sed indictum videtur *rem controversia repetere.*

47. *oratoris esse*] *esse* om. Lambinus. — *maxume*] Lg. 8. 51. Ven. 1. om. Lg. 58. — *huic Antiphontem*] *hinc A.* ed. pr.

48. *artem esse*] inv. Lg. 70. *esse* om. Lg. 20. — *eum scribere — coepisse*] *cum — coepisset* Gu. 1. scriptura memorabilis. — *iudicio*] *in iudicio* Lg. 20. ed. pr. „praepositionem, quam formula legis Semproniae nescit, consilio videtur Cicero omisisse, cum et *in iudiciis* praegresso *in iudicium* sequatur nec possit ambiguitas

XIII. 49. Et Graeciae quidem oratorum partus atque fontis vides, ad nostrorum annalium rationem veteres, ad ipsorum sane recentis. nam ante, quam delectata est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia et in domesticis et in bellicis rebus effecerat. Hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum. 50. quis enim aut Argivum oratorem aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda docto homine suspicari libet. Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem. Menelaum ipsum dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Brevitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet. 51. At vero extra Graeciam magna dicendi studia fuerunt, maxumique huic laudi habiti honores illustre oratorum nomen reddiderunt. nam ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanitatem perderet ac loqui paene dedisceret. Hinc Asiatici oratores, non con-

oriri.“ *Meyer.* — *totumque se*] om. *se* Lg. 68. 70. — *componendas*] om. Lambini duo codd., si fides huic.

XIII. 49. *partus atque fontis*] *partis a. f.* ed. pr. *partus artisque fontes* coni. Sch. *oratorum artisque fontes* coni. Meyerus. Sana omnia. Ceterum *fontis* Lg. 8. 51. 56. Ven. 1. — *ante, quam*] divisim Lg. 39. 53. Ven. 1. sic iubet ratio. — *et in bellicis rebus*] om. Lg. 20. *inbecillis* Ven. 1. Gu. 1., ille tamen supra scripta nota literarum *c* et *ll* permutandarum. — *studium*] om. ed. pr.

50. *homine*] *viro* Lg. 20. — *ipsum*] om. Lg. 20. — *tradit*] *tradidit* Lamb.

51. *maxumique*] sic Lg. 8. Ven. 1. — *tota Asia*] *tota Graecia* Lg. 20. 51 corr. *peregr. est t. A.* Vat. — *oblineret*] *obtineret* s. *optineret* Lg. praeter 51., Ven. 1. 2. Vat. Ott. Gu. 1. ed. pr.; puto etiam Par. D. — *et quasi sanitatem*] *et q. suavi-*

temnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes: Rhodii saniores et Atticorum similiores. 52. Sed de Graecis hactenus: et enim haec ipsa forsitan fuerint non necessaria. Tum Brutus, Ista vero, inquit, quam necessaria fuerint non facile dixerim: iucunda certe mihi fuerunt, neque solum non longa, sed etiam breviora, quam vellem. Optume, inquam: sed veniamus ad nostros, de quibus difficile est plus intellegere, quam quantum ex monumentis suspicari licet.

XIV. 53. Quis enim putet aut celeritatem ingeni L. Bruto illi nobilitatis vestrae principi defuisse? qui de matre savianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque coniecerit; qui summam prudentiam simulatione stultitiae texerit; qui potentissumum regem clarissumi regis filium expulerit civitatemque perpetuo dominatu liberatam magistratibus annuis legibus iudiciisque devinxerit; qui collegae suo imperium abrogaverit, ut e civitate re-

tatem ed. pr., sed nullus liber. *Salubritatem* et *sanitatem* coniuncta multi a Ciceroniana elocutione aliena putarunt; quam ob rem Lambinus *salubritatem et* delevit, Ernestus *subtilitatem* subrogari voluit, Orellius nuper pro *sanitate siccitatem* scripsit; Lambinum sequuntur Ruhnkenius H. Cr. Or. Gr. p. XXXVII. et Meyerus. Sana sunt omnia. — *loqui dedisceret*] *linguam ded.* Sch., illud *obmutescere* significare ratus, etsi de recto loquendi usu dediscendo dici posse ratio iubet; velut qui linguam dediscit non protinus omnium vocabulorum linguae obliviscitur, sed recti usus. — *non contemnendi quidem*] *ille q.* Lamb.; sed id nullus liber habet.

52. *et enim*] *etiam* Orell. errore typographi. — *forsitan fuerint*] *forsan* Lg. 35. *forsan an* Ven. 2. *fuerunt* Lg. praeter 8. 20. 35. 51., hi autem coniunctivum, qui solus Ciceronianus est, tuentur una cum Ven. 1. Ott. ed. pr. Iniuria igitur hanc Victorii coniecturam putabat Handius Tursell. vol. I. p. 716. — *necesse fuerunt*] *fuerint* Lg. 35. 39. 58. Gu. 1.; errat de hoc Peter. — *sed etiam*] *etiam* om. ed. pr. — *intellegere*] sic Lg. 8. 51. Ottob. Ven. 1.

galis nominis memoriam tolleret: quod certe effici non potuisset, nisi esset oratione persuasum. 54. Videmus item paucis annis post reges exactos, cum plebes prope ripam Anienis ad tertium miliarium consedisset eumque montem, qui Sacer appellatus est, occupavisset, M. Valerium dictatorem dicendo sedavisse discordias eique ob eam rem honores amplissumos habitos et eum primum ob eam ipsam causam Maxumum esse appellatum. Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuisse dicendo, qui post decemviralem invidiam plebem in patres incitatam legibus et contionibus suis mitigaverit. 55. Possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia senatum iamiam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit: possumus C. Fabricium, quia sit ad Pyrrhum de captivis recuperandis missus orator: Ti. Coruncanium, quod ex pontificum commentariis longe plurumum ingenio valuisse videatur: M' Curium, quod is tribunus plebis inter-

XIV. 53. *aut celeritatem*] cum *aut* non habeat, quod respondeat, Sch. *aut eloquentiam* inseruit post *texerit*. Est ἀνακόλουθον: v. Walch. Em. Liv. p. 186. Hand. Turs. vol. I. p. 546., magis probabiliter explicantem, quam Matthiae fecit in Wolfii Anall. lit. vol. II. 2. — *ingeni*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *savianda*] sic sine *u* libri et ed. pr.

54. *item*] *igitur* Lg. 58. — *eumque montem*] *cumque m.* Gu. 1. ed. pr. Paulo ante *Anionis* aut *Anconis* Lg. 8. 39. 51. Ven. 1. — *miliarium*] sic uno *l* Lg. omnes, Ven. 1. Vat. *miliare* Lg. 70. — *dictatorem dicendo*] om. Lg. 20. *dictatorem* om. Lg. 35. 53. 68. 70. 85. Ven. 2. — *amplissumos*] et mox *Maxumum* Lg. 8. 51. Ven. 1. hoc etiam Lg. 68. — *incitatam*] *concitatam* Lg. 53. 68. 70. *incitandam* Gu. 1. — *contionibus*] sic per *t* Lg. omnes, Ven. 1. 2. *c* Gu. 1.

55. *iamiam*] *iam* Lg. 20. *ianuam* 58. Ven. 1 corr. — *quia sit*] *qui sit* Lg. 20. ed. pr. — *Ti.*] *T.* vel *Titum* codd. et edd. vett. pleraeque, sed non Lg. 8. 20. 51. Mox *Coruncanum* ed. pr. Lg. 20. 39 corr. et alii quidam. — *M'*] *M. Ma. Marcum* codd. et edd. omnes ad Lambinum usque. — *non dum*] sic divisim

rege Appio Caeco diserto homine comitia contra leges habente, cum de plebe consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coëgerit; quod fuit permagnum nondum lege Maenia lata. 56. Licet aliquid etiam de M. Popili ingenio suspicari, qui, cum consul esset eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebi contra patres concitatione et seditione nuntiata, ut erat laena amictus, ita venit in contionem seditionemque cum auctoritate tum oratione sedavit. Sed eos oratores habitos esse aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse nihil sane mihi legisse videor: tantummodo coniectura ducor ad suspicandum. 57. Dicitur etiam C. Flaminius, is qui tribunus plebis legem de agro Gallico et Piceno viritim dividundo tulerit, qui consul apud Trasumenum sit interfectus, ad populum

Ven. 1. Lg. 39. 51. 56. 70. — *fuit*] *fuerit* Ven. 1. Gu. 1. 2. ed. pr. — *Maenia*] *menenia* ed. pr.

56. *Popili*] sic Lg. 8. 39. 51. 58. 68. 70. Ven. 1. Ott. *Popilio* Vat. — *plebi*] sic codd. collati omnes praeter Vat., item ed. pr. — *et seditione*] non puto Ciceronis esse, sed interpretis verba prioribus particula *que* adiecta; v. C. Cr. in Cic. de Or. II. 33, 144. — *nuntiata*] constant haec (per *t*) bonorum codd. scriptura etiam in Bruto. — *contionem*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Ottob. Gu. 1., eaque scriptura, nisi cum boni libri dissentiunt, postea non notabitur. — *cum auctoritate*] *tum auct.* ed. pr. inv. *auct.* et *oratione* Lg. 20.

57. *dividundo*] sic legitima in legibus forma Lg. 8. 20. 51. Ven. 1. *dimittendo* Gu. 1. — *tulerit — sit*] *tulit — est* Sch. de coniectura minime necessaria. — *Trasumenum*] antiquam formam reduci oportuit; est ea in Gu. 1. *Tarsumennum* Lg. 8. 20. 51. Ven. 1. Ott., quam scripturam (modo alterum *n* abiiciatur) errori tribuere vix audebit qui legerit Quintil. I. 5, 12. *Transimenum* Lg. 20. *Trasimemnum* 35. *Tarsimenum* 56. *Trasimerum* 70.

XV. *Cethegus*] *Cetegus* Lg. 20. 39. 58. ed. pr., forma Ciceronis aetate iam antiquata. — *audiverit*] *audierit* Lg. 35. ed. pr., quod cur rectum dicat Meyerus non assequor.

valuisse dicendo. Quintus etiam Maxumus Verrucosus orator habitus est temporibus illis et Q. Metellus, is qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit.

XV. Quem vero exstet et de quo sit memoriae proditum eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est auctor et idoneus quidem mea sententia Q. Ennius; praesertim cum et ipse eum audiverit et scribat de mortuo: ex quo nulla suspicio est amicitiae causa esse mentitum. 58. Est igitur sic apud illum in nono, ut opinor, annali:

Additur orator Cornelius suaviloquenti
ore Cethegus Marcus, Tuditano collega,
Marci filius —

(et oratorem appellat et suaviloquentiam tribuit: quae nunc quidem non tam est in plerisque. latrant enim iam

58. *popularibus*] ollis popularibus.

58. *Cornelius*] sic plene libri omnes praeter Lg. 70., qui nomen non habet: v. C. Cr. ad de Or. I. 45, 198. — *suaviloquenti*] *suavi eloquenti* Gu. 1. — *Marcus Tuditano collega*] *marcus studio collegam* (aut *conlegam*) omisso deinde *Marci* (scriptum fuit in archetypo *M.* et adhaesit vocabulo *collegam*) codd. collati omnes; modo Lg. 20. *collegae*, ipse quoque omisso *Marci*. Commentum igitur editionis principis *ore Cethegus Vetturio collega Philoni* non librarium, sed editionis concinnatorem auctorem habet. — *loquuntur*] *locuntur* Lg. 58. 70. — *ea laus*] *ea* om. ed. pr. *claus* Gu. 1.; in *c* latet *ea*. — *maxuma*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *is dictus — olim*] *dictust*, ut Gronovius emendavit in Gell. XII. 2, 3., nullum librum adiutorem habet. *is dictus ollis auris popularibus olim* ed. pr. *ductus* Gu. 1. Contra ac Meyero visum hunc versum cum particula illa *Marci filius* coniungendum arbitror, item sequentia *Suadaeque medulla;* ut haec tria membra verbis Ciceronis interrupta sint. Delendum autem *ollis*. Ita haec figura versuum nascitur:

Marci filius: is dictus popularibus olim,
Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
Flos delibatus populi Suadaeque medulla.

quidam oratores, non loquuntur. sed est ea laus eloquentiae certe maxuma.)

— — is dictus popularibus olim,
qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
flos delibatus populi —

59. (probe vero. ut enim hominis ingenium, sic ingeni ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt)

Suadaeque medulla.

Πειθώ quam vocant Graeci, cuius effector est orator, hanc Suadam appellavit Ennius, eius autem Cethegum medullam fuisse vult: ut, quam deam in Pericli labris scripsit Eupolis sessitavisse, huius hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. 60. At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo quaestorque his consulibus M. Cato modo plane annis CXL. ante me consulem; et id ipsum nisi unius esset Enni testimonio cognitum, hunc vetustas, ut alios fortasse multos, oblivione obruisset. Illius autem aetatis qui sermo fuerit

59. *Pericli*] Periclis.

Ceterum *agebant* pro *agitabant* libri praeter Lg. 20. Vat., etiam ed. pr.; repugnante Gellio l. c.

59. *ingeni*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *ut enim hominis ingenium*] vulgo ex ed. pr. et plerisque codd. *ut enim h. decus ing. Decus* delevit Meyerus secundum librum Borromei, addicuntque Lg. 51. Ven. 1. *Lumen* ad utrumque membrum pertinet. — *lumen*] *decus* Lg. 20. — *Suadaeque*] Gellius *et Suadai med.*, *suadae* Lg. 8 corr. *suadai;* it. 20. 53. 68. *suade* 35 corr. *suadat* Ven. 1. *suadeat* Gu. 1. — *eius autem — vult*] interpretis manum agnoscere sibi videbatur Sch. — *ut, quam*] *et quam* ed. pr. Modo *Cetegum* ed. pr. Lg. 39. — *Pericli*] Ern. et edd. quaedam vett. *Periclis.* — *labris*] *libris* Ven. 1. Ott. Lg. 8. 20 corr. uterque, et 51. —

60. *Cethegus*] *Cetegus* ed. pr. Lg. 39. — *quaestorque — annis*] *quaestorque et comes M. Catoni plane annis* ed. pr. —

ex Naevianis scriptis intellegi potest. his enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus: quanquam Varro noster, diligentissumus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius. nam Plautus P. Claudio L. Porcio, viginti annis post illos, quos ante dixi, consulibus mortuus est, Catone censore. 61. Hunc igitur Cethegum consecutus est aetate Cato, qui annis IX. post eum fuit consul. eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio Manio Manilio consulibus mortuus est, annis LXXXVI. ipsis ante me consulem.

XVI. Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem: nisi quem Appi Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant. 62. Et, Hercules, hae quidem exstant: ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam. Quanquam his lau-

modo plane] *modo* delevit Lambinus. — *Enni*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. Ven. 1. — *intellegi*] sic Lg. 8. 51. — *in veteribus — est*] *veteribus — inest* ed. pr. — *Naevi*] sic aut *Nevi* Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Gu. 1. om. Ven. 2. — *consulibus*] mendosum est *consules* in ed. pr. ex compendio librorum *COSS.* ortum; sequor corrigentem Meyerum.

61. *Cethegum*] ut §. 60. Lg. 39. 51. — *annis IX*] annis V Gu. 1. — *fuit consul*] inv. Gu. 1. — *Manio*] libri M. — *LXXXVI*] LXXXXVIIII Lg. 20. Verum numerum, quem Wetz. et Or. aliis probantibus de coniectura posuerunt, clare scriptum exhibet Lg. 56. itaque sec. m. 8. 51. correxit.

XVI. *Appi*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 68. 70.

62. *Hercules*] *hercle* Lg. 20. — *hae quidem*] *equidem* Gu. 1. ex *eae quidem* corruptum, quod est in Ven. 1. & ed. pr. — *illustrandam*] Aldus sine ullo libro *illustrandum,* probatum ab Orellio, sed Varronianum potius et antiquatum, quam Ciceronis:

dationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. multa enim scripta sunt in iis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus: ut si ego me a M' Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul anno decumo post exactos reges fuit. 63. Catonis autem orationes non minus multae fere sunt quam Attici Lysiae, cuius arbitror plurimas esse: est enim Atticus, quoniam certe Athenis est et natus et mortuus et functus omni civium munere; quanquam Timaeus eum quasi Licinia et Mucia lege repetit Syracusas. et quodammodo est nonnulla in his etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves: sed ille Graecus ab omni laude felicior. 64. Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consectentur, quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat. quanquam in Lysia sunt saepe etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius, verum est certe genere toto strigosior: sed habet

62. *ad plebem*] a plebe. — *consul*] consule.
63. *fere*] verae. — *in his*] in iis.

v. Madvig. Opusc. p. 385. — *ad plebem transitiones*] sic libri omnes; Lambinus probatus Scaligero et Ernesto *a plebe.* — *M' Tullio*] *Marco Tullio* libri omnes. — *consul*] sic ed. pr. et libri omnes; *consule* Gron. Ern. al., voce perperam ad proximae similitudinem accommodata.

63. *multae fere*] sic libri et ed. pr.; om. *fere* Par. D. *verae* Ern. — *est et natus*] *et natus est* Lg. 20. 51. om. *est* 39. — *quanquam*] *quamvis* Lg. 68. — *repetit*] *petit* Gu. 1. — *non nulla*] divisim Lg. 39. 58. 70. ratio sic iubet nec notabo amplius. — *in his*] sic Lambinus scripsit. *Etiam* cum indicet vim sententiae cerni in vocabulo proxime praegresso, fieri non potest, quin pro-

tamen suos laudatores, qui hac ipsa eius subtilitate admodum gaudeant.

XVII. 65. Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit aut quis novit omnino? at quem virum, di boni! mitto civem aut senatorem aut imperatorem: oratorem enim hoc loco quaerimus; quis illo gravior in laudando, acerbior in vituperando, in sententiis argutior, in docendo edisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus illustribus. licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint: omnes oratoriae virtutes in iis reperientur. 66. Iam vero Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis iam ante seclis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae, quod idem Lysiae Demosthenes; sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exagge-

64. *delectat*] delectet.

nomen δειχτιχόν desideremus: itaque ego quoque illi calculum adieci. — *etiam*] *et* ed. pr.

64. *non tam*] *tam* om. ed. pr. — *delectat*] *delectet* Ern. — *sunt saepe*] sic omnes libri. *saepe sunt* Grut. — *habet tamen*] *tamen* om. ed. pr.

XVII. 65. *nostrorum*] *nostrum* ed. pr. — *di*] sic, non *dii* Lg. 8. 51. Ven. 1. — *edisserendoque*] *disserendoque* Lg. 20. 53. 68. 70. In Vat. est punctum sub *e* initiali. — *licet ex his*] *licet ex iis* ed. pr.

66. *seclis*] sic Lg. 8 corr. 20. 56. 58. Ven. 1. 2. Ottob. Vat. *saeclis* 39. 51. — *cum brevitate*] *tum br.* ed. pr. *aut cum brevitate* Ven. 1. Gu. 1. — *quod idem*] *ut* Lg. 20. *item* 35. — *posterio-*

rata altius oratio. 67. Sed [et] in nostris inscitia est, quod hi ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone ne noverunt quidem. Hyperidae volunt esse et Lysiae. laudo. sed cur nolunt Catones? Attico genere dicendi se gaudere dicunt. sapienter id quidem. 68. atque utinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam sanguinem! Gratum est tamen quod volunt. cur igitur Lysias et Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato? Antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba: ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros et, ut aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni. 69. Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα: non veri simile

67. *et*] sine uncis. — *hi*] ii. — *ne noverunt*] non noverunt.
68. *et ut aptior sit oratio, ipsa*] et aptior sit oratio; ipsa.

rum] *posterorum* ed. pr. Lg. omnes praeter 20. 58., in quibus est *posterum*. De Ven. Ott. Vat. Gu. 1. nihil in schedis reperio, sed minime dubito etiam hos mendosos esse.

67. *inscitia*] *inscientia* Lamb. Quod praecedit *et* ante *in nostris*, secundum Heusingerum uncis inclusi, cum *etiam*, quod in Lg. 39. legitur, significatione alienum sit et totius loci ratio ab anacoluthi suspicione alienissima sit. — *quod hi*] scripsi pro *ii* ex Gu. 1. Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Homines Ciceronis aequales et ab eo propter ineptias notati sic indicantur accuratius. — *ne noverunt quidem*] codd. et ed. pr. *non nov. quidem. non noverunt. Quid enim?* Manutius. — *Catones*] *Catonis* codd. et ed. pr., modo quod *platonis* Ven. 1.

68. *amatur*] *amantur* Lg. 35. ed. pr. — *tum*] *tunc* Lg. 53. 68. 70. om. 58. — *et ut aptior sit oratio, ipsa verba — coagmenta*] Haec mea olim suspicio nunc confirmatur Lg. 51. Ven. 2. Ottob. *ut aptior s.* Lg. 56. 70. Lamb. Meyer. *et aptior s.* rell.

est quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato.

XVIII. Nec vero ignoro nondum esse satis politum hunc oratorem et quaerendum esse aliquid perfectius: quippe cum ita sit ad nostrorum temporum rationem vetus, ut nullius scriptum exstet dignum quidem lectione, quod sit antiquius. Sed maiore honore in omnibus artibus quam in hac una dicendi versatur antiquitas. 70. Quis enim eorum, qui haec minora animadvertunt, non intellegit Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi; non dum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen quae non dubites pulchra dicere: pulchriora etiam Polycliti et iam plane perfecta, ut mihi quidem videri solent. Similis in pictura ratio est: in qua Zeuxim et Polygnotum et Timanthem et eorum, qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus, formas et

et vulgo edd. a principe inde. Nostrae scripturae cur minus faveat *ipsa*, quod dictum plane ut in vulgata, non intelligo. — *quod ne*] *quod* om. Gu. 1.

69. *Ornari*] *oratori* Gu. 1. — *immutationibus*] *imitationibus* Gu. 1. — τρόπους] hoc et mox σχήματα plerique libri latinis scripta literis: modo τροπος Lg. 39. et idem σχεματα. *scemata* Gu. 1. Ottob.

XVIII. *in hac una*] addunt *arte* ed. pr. Lg. 8. 35. 53. 56. 58. 68. 70. Gu. 1.

70. *eorum*] *horum* Gu. 1. improbandum propter sequens *haec*. — *haec minora*] om. ed. pr. — *intellegit*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *molliora*] *meliora* Gu. 1. ed. pr. — *pulchra*] *pulcra* et mox *pulcriora* Gu. 1., hoc et Ven. 1. — *Polycliti*] sic aut *Policliti* Lg. 8. 20. 35. 39. 51. 56. 70. Gu. 1. Ven. 1. 2. Ottob. V. C. Cr. in Cic. de Or. I. 21, 98. — *et iam plane*] *etiam pl.* ed. pr. — *Zeuxim*] *Zeuxin* solus meorum Lg. 51. Rell. *Ceusin* (ed. pr.) *Zeuxim, Xeuxim, Zeusim, Reusim* (Gu. 1.). — *Timanthem*] codd. plerique et ed. pr. *Timantem*. — *quattuor*] sic duobus *t* Lg. 8. 51. Ven. 1. — *Echione*] Codd. *Aetione, Aëtione,*

lineamenta laudamus: at in Echione Nicomacho Protogene Apelle iam perfecta sunt omnia. **71.** Et nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat: nihil est enim simul et inventum et perfectum; nec dubitari debet quin fuerint ante Homerum poetae, quod ex iis carminibus intellegi potest, quae apud illum et in Phaeacum et in procorum epulis canuntur. Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

quos olim Fauni vatesque canebant,
cum neque Musarum scopulos quisquam superarat
nec dicti studiosus erat —
ante hunc:

ait ipse de se, nec mentitur in gloriando. sic enim sese res habet. nam et Odyssia Latina est sic tanquam opus aliquod Daedali et Livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur. **72.** Atque hic Livius primus fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit anno ipso ante, quam natus est Ennius, post Romam conditam autem quartodecumo et quingentesimo, ut

72. *Livius*] Livius, qui.

Ectione, Etione, mentione (Gud. 1.). V. Silligium catal. artificum p. 186.

71. *intellegi*] sic Lg. 8. 51. 58. Ven 1. Ottob., quae constans quorundam optimorum scriptura est. — *olim Fauni*] *omnes F.* Lg. 51. — *vatesque*] om. Lg. 70. — *scopulos*] *scopulus* Lg. 20. *socopulus* 56 corr. Verba *quisquam superarat* om. ed. pr. (ea praeterea *scopuli)* codd. omnes, sed referunt *quisquam* post *studiosus.* — *Odyssia*] dedi ex libris omnibus *i* tuentibus: quidam *odissia, odyxia;* unus Gu. 1. *odiosa. latina* om. Lg. 58. — *sic tanquam*] *sic enim tanquam* Lg. 20. ed. pr. *sic in tanquam* Lg. 8. 35. 39. 53. 56. 58. 68. 70. Gu. 1. — *Livianae*] *leviane* Lg. 70. *luvanae* Ven. 1.

72. *Livius*] addunt *qui* ed. pr. et libri omnes; delevit Sch. et assentitur Bernhardy. — *C. Claudio*] sic ed. pr.; vulg. *Clodio.* Illa antiqua forma est legiturque etiam in fastis Capitolinis. — *consulibus*] *consul* ed. pr. — *ante, quam*] divisim, ut solent, plures

hic ait, quem nos sequimur: est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Accius autem a Q. Maxumo quintum consule captum Tarenti scripsit Livium annis xxx. post, quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis invenimus: **73.** docuisse autem fabulam annis post xi. C. Cornelio Q. Minucio consulibus ludis Iuventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat. in quo tantus error Accii fuit, ut his consulibus xl. annos natus Ennius fuerit: cui si aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Naevius.

XIX. **74.** Haec si minus apta videntur huic sermoni, Brute, Attico assigna, qui me inflammavit studio illustrium hominum aetates et tempora persequendi. Ego vero, inquit Brutus, et delector ista quasi notatione temporum et ad id, quod instituisti oratorum genera distinguere aetatibus, istam diligentiam esse accommodatam puto. **75.** Recte, inquam, Brute, intellegis. Atque utinam ex-

libri (Lg. 8. 39. 53. 56. 58.), quos sequor rem posthac non notaturus. — *quarto decumo*] sic per *u* Lg. 8. 35. 39. 51. 53. Ven. 1. Ott. — *est enim*] recte distinxit Orellius. Olim *enim* et *autem* contrariis locis ponenda esse putaram. — *Accius*] *Actius* ed. pr. *Atticus* Lg. 39. Nullus habet *Attius,* quod iniuria praefertur: v. Comm. Cr. in de Or. III. 7, 27. — *Maxumo*] Lg. 8. 51. Ott. — *Tarenti*] ed. pr. et codd. plerique *Tarento; Tarentum* Lg. 20. 39. 53. 68. 70. ita corr. 35. Finitio proximo vocabulo accommodata est. — *Atticus*] *Acticus* Lg. 39.

73. *annis post XI*] Wetzelius coniecit XII., tot enim sunt a 545. ad 557. — *Iuventatis*] *luentatis* ed. pr. Lg. 8. 53. 56. 58. 68. *Livianis* 20. *tuentatis* 35. 70. *luentanis* 39. *iventatis* 53. Ven. 1. Ottob. *luctantis* Gu. 1. Hinc ante Victorium legebatur *Luctatiis.* — *Senensi*] *senonensi* Lg. 20. *seriensi* ed. pr. — *cui cum*] *cui si* ed. pr. & Meyer. nulla idonea causa. — *Naevius*] *Ennius* Lg. 20 corr. Ottob.

XIX. 74. *si — sermoni*] haec om. Lg. 20. — *accommodatam*] add. *esse* Gu. 1.

starent illa carmina, quae multis seclis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato! Tamen illius, quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat. 76. Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior; qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrumum bellum reliquisset. sed ipse dicit cur id faciat: *scripsere*, inquit, *alii rem vorsibus:* et luculente quidem scripserunt, etiamsi minus quam tu polite. nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti. 77. Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius C. Varro Q. Maxumus Q. Metellus P. Lentulus P. Crassus, qui cum superiore Africano consul fuit. Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse. Filius quidem eius, is qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptavit, si corpore valuisset, in primis habitus esset

75. *seclis*] sic aut *saeclis* libri collati omnes praeter Ven. 1. — *cantitata*] *cantata* Lg. 20. 35. 53. — *annumerat*] sic codd. omnes praeter Lg. 20., in quo est *annuerat*. *numerat* Lambinus. — *bellum Punicum*] *bello Punico* Lg. 20. 39. 51. 56. 58. ed. pr. — In Gu. 1. post *quasi* haec inseruntur: *statuifex mirabilis fuit iste;* deinde sq. *mironis opus* &c.

76. *Ennius*] *nevius* Lg. 20 corr. — *acerrumum*] sic Lg. 51. Ven. 1. — *Vorsibus*] sic aut *vorsobus* (Lg. 51) Lg. 8. 35. 51. 53. Ven. 1. Ott.; id dandum etiam sine libris erat. — *debet*] abest in ed. pr. — *surripuisti*] *subr.* Lg. 35. 56. 68. 70. Ven. 2.

77. *Maxumus*] Lg. 8. 39. 51. 53. Ven. 1. — *superiore*] *Scipione* Lg. 68. — *eius*] om. Lg. 68. — *in primis*] ὑφ' ἓν solus Lg. 53. — *dulcissume*] *dilucidissime* Gu. 1.

XX. 78. *peritissumus*] Lg. 51. sic corr. 8. — *qui maxume*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. 70. *qui* deleri Ernestus voluit; sed, si medie distinguitur post *paratus*, locus sanus erit. — *in numero*] *in* om. ed. pr. — *unctior*] *mitior* Gu. 1. Orell. coni. *lautior;* Peter *vinctior*. — *splendidiorque*] *et splendidior* ed. pr. —

disertus. indicant cum oratiunculae tum historia quaedam Graeca scripta dulcissume.

XX. 78. Numeroque eodem fuit Sex. Aelius, iuris quidem civilis omnium peritissumus, sed etiam ad dicendum paratus: de minoribus autem C. Sulpicius Gallus, qui maxume omnium nobilium Graecis literis studuit; isque et oratorum in numero est habitus et fuit reliquis rebus ornatus atque elegans. iam enim erat unctior quaedam splendidiorque consuetudo loquendi. nam hoc praetore ludos Apollini faciente cum Thyesten fabulam docuisset, Q. Marcio Cn. Servilio consulibus mortem obiit Ennius. 79. Erat isdem temporibus Ti. Gracchus P. F., qui bis consul et censor fuit, cuius est oratio Graeca apud Rhodios: quem civem cum gravem tum etiam eloquentem constat fuisse. Publium etiam Scipionem Nasicam, qui est Corculum appellatus, qui item bis consul et censor fuit, habitum eloquentem aiunt, illius, qui sacra acceperit, filium; dicunt etiam L. Lentulum, qui cum C.

79. *eloquentem aiunt, illius, qui sacra acceperit, filium; dicunt etiam*] eloquentem, M. alium, illius, qui sacra acceperit, filium: etiam.

mortem obiit] *morte* Lg. 8. 39. 51. 58. *obit* eidem et 53. 56. 68. 70. Gu. 1. *obit morte* 35.

79. *isdem*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. Ven. 1. *eisdem* Gu. 1. — *P. F.*] *publi f.* Lg. 35. 39. 53. 58. 70. — *habitum eloquentem aiunt, illius, qui sacra acceperit, filium; dicunt etiam L. Lentulum*] sic locus ex libris persanatus. Vulgata scriptura, quae est etiam in cod. B., ab omnibus damnatur: *h. eloquentem, M. alium, illius, qui s. a. f. etiam.* Ed. pr.: *eloqu., maioris illius, qui s. acc. filium; dicunt:* sed Scipionis Corculi patrem nemo *Maiorem* dixit; sin *vetustiorem* significet, ineptum erat addere patrem filio fuisse maiorem. *eloq. m. aliunt illius* Par. A. C., Lg. 8., inscr. mendi nota ◡̇, 39 corr. *aiunt*, item 51. 58. Ottob. *m. aiunt* &c. Lg. 20. 56. *eloquentem ..... illius* &c. Ven. 1. cum lacuna. *eloquentem inde aiunt illius* Gu. 1. Par. D. Schuetzius coniecit: *censor fuit, P. illius, Idaeae matris qui sacra ac-*

Figulo consul fuit; Q. Nobiliorem M. F. iam patrio instituto deditum studio literarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militaverat, civitate donavit, cum triumvir coloniam deduxisset; et T. Annium Luscum, huius Q. Fulvi collegam, non indisertum dicunt fuisse. **80.** Atque etiam L. Paulus Africani pater personam principis civis facile dicendo tuebatur; et vero etiam tum Catone vivo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e vita, cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset, quam etiam orationem scriptam reliquit.

XXI. **81.** Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. nam et A. Albinus, is qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, et literatus et disertus fuit: et tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fulvius et una Ser. Fabius Pictor, et iuris et literarum et antiquitatis bene peritus; Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus eisdem fere laudibus. Nam Q. Metellus, is cuius quattuor filii consulares fuerunt,

cepit, filium, positura verborum contorta et inutili Deae mentione: nemo enim Romanus quae illa sacra fuissent ignorabat. Orellius: ***eloquentem, illius, matris deum qui s. a., fil.,*** nec improbat hoc Meyerus in ***maioris*** latere ***matris deum*** existimans. Mihi dubium non videtur ***maioris***, quod minime testatum est, etsi Bernhardy dicit, cum in sola ed. pr. legatur, ab eo profectum, qui Scipionem Africanum Maiorem sacra accepisse et Corculi patrem fuisse putaret; ***M.*** autem codicum quorundam ortum ex ultima litera praecedentis vocabuli, ***aliunt*** ex ***aiunt.*** Nostra scriptura clare legitur in Lg. 35. 53. 68. 70.; occuparat eam Manutius, cui mirum est neminem paruisse. — *patrio inst.*] *patris inst.* ed. pr. — ***Fulvi***] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 70. Ven. 1.

80. *et vero*] libri et ed. pr. *at vero:* scripsit Lambinus. — ***civis***] om. Lg. 20.

XXI. 81. *una Ser. Fabius*] *nuaserius, Uuaserius, una* ***serius*** Lg. praeter 53. 68. ***Q.*** pro *Ser.* ed. pr. — ***Quintusque Fabius***] ***Q. quoque Fabius*** ed. pr. — *quattuor*] sic Lg. 8. 51.

in primis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit accusante Africano; cuius et aliae sunt orationes et contra Ti. Gracchum exposita est in C. Fanni annalibus. **82.** Tum ipse L. Cotta veterator habitus: sed C. Laelius et P. Africanus in primis eloquentes, quorum exstant orationes, ex quibus existumari de ingeniis oratorum potest. Sed inter hos aetate paulum his antecedens sine controversia Ser. Galba eloquentia praestitit: et nimirum is princeps ex Latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut augeret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo huius, quem constat eloquentia praestitisse, exiliores orationes sunt, et redolentes magis antiquitatem, quam aut Laeli aut Scipionis aut etiam ipsius Catonis, itaque exaruerunt, vix iam ut appareant. **83.** De ipsius Laeli et Scipionis ingenio, quanquam ea est iam, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior. At oratio

83. *est iam*] iam est opinio. — *aut quo*] aut quod.

Ven. 1. Ottob. — ***in primis***] ὑφ᾽ ἓν Lg. 53. 58. — ***Fanni***] sic Lg. omnes pr. 56., item Ven. 1. 2. Ott. Vat., in quo rara ea scriptura; ***fauni*** Gu. 1.

82. *veterator*] *est vet.* Lg. 53. 68. 70. — ***sed C. Laelius***] ***sed et C. Laelius*** ed. pr. — *existumari*] per *u* Lg. 8. 51. eidem *e* in fine cum 35. 39. 56. 58. — *oratorum*] *eorum* Ern. coni. — *egrederetur*] *degrederetur* Lamb. — *miserationibus*] *commiserationibus* Lg. 20. — ***Laeli***] sic Lg. 8. 51. 53 ***(Leli).*** *etli* 70. ***laeti*** Ven. 1. — *exaruerunt*] non possum hoc verum putare. ***evanuerunt*** Purgoldi suspicio est, Goerenzii *ecraruerunt,* quam probarem, dum constaret id verbum Ciceroniana aetate dictum esse, quod in latinitate omni non comparet.

83. ***Laeli***] Lg. 8. 35. 39. 51. 53.; pars *leli; eli* 70. — *quanquam ea est iam, ut*] post *iam* additur *opinio* in ed. pr. et inde vulgatis. Delevit Orell. secundum Par. D., nec in ullo meorum

Laeli de collegiis non melior, quam de multis quam voles Scipionis: non quo illa Laeli quicquam sit dulcius aut quo de religione dici possit augustius, sed multo tamen vetustior et horridior ille quam Scipio: et cum sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur et lubenter verbis etiam uti paulo magis priscis Laelius. 84. Sed est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam ut ex bellica laude aspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriathi bello reperimus fuisse Laelium: sic ingeni literarum eloquentiae sapientiae denique, etsi utrique primas, priores tamen lubenter deferunt Laelio. nec mihi ceterorum iudicio solum videtur, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse. 85. Erat omnino tum mos, ut in reliquis rebus melior, sic in hoc ipso humanior, ut faciles essent in suum cuique tribuendo.

84. *Viriathi*] Viriatico.

legitur. Subaudi *laus* ex membro sequente et cum Bernhardyo distinctione separa priora *de ipsius Laeli et Scipionis ingenio* h. e. si de Laelii et Scipionis ingenio dicendum est s. quod attinet: ne quis cum Meyero componat *laus de ingenio.* — *Laeli*] Lg. 8. 51. 58. — *non quo*] *non quod* Lg. 20. 58. Altero loco nullus meorum *quod*, ut ante Heusingeri emendationem legebatur. — *vetustior*] *venustior* Lg. 8. 39. 51. *invenustior* 20. — *lubenter*] *libenter* Lg. 20. ed. pr.

84. *aspirare*] *adsp.* nullus meorum. — *Viriathi bello*] sic scribendum ex codd. *th* probatur propter Graecorum *Οὐρίατθος* et distincte legitur in Lg. 20. 35. 53. 68. Deinde *Viriathico bello* (s. *Viriatico)* quam nullam habeat fidem consideranti patet ex librorum consensu. *Viriathi bello* Lg. 20. 35. 53. 68. Vat. *viriathibello* 39. *viriathibeito* 58. *viriatin bello* 70. *viri . . . bello* Ven. 1. *viri adhibet to* corr. *viriati bello* Ottob. Rell. *Viriati bello.* — *reperimus*] *repperimus* Lg. 20. ed. pr. — *ingeni*] Lg. 8. 51.

85. *suum cuique*] *ius suum cuique* Lg. 20. ed. pr.

XXII. Memoria teneo Smyrnae me ex P. Rutilio Rufo audisse, cum diceret adolescentulo se accidisse, ut ex Senatusconsulto P. Scipio et D. Brutus, ut opinor, consules de re atroci magnaque quaererent. nam cum in silva Sila facta caedes esset notique homines interfecti insimulareturque familia, partim etiam liberi societatis eius, quae picarias de P. Cornelio L. Mummio censoribus redemisset, decrevisse senatum, ut de ea re cognoscerent et statuerent consules. 86. causam pro publicanis accurate, ut semper solitus esset, eleganterque dixisse Laelium; cum consules re audita *amplius* de consili sententia pronuntiavissent, paucis interpositis diebus iterum Laelium multo diligentius meliusque dixisse, iterumque eodem modo a consulibus rem esse prolatam. tum Laelium, cum eum socii domum reduxissent egissentque gratias et, ne defatigaretur, oravissent, locutum esse ita: se quae fecisset honoris eorum causa studiose accurateque fecisse,

XXII. *Smyrnae*] *zmirnae* ed. pr. De qua forma v. Weichert. Poët. Rell. p. 169 sqq. — *adolescentulo*] *adulesc.* Lg. 8. 39. 51. 58. 68. 70. — *accidisse — Brutus*] *accidisse Ser. C. P. Scipio et D. Brutus* ed. pr. memorabili compendiariae scripturae depravatione. — *in silva Sila*] *in stivasita, in stiuas ita, instiuas ita, instivasita, in stituas ita* (Lg. 35.), *instituas ita* (Lg. 39.), *instituisti vas ita* (Gu. 1.) codd. plerique, primum etiam ed. pr. Sed *silva* clare legitur in Vat. *(silva sua ita)*; proxime accedit *in sua ita* Lg. 20. 53. 68. Correxit Turnebus Advers. XI. 1. — *liberi*] *liberti* Corradus Orellius Meyerus, hic quidem exemplis familiam s. servos et libertos iungi docens. Sed quo modo *socii* i. e. publicani quaestione liberari potuerunt (§. 88.), si non essent ingenui, equites Romani? alii enim non conducebant vectigalia. — *picarias*] sic ed. pr. et libri plerique; *pecuarias* Corradus: v. Schneider ad Varronem de R. R. p. 388. 390. Corrado favent Lg. 20. 53. 68. Vat. *(pecuaria)*; 70 *(pecuniaria).* Gu. 1. habet *precarias*, Lg. 39. *epycarias*, 58. *epicarias.*

86. *locutum esse*] *esse* om. Lg. 39. *esset* 58. — *sed se*] *sed* om. 35. 39. 58. — *ardentior*] coniectura Corradi est Reitzio pro-

sed se arbitrari causam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo † ardentior acriorque esset, gravius et vehementius posse defendi; itaque auctoritate C. Laeli publicanos causam detulisse ad Galbam: 87. illum autem, quod ei viro succedendum esset, verecunde et dubitanter recepisse. unum quasi comperendinatus medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa componendaque posuisse; et cum cognitionis dies esset et ipse Rutilius rogatu sociorum domum ad Galbam mane venisset, ut eum admoneret et ad dicendi tempus adduceret, usque illum, quoad ei nuntiatum esset consules descendisse, omnibus exclusis commentatum in quadam testudine cum servis literatis fuisse, quorum alii aliud dictare eodem tempore solitus esset. interim cum esset ei nuntiatum tempus esse, exisse in aedes eo colore et iis oculis, ut egisse causam, non commentatum putares. 88. addebat etiam idque ad rem pertinere putabat, scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba: ex quo significabat illum non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. Quid multa? magna exspectatione plurumis audientibus coram ipso Laelio sic illam causam tanta vi tantaque gravitate dixisse Galbam, ut nulla fere pars orationis silentio praeteriretur. itaque multis querelis multaque miseratione adhibita socios omnibus approbantibus illa die quaestione liberatos esse.

XXIII. 89. Ex hac Rutili narratione suspicari licet, cum duae summae sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendum, altera graviter agendi ad animos audientium permovendos, multoque plus proficiat is, qui inflammet iudicem, quam ille, qui doceat: elegantiam in Laelio, vim in Galba fuisse. Quae quidem vis tum maxume cognita est, cum Lusitanis a Ser. Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis L. Libone tribuno plebis populum incitante et rogationem in Galbam privilegi similem ferente summa

86. *ardentior*] gravior.

89. *Rutili*] Rutiliana. — *diebus*] an diebus.

bata Misc. Obss. p. 129., ceteris certe veri similior. Ed. pr. *adhortatior*, Gu. 1. *adhortator*, codd. aut *adhortor* aut *adortor;* ita quidem, ut Ven. 1. supra scriptum monstret *ona* (i. e. *adornatior*), Ven. 2. *r* et *en* (i. e. *ardentior*), in Lg. 39. ad marg. scriptum sit „*doctior*“ „*fortior*“. Ernesto placuit *gravior*, manifesto aptissimum, si per libros admitti posset, *atrocior* Trillero, quod in accusatorem quam in patronum rectius cadit, sicut Orellii *acerbior;* sed omnium infelicissime Bernhardyus coniecit *astrictior*. Nam significatur laus oratoris praecipua illa, quae in commovendis auditorum animis cernitur: huic convenit rem dicendo dilatare et amplificare, non astringere. — *Laeli*] sic aut *Leli* Lg. 8. 35. 39. 51. 58. Ven. 1.

87. *et dubitanter*] *dubitanterque* Lg. 20. — *comperendinatus*] *perendinatus* 39. — *alii aliud*] inv. Man. *aliis aliud* Ern. Omittitur *alii* in ed. pr. et libris omnibus praeter Lg. 20. et Vat., ceteroqui nulla re commendabilibus; a posteriore dein abest *aliud*. — *eodem tempore*] *eodem a tempore* codd. praeter Lg. 20. Ven. 1. — *aedis*] sic Lg. 8. 51. 56.

88. *idque*] *id quod* Lamb. — *mulcatos*] per *t* Lg. 20. 56. 58. Ven. 1. Gu. 1.; per *ct* 35. 39. 53. 68. 70. Ottob. Ven. 2. ed. pr. — *plurumis*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 58. — *querelis*] *querellis* Lg. 58. — *illa die*] sic ed. pr. & codd. plures; favent Lg. 8. 39. 51. 58. Gu. 2., qui *illa dis;* Ven. 1., qui *illa disquestione*. Gu. 1. *ille est diis*. Vulgatur *illo die* a Lambino inde. Receptae scripturae patrocinantur grammatici, v. Schneideri Gr. Lat. p. 348 sqq. Orellius omisit *die*.

XXIII. 89. *Rutili*] *Rutilia* ed. pr. & codd. mei praeter 20. 35. 58., in quibus est *Rutiliana*, contra usum sermonis. Utrumque ex prima syllaba vocabuli sequentis fluxit. — *duae summae*] *due sententie summe* Gu. 1. — *ille, qui*] om. *ille* ed pr. — *maxume*] sic Lg. 8. 51. Pro *quidem vis tum* Gu. 1. *quidem ut istum*. — *L. Libone*] codd. omnes et ed. pr. *T. Libone*. —

senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit: quam orationem in Origines suas rettulit, paucis ante, quam mortuus est [an] diebus an mensibus. 90. Tum igitur nihil recusans Galba pro sese et populi Romani fidem implorans cum suos pueros tum C. Galli etiam filium flens commendabat, cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissumi patris: isque se tum eripuit flamma propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato. Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus eius intellegi potest. 91. Cum haec dixissem et paulum interquievissem, Quid igitur, inquit, est causae, Brutus, si tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus eius appareat? quod mirari non possum in iis, qui nihil omnino scripti reliquerunt.

XXIV. Nec enim est eadem, inquam, Brute, causa non scribendi et non tam bene scribendi quam dixerint. nam videmus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus etiam labor accederet ad forensem (pleraeque enim scribuntur orationes habitae iam, non ut habeantur): 92. alios non laborare, ut meliores fiant: nulla

privilegi] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *rettulit*] sic Lg. 8. 56. ita corr. 51. — *ante quam*] sic divisim Lg. 8. 39. 56. — *an diebus*] seclusi *an* sermoni adversum.

90. *nihil recusans*] *nihil* ab omnibus libris abest; supplevit ex Valerio Maximo VIII. 1, 2. Corradus. — *flamma*] *flammae* Lg. 39. 56. *erupit flamma* 20. — *intellegi*] sic Lg. 8. 51. *potest intelligi* 39.

91. *interquievissem*] *quievissem* Gu. 1. — *appareat*] *apparet* codd. omnes et ed. pr. Correxit Lambinus.

XXIV. *tam bene*] om. Gu. 1. — *quam dixerint*] *quasi dix.* ed. pr. *dixerunt* Lg. 20. —

enim res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio; memoriam autem in posterum ingeni sui non desiderant, cum se putant satis magnam adeptos esse dicendi gloriam eamque etiam maiorem visum iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venerint: alios, quod melius putent dicere se posse quam scribere: quod peringeniosis hominibus neque satis doctis plerumque contingit, ut ipsi Galbae. 93. quem fortasse vis non ingeni solum, sed etiam animi et naturalis quidam dolor dicentem incendebat efficiebatque, ut et incitata et gravis et vehemens esset oratio; dein cum otiosus stilum prehenderat motusque omnis animi tanquam ventus hominem defecerat, flaccescebat oratio: quod iis, qui limatius dicendi consectantur genus, accidere non solet, propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille utens eodem modo possit et dicere et scribere; ardor animi non semper adest, isque cum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris exstinguitur. 94. Hanc igitur ob causam videtur Laeli mens spirare etiam in scriptis, Galbae autem vis occidisse.

XXV. Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium L. et Sp. Mummii fratres, quorum exstant amborum

92. *quantum*] *quam* Lg. 39. — *proficit*] *valet* Gu. 1. *ingeni*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *contingit*] *contigit* ed. pr.; correxit Manutius, firmantque correctionem Lg. omnes, Ven. 1. Ottob. Par. D. — *Galbae*] *postquam* add. Gu. 1.

93. *ingeni*] sic Lg. 8. 51. Hic Ven. 1. *ingenii*, quod rarum illi. — *sed etiam animi*] *animi* om. ed. pr., liber meorum nullus. — *dolor*] *calor* Lg. 20., ut coniecit Schneiderus. — *esset*] *fieret* Lg. 20. — *dein*] *deinde* Gu. 1. 2. Lg. 56. *demum* ed. pr. *Dein* et *exin* ipse sibi Cicero vindicat Or. 45, 154. — *defecerat*] *deferverat* Lg. 58. — *consedit*] *considit* suadet Garatonus.

94. *Laeli*] sic aut *celi* s. *leli* Lg. 8. 35. 39. 53. 58. 70. Ven. 1. 2. Ott. — *occidisse*] *cecidisse* Gu. 1. 2.

orationes: simplex quidem L. et antiquus, Sp. autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen astrictior. fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum. Multae sunt Sp. Albini orationes. Sunt etiam L. et C. Aureliorum Orestarum, quos aliquo video in numero oratorum fuisse. 95. P. etiam Popilius cum civis egregius tum non indisertus fuit; C. vero filius eius disertus Gaiusque Tuditanus cum omni vita atque victu excultus atque expolitus tum eius elegans est habitum etiam orationis genus. Eodemque in genere est habitus is, qui iniuria accepta fregit Ti. Gracchum patientia, civis in rebus optumis constantissimus M. Octavius. At vero M. Aemilius Lepidus, qui est Porcina dictus, isdem temporibus fere quibus Galba, sed paulo minor natu, et summus orator est habitus et fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. 96. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et lenitas apparuisse illa Graecorum et verborum comprehensio et iam artifex, ut ita dicam, stilus.

96. *et iam*] etiam.

XXV. *simplex quidem*] *s. quidam* Gu. 1. — *astrictior*] sine *d* codd. omnes, nisi quod *astructior* Gu. 1. — *ex disciplina*] *et discipl.* Lg. omnes.

95. *Popilius*] sic Lg. 8. 20. 53. 56. 58. Ven. 1. 2. Ottob. Vat. Gu. 1. *(Pup.)* ed. pr. V. Explicatt. ad de Or. III. 43, 171. — *Gaiusque*] Lg. 8. Ven. 1. convenit *gravisque* in ed. pr. Lg. 20. 51. 58. 68. 70. — *Ti. Gracchum*] *T. Gracchum* Gu. 1. — *optumis*] sic Lg. 20. 39. 53. 68. 70. Ven. 1. — *Porcina*] *portina* ed. pr. — *isdem*] sic Lg. 51. 53. 58. 68. 70. — *minor natu*] *minus n.* Gu. 1. — *apparet*] *patet* Lg. 20.

96. *lenitas*] *levitas* Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Gu. Perpetua confusio vocum illarum: v. Santeni excursum in Terentiano Mauro et nos in C. Cr. et Explicatt. ad de Or. III. 52, 201. — *et iam*] restituit Orellius: de usu adverbii *iam* v. Walch. Em. Liv. p. 90. Hand. Tursell. vol. III. p. 138. —

Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi et prope aequales C. Carbo et Ti. Gracchus audire soliti sunt: de quibus iam dicendi locus erit, cum de senioribus pauca dixero. Q. enim Pompeius non contemptus orator temporibus illis fuit, qui summos honores homo per se cognitus sine ulla commendatione maiorum est adeptus. 97. Tum L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen; homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia et severitate popularis: cuius quidem legi tabellariae M. Antius Briso tribunus plebis diu restitit M. Lepido consule adiuvante; eaque res P. Africano vituperationi fuit, quod eius auctoritate de sententia deductus Briso putabatur. Tum duo Caepiones multum clientes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant, † Sex. Pompei sunt scripta nec nimis extenuata, quanquam veterum est similis, et plena prudentiae.

XXVI. 98. P. Crassum valde probatum oratorem isdem fere temporibus accepimus, qui et ingenio valuit

97. *Sex. Pompei*] Sed Pompeii.

97. *liberalitate*] *hilaritate* Ern.; id est in Lg. 35. — *clientes*] *dicentes* Par. D. *dicentes de consilio* Gu. 1. — *Sex. Pompei*] Posterius Lg. omnes praeter 35., item Ven. 1. 2. Ott. Vat. Gu. 1., cui id rarum est. *Sex.*, Madvigii emendationem Opusc. p. 138. recepimus, cum in libris et edd. sit *sed.* Corradus & Schuetzius suadebant *Sed Quinti* scil. Caepionis, haud profecto male, dum constaret aliquid de hominis literis. Madvigii haec verba apponimus: „reditus ille orationis ad Q. Pompeium, quem fingunt, nullam habet rationem in media enumeratione; nec illa: *Tum L. Cassius* &c. sic interposuit, tanquam minus claris commemoratis ad illum rediturus esset. Tota forma huius percursionis oratorum parum nobilium postulat, ut hic novus orator nominetur: itaque legendum est *Sex. Pompeii.* Intelligendus videtur Cn. Strabonis et Sex. Pompeii iuris consulti et Stoici pater (v. Brut. 47, 175).“ — *extenuata*] *oratio* add. ed. pr.

XXVI. 98. *isdem*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 70. — *Gaio*] sic recte

et studio et habuit quasdam etiam domesticas disciplinas. nam et cum summo illo oratore Ser. Galba, cuius Gaio filio filiam suam collocaverat, affinitate sese devinxerat et, cum esset P. Muci filius fratremque haberet P. Scaevolam, domi ius civile cognoverat. In eo industriam constat summam fuisse maxumamque gratiam, cum et consuleretur plurumum et diceret. **99.** Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii C. et M. filii fuerunt: quorum Gai filius, qui consul cum Domitio fuit, unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum reliquit sane et bonam et nobilem. Tum Atticus: Quid ergo? estne ista Fanni? nam varia opinio pueris nobis erat. Alii a C. Persio literato homine scriptam esse aiebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius: alii multos nobilis quod quisque potuisset in illam orationem contulisse. **100.** Tum ego, Audivi equidem ista, inquam, de maioribus natu, sed nunquam sum adductus, ut crederem; eamque suspicionem propter hanc causam credo

100. *cum Fannius*] cum et Fannius.

Lg. 8. 51. Ven. Ott. Gu. 1. — *et cum esset*] *cum* om. Gu. 1. — *Muci*] Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. 70. — *constat summam fuisse*] om. Gu. 1.

99. *duo C. Fannii — filius*] *duo C. Fannius et Marcus filius fuerunt, quorum Caius filius* ed. pr. Sed *Fanni* Ven. 1. 2. Vat. Ottob. Lg. praeter 20., qui *Fannii; Fauni* Gu. 1.; deinde *Caii & Marci* plures exscriptum habent, nullus *Gai*. *C. M.* omisso *et* Ven. 1. — *bonam et*] om. *et* Gu. 1. — *ergo? estne*] *est ergo ne* Lg. 39. *est ergo i. F.* 51. *Fanni* Lg. 8. 35. 51. 68. Ven. 2. Ott. *Fani* Gu. 1. *Fannii* hic Ven. 1. — *nobilis*] sic Lg. 8. 51. 56.

100. *optuma*] Lg. 39. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. (is opuma, t superscr.). — *esset*] *est* ed. pr. — *stilus*] codd. omnes; Ern. *filum* suasit. — *cum Fannius*] *cum et F.* codd. *cum ei F.* Ernestus voluit. *Ei* cur tenuius videatur Bernhardyo, quam quod Fannio opponatur, non sane intelligo. Nec ad hyperbaton confugere licet cum Wopk. Lectt. Tull. I. 7., ut dictum sit pro *cum Fannius et de Menelao et* &c.

fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset; oratio autem vel optuma esset illo quidem tempore orationum omnium. Sed nec eiusmodi est, ut a pluribus confusa videatur (unus enim sonus est totius orationis et idem stilus), nec de Persio reticuisset Gracchus, cum Fannius de Menelao Maratheno et de ceteris obiecisset: praesertim cum Fannius nunquam sit habitus elinguis. nam et causas defensitavit et tribunatus eius arbitrio et auctoritate P. Africani gestus non obscurus fuit. **101.** Alter autem C. Fannius, M. filius C. Laeli gener et moribus et ipso genere dicendi durior. Is soceri instituto (quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praesertim cum ille Q. Scaevolam sibi minorem natu generum praetulisset: cui tamen Laelius se excusans non genero minori dixit se illud, sed maiori filiae detulisse), is tamen instituto Laeli Panaetium audiverat. eius omnis in dicendo facultas historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae

101. *historia*] ex historia.

Handius autem Tursell. II. p. 512. *et* explicat *auch*, minime Ciceroniano more. Sequor Bernhardyum *et* expungentem. — *nunquam*] om. Lg. 35. 39. 68., et 53. 58. 70. Ven. 1. post *elinguis* habent.

101. *Laeli*] aut sic aut *leli* Lg. 8. 35. 39. 51. 58. 70. itaque eidem mox. *laeti* Ven. 1. — *durior. Is*] *durioris* Gu. 1. Lg. 8. 39. 51. 56. 58. — *quia cooptatus*] *quia ab eo cooptatus* Orellius post alios desideravit. Non concedit Quintilianus VII. 9, 12. apte excitatus a Meyero: *Pluribus*, inquit, *verbis emendandum, ubi id, quod quo referatur, dubium est et ipsum est ambiguum. In quod genus incidit Cicero loquens de C. Fannio:* „is soceri instituto, quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat; praesertim cum ille Q. Scaevolam sibi minorem natu generum praetulisset.“ *Nam id sibi et ad socerum referri et ad Fannium potest.* — *historia ipsius*] delevi *ex* secutus Lg. omnes, Gu. 1. Ven. 1. Ottob. De genere loquendi v. Explicatt. ad de Or. I. 3, 12. *in historia* ed. pr.

neque nimis est infans neque perfecte diserta. 102. Mucius autem augur quod pro se opus erat ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. is oratorum in numero non fuit, iuris civilis intellegentia atque omni prudentiae genere praestitit. L. Caelius Antipater scriptor, quem ad modum videtis, fuit ut temporibus illis luculentus iuris valde peritus, multorum etiam ut L. Crassi magister.

XXVII. 103. Utinam in Ti. Graccho Gaioque Carbone talis mens ad rem publicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit: profecto nemo his viris gloria praestitisset. Sed eorum alter propter turbulentissumum tribunatum, ad quem ex invidiā foederis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa re publica est interfectus; alter propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit. Sed fuit uterque summus orator: atque hoc memoria patrum teste dicimus. 104. nam et Carbonis et Gracchi habemus orationes nondum satis splendidas verbis, sed acutas prudentiaeque plenissumas. Fuit Grac-

104. *sed ei*] sed et.

102. *quod pro se opus erat*] *cum pro se opus erat* Schevingi, *quoad p. s.* &c. Orelli coniectura; neutra librorum scripturae aequanda. Cicero ipse sui interpres c. 28, 108.: *P. Lentulus ad rem publicam duntaxat quod opus esset satis habuisse eloquentiae dicitur.* Attulit Meyerus. Sed etsi *pro se* recte intelligi potest, mirum tamen videtur eum non dixisse, nisi reum. — *L. Crassi*] *Luci Crassi* Lg. 53. 58. 68. 70.

XXVII. 103. *Gaioque*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Ott. — *bene dicendum*] *bene* om. Lg. 58. — *nemo his viris*] *his viris nemo* Gu. 1. — *dicimus*] *didicimus* Gu. 1. ed. pr.

104. *non dum*] sic Lg. 39. 53. 56. 70. — *plenissumas*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. Ven. 1. — *Mytilenaeum*] favent veriori scripturae Lg. 8. 51. Ottob. Ven. 1. *mutilenaeum* praebentes, Ven. 1.

chus diligentia Corneliae matris a puero doctus et Graecis literis eruditus. nam semper habuit exquisitos e Graecia magistros, in eis iam adolescens Diophanem Mytilenaeum, Graeciae temporibus illis disertissumum; sed ei breve tempus ingeni augendi et declarandi fuit. 105. Carbo, quod vita suppeditavit, est in multis iudiciis causisque cognitus. hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius, qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat, canorum oratorem et volubilem et satis acrem, atque eundem et vehementem et valde dulcem et perfacetum fuisse dicebat: addebat industrium etiam et diligentem et in exercitationibus commentationibusque multum operae solitum esse ponere. 106. Hic optumus illis temporibus est patronus habitus eoque forum tenente plura fieri iudicia coeperunt. Nam et quaestiones perpetuae hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt: L. enim Piso tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio consulibus tulit (ipse etiam Piso et causas egit, et multarum legum aut auctor aut dissuasor

puncto supposito quasi mendae signo. — *sed ei*] Lambinus. Libri *sed et.* — *ingeni*] Lg. 8. 51. 53. 70. Vat.

105. *quod vita*] *quo* libri fere omnes; *quoad* Ven. 2. Lg. 35. ed. pr. *quod* Aldus, iure commendatum a Madvigio Emendd. I. p. 72. et Zumptio Accus. Verr. V. 29, 76. Barbarum est *quoad* et a sententia alienum; non enim de longitudine vitae quaeritur, sed causa affertur cur multis causis agendis cognitus sit. — *consulatu*] *senatu* Lg. 39. — *et vehementem*] ponit ante *atque eundem* Corradus, plane contra sententiam loci. — *dicebat; addebat*] Lamb. Meyero probatus *dicebant* et *addebant.* — *commentationibusque*] *commendationibusque* Lg. 8. 20. 35. 51. 58. Gu. 1. *operationibusque* Lg. 39.

106. *quaestiones perpetuae*] *q. publicae* malebat Corradus, *quaest. pecuniarum repetundarum* Cuiacius unam Calpurniam legem spectans. Sed Cicero universe loquitur. — *fuerunt*] *fuerant*

fuit; isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt, et annalis sane exiliter scriptos); et iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum desiderabant tabella data: quam legem L. Cassius Lepido [et Mancino consulibus tulit.

XXVIII. 107. Vester etiam D. Brutus M. filius, ut ex familiari eius L. Accio poëta sum audire solitus, et dicere non inculte solebat et erat cum literis Latinis tum etiam Graecis, ut temporibus illis, eruditus. Quae tribuebat idem Accius etiam Q. Maxumo L. Paulli nepoti: et vero ante Maxumum, illum Scipionem, quo duce privato Ti. Gracchus occisus esset, cum omnibus in rebus vehementem tum acrem aiebat in dicendo fuisse. 108. Tum etiam P. Lentulus ille princeps ad rem publicam duntaxat quod opus esset satis habuisse eloquentiae dicitur. Isdemque temporibus L. Furius Philus perbene Latine loqui putabatur literatiusque quam ceteri. P. Scaevola valde prudenter et acute, paulo etiam copiosius: nec multo minus prudenter M' Manilius. Appi Claudi volubilis, sed paulo fervidior erat oratio. In aliquo

Lg. 39. — *L. enim Piso*] *L. etiam Piso* Gu. 1. Vat. Ven. 1. — *annalis*] sic Lg. 20. 35. 39. 51. 56. ita corr. 8. — *sane*] *satis* Gu. 1. — *quam legem*] *quasi l.* ed. pr. — *L. Cassius*] *L. Crassus* Gu. 1.

XXVIII. 107. *Accio*] sic libri praeter Lg. 20. 35. Ven. 2. Gu. 1. ed. pr., in quibus est *Actius;* ed. pr. etiam *eius* ante om. — *cum literis*] *tum l.* Gu. 1. — *eruditus*] *satis er.* Lamb.; nescio an codd. nullos secutus. — *tribuebat*] Ern. e Par. D., cui astipulantur Lg. 51. Ven. 1. Rell. omnes *tribuerat*, ut ed. pr. — *Accius*] v. supra. — *Maxumi*] sic Ven. 1. Ottob. — *cum omnibus*] *tum o.* ed. pr. Gu. 1.

108. *M' Manilius*] *M. Manilius* libri omnes. — *Appi*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 70. Ven. 1. *Claudi* eidem praeter 58. — *erat oratio*] inv. ed. pr.

109. *fregit*] sic Victor Pisanus. Libri omnes et ed. pr. *fecit;*

numero etiam M. Fulvius Flaccus et C. Cato Africani sororis filius, mediocres oratores; etsi Flacci scripta sunt, sed ut studiosi literarum. Flacci autem aemulus P. Decius fuit, non infans ille quidem, sed ut vita sic oratione etiam turbulentus. 109. M. Drusus C. F., qui in tribunatu C. Gracchum collegam iterum tribunum † fregit, vir et oratione gravis et auctoritate, eique proxume adiunctus C. Drusus frater fuit. Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum paulum aetate antecedens. fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus quaestor Gracchus, tribunus Pennus illius Marci filius, qui cum Q. Aelio consul fuit: sed is omnia summa sperans aedilicius est mortuus. Nam de T. Flaminino, quem ipse vidi, nihil accepi, nisi Latine diligenter locutum.

XXIX. 110. His adiuncti sunt C. Curio M. Scaurus P. Rutilius C. Gracchus. De Scauro et Rutilio breviter licet dicere; quorum neuter summi oratoris habuit laudem et uterque in multis causis versatus erat. In quibusdam laudandi viri; etiam si maxumi ingeni non

109. *fregit*] fecit. — *is omnia*] omnia is.
110. *his*] iis. — *laudandi viri*] laudandis viris. — *probabiles*] probabilis.

hinc *interfecit* Lg. 20., liber varie interpolatus. — *paulum aetate*] *paulum* om. ed. pr.: ponunt utrumque ante *C. Gracchum* codd. plerique, praeter Lg. 51. Ven. 1. Ott. — *is omnia summa*] sic libri omnes et ed. pr.; Lamb. *omnia is summa.* — *aedilicius*] per *t* codd. Lg. plerique et Ven. 1. Sed v. Schneider. Gr. Lat. vol. I. p. 249. — *T.*] *Ti.* Lg. 20. — *Flaminino*] libri omnes *Flaminio*, *Flamminio*, *Flamineo* (Gu. 1.).

XXIX. 110. *his*] *iis* Lg. 35., ut ante Ern. quaedam edd. — *Rutilio*] *Ruptilio* Gu. 1. — *et uterque*] *at uterque* voluit Ern. — *in quibusdam laudandi viri: — probabiles*] cum Meyero sequor ed. pr. confirmatam codd. Lg. 35. 68., ita corr. 70.; *probabiles* praeterea praebent 8. 20. 35. 58. Ven. 1. Ceteri et vulgo: *in*

essent, probabiles tamen industria; quanquam his quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Neque enim refert videre quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere. ne id quidem satis est, nisi id, quod dicitur, fit voce vultu motuque conditius. **111.** Quid dicam opus esse doctrina? sine qua etiam si quid bene dicitur adiuvante natura, tamen id, quia fortuito fit, semper paratum esse non potest. In Scauri oratione sapientis hominis et recti gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. **112.** Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur, ad senatoriam vero sententiam, cuius erat ille princeps, vel maxume. significabat enim non prudentiam solum, sed, quod maxume rem continebat, fidem. habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset. quanquam huius quoque ipsius rei, quem ad modum scis, praecepta

110. *his*] iis.

quibusdam laudandis viris — probabilis &c. Orellius refingebat locum sic: *in quibus laudabatur iure, etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria;* cui recte locum minime aptum particulae *tamen* obiicit Bernhardy. Sed idem non persuadet, cum scripturam nostram non eam facilitatem compositionis monstrare affirmat, quam par sit a Ciceronianis desiderare quamvis paulo negligentius fusis. Certe compositio longe dissolutior duriorque est 30, 114. et 33, 126. — *ingeni*] Lg. 8. 51. Ven. 1. — *his quidem*] ad Ern. usque *iis* scribebatur plane barbare. Verum suppeditant Gu. 1. Lg. 8. 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. — *fit*] sic ed. pr. Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 58. 70. Ven. 1. Ott. Gu. 1. *sic* Asc. Lamb. — *voltu*] Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 70. Ven. 1.

111. *recti*] *tecti* Lg. 8. 35 corr. Ven. 1. 2. — *cum pro reo diceret*] om. Gu. 1. ed. pr. Schneider. Sch. Bernhardy vult *pro se reo*, affirmans demonstrari non posse Scaurum pro alio dixisse, quam pro se toties in iudicium vocato. Non sequor. Quantulum enim est, quod de dictionibus oratorum antiquiorum scitur!

sunt. Huius et orationes sunt et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta, sane utiles, quos nemo legit: at Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam nostris rebus aptam nec tamen Scauri laudibus anteponendam. Ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit.

XXX. **113.** Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est; et uterque natura vehemens et acer. Itaque, cum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit: multaque opera multaque industria Rutilius fuit, quae erat propterea gratior, quod idem magnum munus de iure respondendi sustinebat. **114.** Sunt eius orationes ieiunae; multa praeclara de iure; doctus vir et Graecis literis eruditus, Panaeti auditor, prope perfectus in Stoicis; quorum peracutum et artis

112. *nostris rebus*] rebus nostris.

112. *maxume*] bis sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 68. altero loco etiam 70. Ven. 1. *ut maxime.* — *facile non*] *non facile* Lg. 39. — *quem ad modum scis*] *q. scitis* susp. Orell. — *acta*] *apta* Gu. 1. molesta vox visa Schuetzio & Bernhardyo, probabiliter tamen explicanti. — *nostris rebus*] sic inverti secundum Lg. omnes; idque sonus, qui est in *nostris,* postulat. Paulo ante *post claram* Gu. 1. pro *praeclaram*, ortum ex male intellecto *p̓claram.*

XXX. 113. *itaque cum*] Bernhardy, cum ante *itaque* medie distinxisset, id se fecisse dicit, quod vulgata distinctione narrationi de Scauri et Rutilii accusationibus male iungantur illa *multaque opera* &c. Videtur igitur existimasse multam Rutilii operam non esse illam, quam sui defendendi causa adhibuerit; quod tamen aliter esse non potest. — *Scaurus — Rutilium*] *Scaurum — Rutilius* Lg. 20. *etiam* om. Gu. 1.

114. *praeclara*] *praeclare* Ern. suasit, *et praeclara* Orell. — *Panaeti*] sic aut *Paneti* Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 68. Ven. 1. Vat. —

plenum orationis genus scis tamen esse exile nec satis populari assensioni accommodatum. Itaque illa, quae propria est huius disciplinae philosophorum de se ipsorum opinio, firma in hoc viro et stabilis inventa est. **115.** qui quom innocentissumus in iudicium vocatus esset (quo iudicio convolsam penitus scimus esse rem publicam), cum essent eo tempore eloquentissumi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. dixit ipse pro sese, et pauca C. Cotta, quod sororis erat filius, et is quidem tamen ut orator, quanquam erat admodum adolescens. Sed Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud iudici et magnitudo causae postulabat. **116.** Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis: utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne haec quidem in civitate genera hac oratoria laude caruerunt. volo enim, ut in scena, sic etiam in foro non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta.

114. *scis tamen*] sed tamen.
115. *quom*] quanquam.

scis tamen esse exile] sic codd. omnes et ed. pr. *sed tamen exile* Ald. Lamb. Ern. — *populari*] *populi* Gu. 1. — *philosophorum*] om. Gu. 1., item mox *se*. — *in hoc viro*] *in hoc uno* Lamb. cum quibusdam aliis.

115. *qui quom*] scripsi, quia *qui quam* est in Lg. 8. 39. 51. 58. 70. Ex *quom* non intellecto fluxit *quanquam* apud Lamb. Ern. al. — *convolsam*] Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Vat. Ott. — *consulares*] om. ed. pr. — *sed*] *sed et* ed. pr. male *sed etiam* explicatam a Meyero, quem refutat Bernhardy. — *iudici*] Lg. 8. Ven. 1. — *postulabat*] *postulat* ed. pr.

XXXI. 117. Et quoniam Stoicorum est facta mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore L. Pauli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus et congruens cum ea disciplina, quam colebat, paulo etiam durior: qui quidem in triumviratu iudicaverit contra P. Africani avunculi sui testimonium vacationem augures, quo minus iudiciis operam darent, non habere: sed ut vita, sic oratione durus incultus horridus. itaque honoribus maiorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis et fortis et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. sunt etiam in Gracchum Tuberonis. is fuit mediocris in dicendo, doctissumus in disputando. **118.** Tum Brutus: Quam hoc idem in nostris contingere intellego, quod in Graecis: ut omnes fere Stoici prudentissumi in disserendo sint et id arte faciant sintque architecti paene verborum, eidem traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur. Unum excipio Catonem, in quo perfectissumo Stoico summam eloquentiam non desiderem, quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuisse. **119.** Et ego, Non, inquam, Brute, sine causa, propterea quod istorum in

116. *hac in civ.*] *haec* et *hac* locis commutare vult Schuetzius.

XXXI. 117. *est facta*] inv. ed. pr. — *in triumviratu*] *in tribunatu* coni. Sch.; certe probabilius est tribunos iudicio intercessisse, quam cum Bernhardyo triumviros capitales significari putare: qui cum iudicandi nullam, quaerendi de solis infimae sortis hominibus potestatem haberent, neminem, ut iudiciis interesset, suo decreto cogere potuerunt. — *oratione*] *in or.* ed. pr. — *et in primis*] *et* om. ed. pr.

118. *intellego*] sic Lg. 8. 20. 39. 51. Ven. 1. — *prudentissumi*] sic Lg. 8. 39. 51. 58. Ven. 1. — *eidem*] *idem* Lg. plerique, Ven. 1. Gu. 1. — *desiderem*] *desiderent* ed. pr.

119. *tuus autem*] *autem* om. ed. pr. — *more se*] *mores* Lg. praeter 35. — *petenda*] om. ed. pr.

dialecticis omnis cura consumitur, vagum illud orationis et fusum et multiplex non adhibetur genus. Tuus autem avunculus, quem ad modum scis, habet a Stoicis id, quod ab illis petendum fuit: sed dicere didicit a dicendi magistris eorumque more se exercuit. Quod si omnia a philosophis essent petenda, Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio. 120. Quo magis tuum, Brute, iudicium probo, qui eorum [id est ex vetere Academia] philosophorum sectam secutus es, quorum in doctrina atque praeceptis disserendi ratio coniungitur cum suavitate dicendi et copia: quanquam ea ipsa Peripateticorum Academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut nec perficere oratorem possit ipsa per sese nec sine ea orator esse perfectus. Nam ut Stoicorum astrictior est oratio aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt: sic illorum liberior et latior, quam patitur consuetudo iudiciorum et fori. 121. Quis enim uberior in dicendo Platone? Iovem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui. Quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior? Lectitavisse Platonem studiose,

121. *Iovem sic aiunt — loqui*] Iovem aiunt — sic loqui.

120. *id est ex vetere Academia*] verba Lambino Ernestoque suspecta, a Schuetzio deleta Goerenzius ad Fin. V. 3. p. 357. defendit veteris et novae Academiae discrimine, Meyerus retinuit; Bernhardy autem damnat locum, quem teneant, additamenti signum esse iure affirmans. Accedit, quod philosophi illi, quos Brutus sequebatur, statim nominantur; quod vituperat etiam Madvigius in Cic. Fin. p. 145. — *astrictior*] sic codd. omnes. — *latior*] coniecerunt *laxior* s. *laetior*. Sed v. Expl. in Cic. de Or. I. 47, 205.

121. *Iovem sic aiunt — loqui*] *Iovem sic ut aiunt philosophi* &c. ed. pr. et codd.; *sic ut* corruptum est ex *sic aiunt*. Anacoluthon hoc ferendum esse censent Matth. de Anacol. p. 9. et Meyerus comparans Rep. I. 37. Quod concinniorem dicit Bernhardy ordinem verborum a Rivio commendatum: *Iovem aiunt*

audivisse etiam Demosthenes dicitur: idque apparet ex genere et granditate verborum. dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese. sed et huius oratio in philosophiam translata pugnacior, ut ita dicam, videtur, et illorum in iudicia pacatior.

XXXII. 122. Nunc reliquorum oratorum aetates, si placet, et gradus persequamur. Nobis vero, inquit Atticus, et vehementer quidem, ut pro Bruto etiam respondeam. Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere sane illustris orator, cuius de ingenio ex orationibus eius existumari potest. Sunt enim et aliae et pro Ser. Fulvio de incestu nobilis oratio. nobis quidem pueris haec omnium optuma putabatur, quae vix iam comparet in hac turba novorum voluminum. 123. Praeclare, inquit Brutus, teneo qui istam turbam voluminum effecerit. Et ego: intellego, inquam, Brute, quem dicas; certe enim et boni aliquid attulimus iuventuti, magnificentius quam fuerat genus dicendi et ornatius; et nocuimus fortasse, quod veteres orationes post nostras, non a me quidem (meis enim illas antepono), sed a plerisque legi sunt

122. *intellego, inquam*] inquam, intelligo.

philosophi, si Graece loquatur, sic loqui, plane dissentio. Vis sententiae inest in *sic;* praeponendum igitur. — *lectitavisse*] *lectavisse* Gu. 1. Mox *audivisse* om. ed. pr. — *epistola* per *u* Lg. 8. 51. — *translata*] *tralata* Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58.

XXXII. 122. *persequamur*] *proseq.* Lg. 20. 51. 53. Vat. — *inquit*] om. Lg. omnes, in 20. add. — *aetatis fere*] inv. Lg. 20. et Corradus. — *orationibus eius*] om. Ascens., sed tenent ed. pr. et libri. — *existumari*] sic Lg. 8. 51. 58. 70. — *haec omnium optuma*] *haec* om. Lamb. 1584. Grut. Interpolationem habet Lg. 20.: *haec omni putabatur laude referta. Optuma* praebuerunt Lg. 51. 68. — *novorum voluminum*] inv. D.

123. *intellego*] Lg. 8. 39. 51. Ott. Schuetzii et aliorum collocationem secutus scripsi: *et ego: intelligo, inquam;* vulgo *et ego,*

desitae. Numera, inquit, me in plerisque: quanquam video mihi multa legenda iam te auctore, quae antea contemnebam. 124. Atqui haec, inquam, de incestu laudata oratio puerilis est locis multis: de amore, de tormentis, de rumore loci sane inanes, verum tamen nondum tritis nostrorum hominum auribus nec erudita civitate tolerabiles. Scripsit etiam alia non nulla et multa dixit et illustria et in numero patronorum fuit, ut eum mirer, cum et vita suppeditavisset et splendor ei non defuisset, consulem non fuisse.

XXXIII. 125. Sed ecce in manibus vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero C. Gracchus. noli enim putare quemquam, Brute, pleniorem aut uberiorem ad dicendum fuisse. Et ille, Sic prorsus, inquit, existumo atque istum de superioribus paene solum lego. Immo plane, inquam, Brute, legas censeo. damnum enim illius immaturo interitu res Romanae Latinaeque literae fecerunt. 126. Utinam non tam

123. *numera*] enumera.
125. *aut uberiorem*] et uberiorem.

inquam, intelligo. Contulit Meyerus §. 119. 148. 151. — *numera*] est Ern. coniectura; libri *enumera,* barbare; Sch. *annumera* ex Gu. 1. Utrumque ex finitione verbi proximi *desitae* fluxit. *me* om. Gu. 1. Vat. — *antea*] *ante* ed. pr.

124. *atqui*] *atque* ed. pr. — *verum tamen*] divisim Lg. 51. 53. 56. — *et illustria*] *et illustri* Lg. 8. 51. Ven. 1. Ott. Gu. 1. *et illustris* ed. Ven. Schneiderus *et illustrium,* ad *patronorum* referendum, ordine verborum minime Ciceroniano. — *consulem*] *eum* add. ed. pr.

XXXIII. 125. *ingenio*] om. ed. pr. — *aut uberiorem*] sic correxi vulgatum *et ub.* secundum libros omnes et ed. pr.; de quo genere v. Comm. Cr. in de Or. II. 77, 315. et Expl. in III. 2, 7. *Plenior* sententiarum copiam, *uberior* flumen verborum spectat; ea igitur nec eadem significant, nec coniungi solum, sed etiam

fratri pietatem quam patriae praestare voluisset! quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam esset vel avitam gloriam consecutus! Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis: manus extrema non accessit operibus eius: praeclare inchoata multa, perfecta non plane. Legendus, inquam, est hic orator, Brute, si quisquam alius, iuventuti. non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest. 127. Huic successit aetati C. Galba, Servi illius eloquentissumi viri filius, P. Crassi eloquentis et iuris periti gener. Laudabant hunc patres nostri, favebant etiam propter patris memoriam, sed cecidit in cursu. nam rogatione Mamilia Iugurthinae coniurationis invidia, cum pro sese ipse dixisset, oppressus est. exstat eius peroratio, qui epilogus dicitur: qui tanto in honore pueris nobis erat, ut eum etiam edisceremus. hic, qui in collegio sacerdotum esset, primus post Romam conditam iudicio publico est condemnatus.

opponi inter se possunt. — *existumo*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 68. Ott. — *immo*] codd. omnes praeter Lg. 39. 53. 70.

126. *operibus eius*] *eius* om. Gu. 1. prob. Schn. et Schuetz. — *perfecta*] *praeterea* Gu. 1. — *legendus*] iterat Orellius. Negat iure factum Madvigius Opusc. p. 453., quod *inquam* non at vocabuli repetitionem pertineat, sed ad sententiam, quae cum ante sit universe significata, iam cum maiore ponatur asseveratione. Et hoc ipsum fit hic; paulum enim mutatum hic profertur quod prius Bruto respondens dixerat: *immo plane, Brute, legas censeo.*

127. *aetati*] *aetate* Purgoldi suspicio falsa. — *C. Galba Servi illius*] libri omnes et ed. pr. *P. Galba Servilius*; hinc certe de fine nominis *Servi* constat. Sed *C.* praenomine ille vocatur c. 26, 98. de Or. I. 56, 239. — *iuris periti*] divisim Lg. praeter 8. 20. 35. — *Mamilia*] sic, ut correxerat Corradus, Lg. 8. 39. 51. 58. 70. Rell., ut et Ott. Vat. Ven. Gu. 1. *manilia.* — *edisceremus*] sic Lg. omnes et ed. pr. *disceremus* Lamb. 1584. Grut.

XXXIV. 128. P. Scipio, qui est in consulatu mortuus, non multum ille quidem nec saepe dicebat, sed et Latine loquendo cuivis erat par et omnes sale facetiisque superabat. Eius collega L. Bestia bonis initiis orsus tribunatus (nam P. Popilium vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit), vir et acer et non indisertus, tristis exitus habuit consulatus. nam invidiosa lege Mamilia C. Galbam sacerdotem et quattuor consulares L. Bestiam C. Catonem Sp. Albinum civemque praestantissumum L. Opimium Gracchi interfectorem a populo absolutum, cum is contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt. 119. Huius dissimilis in tribunatu reliquaque omni vita civis improbus C. Licinius Nerva non indisertus fuit. C. Fimbria temporibus isdem fere, sed longius aetate provectus habitus est sane, ut ita dicam, truculentus asper maledicus genere toto paulo fervidior atque commotior, diligentia tamen et virtute animi atque vita bonus auctor in senatu. idem tolerabilis patronus nec rudis in iure civili et cum virtute tum etiam ipso orationis genere

128. *Mamilia*] Mamilia [quaestio].
129. *truculentus*] luculentus patronus.

XXXIV. 128. *in consulatu*] *in* om. Gu. 1. — *Popilium*] sic Lg. 35. 39. 68. ed. pr. ita corr. Lg. 20. *popillum* 58. — *tristis*] sic Lg. omnes, Ven. 1. Vat. ed. pr. — *Mamilia*] omnes hic mei *manilia.* — *invidiosa lege Mam.*] plerique libri addunt *quaestio;* illud aut *questione* Lg. 26. 53. 68. 70. Addit *habita* Lg. 20., om. *quaestio* Vat. Hunc, ut dudum Ernesto placuit, plane probo, nec Meyeri nec Bernhardyi rationes defendi posse putans. Ille enim verba ita vult componi: *nam invidiosa quaestione lege Mamilia,* hic nescio quem ablativum absolutum fingit comparans quae tota diversa sunt, *proscriptione, votorum nuncupatione,* quin etiam *hoc populo, hac contione!* — *quattuor*] sic Lg. 8. 51.

129. *truculentus, asper*] libri et ed. pr. *luculentus patronus, asper.* Correxit Ern.

liber: cuius orationes pueri legebamus, quas iam reperire vix possumus. 130. Atque etiam ingenio et sermone eleganti, valetudine incommoda C. Sextius Calvinus fuit: qui etsi, cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat. itaque consilio eius, cum volebant, homines utebantur, patrocinio, cum licebat. Isdem temporibus M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, † dedecus generi vestro; qui, cum tanto nomine esset patremque optumum virum habuisset et iuris peritissumum, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. is magistratus non petivit, sed fuit accusator vehemens et molestus: ut facile cerneres naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatae voluntatis. 131. Atque eodem tempore accusator de plebe L. Caesulenus fuit, quem ego audivi iam senem, cum ab L. Sabellio multam lege Aquilia † damni iniuria petivisset. Non fecissem hominis paene infimi mentionem, nisi iudicarem, qui suspiciosius aut criminosius diceret, audivisse me neminem.

131. *lege Aquilia damni iniuria*] lege Aquillia de iustitia.

130. *Sextius*] *Sestius* ed. pr. — *dedecus*] *decus* Ascens., *genus* Par. C. Lg. omnes, Ott. Ven. 1. Gu. 1., omnino puto quicquid accuratius collatum est; *vulnus* ed. pr. — *vestro*] *nostro* Gu. 1.

131. *de plebe*] om. Lg. 8. 20. 51. 56 add. — *Caesulenus*] *Cesulenus* ed. pr. Lg. 20. 35. 39. 53. 56. 68. 70. Gu. 1. *Caesidenus* alii quidam, *Caesidienus* Ursini suspicio. — *Sabellio*] *savelio* Lg. 8. 51. 56. Ven. 1. Ott. Gu. 1. *sabello* Lg. 70 corr. *savellio* Vat. — *multam*] sic libri meliores omnes. — *lege Aquilia damni iniuria*] Hotomani coniecturam cum Orellio et Meyero sequor. Erat lex Aquilia de damno iniuria dato. Ed. pr. et libri plerique *l. Aq. de iustitia;* hinc Victor Pisanus *de iniuria* aut *de iniustitia*, quorum prius Sch. probavit. Hotomano non mediocriter favet Lg. 20., in quo est *de invidia.* Omnis corruptela ex

XXXV. Doctus etiam Graecis T. Albucius, vel potius paene Graecus. loquor, ut opinor: sed licet ex orationibus iudicare. fuit autem Athenis adolescens; perfectus Epicureus evaserat; minime aptum ad dicendum genus. **132.** Iam Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro, nisi quid fieri potest perfectius, eruditus. Multae literae, summa non vitae solum atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas: quae perspici cum ex orationibus eius potest tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poëtam familiarem suum: qui liber nihilo notior est quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri. **133.** Tum Brutus: Mihi quidem, inquit, nec iste notus est nec illi; sed haec mea culpa est: nunquam enim in manus inciderunt; nunc autem et a te sumam et conquiram ista posthac curiosius. Fuit igitur in Catulo sermo Latinus: quae laus dicendi

133. *quidem, inquit*] quidem.

compendio D. I. fluxit. Sed *damni iniuria* explicandum ablativo causae: *propter damni iniuriam.* Ceterum *Aquilia* (uno *l)* mei libri omnes.

XXXV. *Epicureus*] *epicureius* Lg. 8. 39. 51. Vat. Ven. 1. exp. *i;* v. 8, 30. —

132. *Iam Q. Catulus*] *iamque Catulus* quaedam edd. antiq. *itaque Catulus* Gu. 1. — *summa*] *summae* Lg. 8. 51. 53. 58. aptatum vocabulo sequenti; menda frequens. — *Xenophonteo*] *Xenophonteio* Lg. omnes pr. 35., item Vat. Ven. 1., confusis *e* et supra notato fortasse *i. Xenophonteo* Lg. 35. Ott.; *exnophonteo* Gu. 1.

133. *quidem, inquit*] *inquit* addidi ex Lg. omnibus, Ven. 1. Ott. ed. pr. — *sed haec mea culpa est*] *sed nec m. c. e.* Rivius, Lambinus, Schuetzius probante Ernesto. Recte explicat Bernhardy: „hi cum verba *sed haec — in manus inciderunt* inter se

non mediocris ab oratoribus plerisque neglecta est. nam de sono vocis et suavitate appellandarum literarum, quoniam filium cognovisti, noli exspectare quid dicam. quanquam filius quidem non fuit in oratorum numero, sed non deerat ei tamen in sententia dicenda cum prudentia tum elegans quoddam et eruditum orationis genus. **134.** Nec habitus est tamen pater ipse Catulus princeps in numero patronorum, sed erat talis, ut, cum quosdam audires, qui tum erant praestantes, videretur esse inferior, cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres. **135.** Q. Metellus Numidicus et eius collega M. Silanus dicebant de re publica, quod esset illis viris et consulari dignitati satis. M. Aurelius Scaurus non saepe dicebat, sed polite; Latine vero inprimis est eleganter locutus. Quae laus eadem in A. Albino bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero est habitus disertorum. Q. etiam Caepio, vir acer et fortis, cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit.

referrent, sane non inveniebant quo pacto reprehensionem Bruti cum excusatione satis probabili conciliarent. Verum tamen debuit prius membrum pro secundaria quadam accessione praegressorum haberi: fateor, inquit, illos mihi ignotos esse, cuius quidem rei culpam ipse sustineo, quippe parum curiosus eorum librorum, quos casus nunquam obtulisset.“ Haec ille recte, sed male distinctionem maximam post *inciderunt* retinuit. Componenda enim sunt *nunquam — inciderunt; nunc autem et a te sumam.* — *inciderunt*] *occiderunt* Gu. 1. — *dicendi*] *in dicendo* ed. pr. v. Expl. in de Or. II. 19, 78. III. 76, 307. et confer ex Bruto locum 13, 50.

134. *cum quosdam audires*] *cum is quosdam* Gu. 1. Schneiderus nulla idonea de causa coni. *ut, si cum iis audires.* — *non modo contentus*] *non modo eo contentus* Lamb.

135. *Silanus*] *sillanus* Lg. 20. 53. 70 corr. Hinc edd. pleraeque veteres *Syllanus,* doctius visum nescio quid de *Sylla* s. *Sulla* somniantibus. — *A. Albino*] *Albino Aulo* Lg. 20. — *acer et fortis*] inv. Lg. 39.

XXXVI. 136. Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt oratores mediocres accusatores acres atque acerbi. itaque in iudicium capitis multos vocaverunt, pro reis non saepe dixerunt. Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit. M. Marcellus Aesernini pater non ille quidem in patronis, sed et in promptis tamen et non inexercitatis ad dicendum fuit, ut filius eius P. Lentulus. **137.** L. etiam Cotta praetorius in mediocrium oratorum numero dicendi non ita multum laude processerat, sed de industria cum verbis tum etiam ipso sono quasi subrustico persequebatur atque imitabatur antiquitatem. Atque ego et in hoc ipso Cotta et in aliis pluribus intellego me non ita disertos homines et rettulisse in oratorum numerum et relaturum. est enim propositum colligere eos, qui hoc munere in civitate functi sint, ut tenerent oratorum locum: quorum quidem quae fuerit ascensio et quam in omnibus rebus difficilis optumi perfectio atque absolutio ex eo, quod dicam, existumari potest. **138.** Quam multi enim iam oratores commemorati sunt et quam diu in eorum enumeratione versamur, cum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperiden, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus. nam ego sic existumo hos oratores fuisse maxumos et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatum.

XXXVII. 139. Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurumum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites pedites levis armatura, sic ab illo in maxume opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur: sed ita erat paratus, ut iudices illo dicente non nunquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse. **140.** Verba ipsa non illa quidem elegantissumo sermone: itaque diligenter loquendi laude caruit, neque tamen est admodum inquinate locutus; sed illa quae proprie laus oratoris est in verbis: nam ipsum Latine loqui est illud quidem, ut paulo ante dixi, in magna laude ponendum, sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum; non enim tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire, neque tam id mihi ora-

137. *persequebatur*] prosequebatur.

138. *Hyperiden*] Hyperidem.

XXXVI. 136. *C. et L. Memmii*] *et* om. codd. mei plerique. — *pro reis*] *pro eis* Lg. 58. — *non saepe*] *non* om. ed. pr. — *Thorius*] libri mei omnes sine *h*. — *vectigali*] *vectigale* libri mei omnes, ed. pr. *levavit vectigale* Lg. 56.

137. *etiam Cotta*] *etiam* om. Gu. 1. — *ipso*] om. ed. pr., agnoscit cum libris Quintilianus XI. 3, 10. — *persequebatur*] sic collati libri praeter Gu. 1., item ed. pr.; Ascensius & Ern. *prosequebatur*. *subsequebatur* Gu. 1. — *intellego*] Lg. 8. 20. 39. 51. Ottob. — *me*] om. Ven. 2. — *rettulisse*] sic Lg. 51. 56. Ottob. — *ascensio*] *assensio* Gu. 1. Par. D.

138. *enumeratione*] *numeratione* Lg. 39. — *Hyperiden*] haec Graeca forma, quam accurate collatis libris multifariam restitutum iri scriptoribus opinamur, inest in Lg. 8. 39. 51. 68. Ven. I. Ottob. Vat. Nam nomina propria, quae patronymicorum figuram referunt, non ea severitate esse iudicanda, qua qualia sunt *Aeschines Demosthenes* similiaque, recte iudicat Schneiderus Gr. Lat. vol. II. p. 43.

XXXVII. 139. *maxume*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Ottob. iterat *maxime* ante *collocabantur* Gu. I. — *non nunquam*] divisim Lg. 8. 39. 56. 70.

140. *elegantissumo*] *diligentissimo* Lg. 39 corr. — *proprie*] *propria* Lamb. — *est illud quidem*] iterant *est* post haec Gu. 1.

toris boni quam civis Romani proprium videtur: sed tamen Antonius in verbis et eligendis, neque id ipsum tam leporis causa quam ponderis, et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tanquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus. **141.** quo genere quia praestat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps iudicatus. *σχήματα* enim quae vocant Graeci, ea maxume ornant oratorem; eaque non tam in verbis pingendis habent pondus quam in illuminandis sententiis.

XXXVIII. Sed cum haec magna in Antonio tum actio singularis: quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens, manus humeri latera supplosio pedis status incessus omnisque motus; [cum verbis sententiisque consentiens] vox permanens, verum subrauca natura. sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. **142.** ha-

141. *cum verbis sententiisque consentiens*] sine uncis.

Ottob. *illud quidem est* Ven. 1. — *comprehensione*] *compressione* ed. pr. Lg. 8. 20. 35. 39. 58. 70. Ven. 1. 2. Ott. Vat. *c̀pressione* Lg. 51.; orta ex *comprensione*, quod exstat in 53. 68. Vera esse haec non possunt, quia non dicuntur de *περιόδῳ*.

141. *maxume*] Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. — *oratorem*] Par. D. Lamb. *orationem*. Vulgata elegantior propter *μετωνυμίαν*. Nam quod Bernhardy dicit figuras magis oratoris esse, ut pondere sententiarum nunc oblectet auditorem, nunc expugnet, quam orationis, quae lenociniis figurarum possit, *σόφισμα* est. Quis ignorat figuras *sententiarum et orationis?*

XXXVIII. *status*] *habitus status* Lg. 20. — *incessus*] *incessio* Lg. 39. — *cum verbis sententiisque consentiens*] *conveniens* pro *consent.* Lg. 20 corr. Schuetzio illa divisio gestus, qua commemorantur *manus humeri latera supplosio pedis status incessus omnisque motus* non placebat, quae nobis *γραφική* et

bebat enim flebile quiddam in questionibus aptumque cum ad fidem faciendam tum ad misericordiam commovendam: ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt ei, qui quaesivisset quid primum esset in dicendo, actionem; quid secundum, idem; et idem tertium respondisse. nulla res magis penetrat in animos eosque fingit format flectit talisque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt. **143.** Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. illud quidem certe omnes ita iudicabant neminem esse, qui horum altero utro patrono cuiusquam ingenium requireret. Equidem quanquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas, erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos, Latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia, in disserendo mira explicatio; cum de iure civili, cum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia.

143. *altero utro*] alterutro.

suavissima videtur. Sed recte vidit post illa: *gestus cum sententiis congruens* plane ineptire sequentia: *cum verbis sententiisque consentiens.* Uncinis posteriora inclusi Bernhardyum secutus. — *convertebat*] *convertebatur* Manut.; *vertebat* Lamb., quod usitatius, sed minus lectum.

142. *questionibus*] *conquestionibus* mavult Orell. Lambinum secutus, quod illud vocabulum nusquam exstet. De raris apud Ciceronem vocabulis v. Explic. in de Or. II. 22, 94. — *cum — tum*] *tum — tum* Lg. 20. — *esset in dicendo*] inv. Lg. 51. — *fingit*] *tangit* suspicio Purgoldi. — *talisque*] sic Lg. omnes, Ven. 1. Ott. ed. pr. —

143. *quidem certe*] *certe* om. ed. pr. Refer ad *omnes.* — *altero utro*] sic scribendum fuit cum Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Ven. 1. (supr. scr. *eretv,* i. e. *uteretur,* scioli manus); *altero vero* Gu. 1. — *mira explicatio*] inv. Par. D. — *copia*] *suppetebat copia* Lg. 53. 68. 70.

XXXIX. 144. Nam ut Antonius coniectura movenda aut sedanda suspicione aut excitanda incredibilem vim habebat: sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius: idque cum saepe alias tum apud centumviros in M' Curi causa cognitum est. 145. ita enim multa tum contra scriptum pro aequo et bono dixit, ut hominem acutissumum Q. Scaevolam et in iure, in quo illa causa vertebatur, paratissumum obrueret argumentorum exemplorumque copia; atque ita tum ab his patronis aequalibus et iam consularibus causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentium iuris peritissumus Crassus, iuris peritorum eloquentissumus Scaevola putaretur: qui quidem cum peracutus esset ad excogitandum quid in iure aut in aequo verum aut esset aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. 146. qua re sit nobis orator in hoc interpretandi explanandi edisserendi genere mirabilis, sic ut simile nihil viderim; in augendo, in ornando, in re-

145. *et iam*] etiam.
146. *explanandi, edisserendi*] explanandique et disserendi.

XXXIX. 144. *in interpretando*] om. *in* Lg. 8. 51. 53 add. 56. 58. 70. Ven. 1. *interpretandis* Vat. — *M' Curi*] libri, ut solent, *M. Apud centumviros in M' Curii causa* sic scripta exhibet ex literis quadratis archetypi male intellectis Ven. 1.: *apud CV. L. N. M. Curi.* L. N. = IN.

145. *paratissumum*] *peritissimum* Lamb. — *vertebatur*] *versabatur* ed. pr. Ascens. — *ab his*] *ab iis* ed. pr. — *et iam*] sic Orell. pro *etiam.* — *iuris peritissumus*] hoc et *iuris peritorum* mei divisim.

146. *sit nobis*] *fuit nobis* Sch. — *explanandi edisserendi*] sic ed. pr. et libri collati omnes; vulgo *explanandique et disserendi.* Solus Lg. 70. *edisserendi* om. — *ornando*] *orando*

fellendo magis existumator metuendus quam admirandus orator.

XL. 147. Verum ad Crassum revertamur. Tum Brutus, Etsi satis, inquit, mihi videbar habere cognitum Scaevolam ex iis rebus, quas audiebam saepe ex C. Rutilio, quo utebar propter familiaritatem Scaevolae nostri, tamen ista mihi eius dicendi tanta laus nota non erat. Itaque cepi voluptatem tam ornatum virum tamque excellens ingenium fuisse in nostra re publica. 148. Hic ego, Noli, inquam, Brute, existumare his duobus quicquam fuisse in nostra civitate praestantius. nam, ut paulo ante dixi, consultorum alterum disertissumum, disertorum alterum consultissumum fuisse: sic in reliquis rebus ita dissimiles erant inter sese, statuere ut tamen non posses utrius te malles similiorem. Crassus erat elegantium parcissumus, Scaevola parcorum elegantissumus. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis, Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas. 149. Licet omnia hoc modo: sed vereor, ne

147. *utebar*] utebatur.

Lg. 53 corr. 58. Gu. 1. — *existumator*] sic Lg. 8. 35. 68. 70. — *admirandus*] *admirabilis* Gu. 1.

XL. 147. *iis rebus*] *his rebus* Lg. 8. 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Gu. 1. — *quo utebar*] Gebhardti (obss. in Cic. Brut. p. 5.) coniecturam *utebamur* sequitur Meyerus, redarguitur autem clare verbo coniuncto *audiebam.* Orellii suspicio *utebar,* quam sequor, firmatur codd. Lg. 35. 51. Ottob. Cett. libri *quo utebatur.* Arnoldus et Wetzelius malebant: *Rutilio: qua utebatur pater* (Rutilii), *familiaritatem Scaevolae nosti;* sententia abrupta et male nexa. — *Scaevolae nostri*] inv. Lg. 20.

148. *quicquam*] sic codd. omnes; v. Comm. Cr. in de Or. I. 8, 30. — *parcissumus*] *paratissimus* Lg. 70. — *etiam severitatis*] inv. ed. pr.

fingi videantur haec, ut dicantur a me quodam modo; res tamen sic se habet. Cum omnis virtus sit, ut vestra, Brute, vetus Academia dixit, mediocritas, uterque horum medium quiddam volebat sequi; sed ita cadebat, ut alter ex alterius laude partem, uterque autem suam totam haberet. 150. Tum Brutus, Cum ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Crassum et Scaevolam cognovisse, tum de te et de Ser. Sulpicio cogitans esse quandam vobis cum illis similitudinem iudico. Quonam, inquam, istuc modo? Quia mihi et tu videris, inquit, tantum iuris civilis scire voluisse, quantum satis esset oratori: et Servius eloquentiae tantum assumpsisse, ut ius civile facile posset tueri: aetatesque vestrae, ut illorum, nihil aut non fere multum differunt.

XLI. 151. Et ego, De me, inquam, dicere nihil est necesse; de Servio autem et tu probe dicis et ego dicam quod sentio. non enim facile quem dixerim plus studii quam illum et ad dicendum et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam et in isdem exercitationibus ineunte aetate fuimus et postea una Rhodum ille etiam

149. *res tamen sic se*] res se tamen sic.
150. *posset*] possit.

149. *res tamen sic se*] *res sed tamen* Lg. 8. 20. 39. 53. 56. 58. 68. 70. Deinde Lg. omnes *sic se habet* et hoc sequor. — *vestra*] *nostra* Par. D. — *vetus*] *vetusta* Lg. 20. — *medium*] *modum* Gu. 1. non male, *μετριότητά τινα.* Pro *horum* ed. pr. *istorum.*

150. *eloquentiae tantum*] inv. Lg. 56. — *ius civile*] *ius* om. Gu. 1. — *posset*] sic Lamb. rep. 1584. Libri et ed. pr. *possit,* improbandum illud, quod Cicero significat, consilium faciendi sibi olim fuisse, nec refert num nunc adhuc persequatur: minime igitur aptum aliter fieri in Sulpicio, qui cum ipso comparetur. — *vestrae*] *vostrae* Lg. 8 cum nota mendi, 35. 39. 53. *nostrae* 20. 51. *Vostrae* reciperem, ni paulo antiquius quam pro Ciceronis aetate videretur et ni rarum esset in libris. — *illorum*] *eorum* Lg. 39.

profectus est, quo melior esset et doctior; et inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. atque haud scio an par principibus esse potuisset: sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non eiusdem modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure civili esse princeps. 152. Hic Brutus, Ain' tu? inquit. etiamne Q. Scaevolae Servium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, existumo, iuris civilis magnum usum et apud Scaevolam et apud multos fuisse, artem in hoc uno: quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae quibus propositis essent quaeque non essent consequentia. 153. hic enim attulit hanc artem omnium artium maxumam quasi lucem ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur.

XLII. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte,

152. *propositis*] positis.

XLI. 151. *dicere nihil*] om. Gu. 1. — *quem dixerim*] *quem quam* Lamb. — *omnis*] sic Lg. 8. 39. 51. 56. — *una Rhodum*] inv. Aldus. —

152. *ambigua*] *ambiguam* ed. pr. et codd., ut videtur, omnes. Vocabulum sueto vitio prioribus accommodatum est. — *propositis*] sic libri et ed. pr.; *positis* Lamb. et hinc recentiores. Utrumque et de rebus ad disputationem delectis et de sumptione dialectica dici lexica docent; libri igitur sequendi. —

153. *maxumam*] *magistram* coni. Sch., quod dialectica dicta non sit *artium maxima.* Sed *magistra* dicta non magis est, etsi philosophia vocatur *magistra vitae.* *Maxumam* Lg. 8. 51. —

XLII. *dicere, inquit*] sic libri praeter Gu. 1. et ed. pr.; longe alia ratio est 32, 123.; itaque iniuria Meyerus a vulgato

inquam, intellegis: sed adiunxit etiam et literarum scientiam et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillume perspici potest. **154.** cumque discendi causa duobus peritissumis operam dedisset L. Lucilio Balbo et C. Aquilio Gallo, Galli, hominis acuti et exercitati, promptam et paratam in agendo et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superavit; Balbi docti et eruditi hominis in utraque re consideratam tarditatem vicit expediendis conficiendisque rebus: sic et habet quod uterque eorum habuit et explevit quod utrique defuit. **155.** Itaque ut Crassus mihi videtur sapientius fecisse quam Scaevola (hic enim causas studiose recipiebat, in quibus a Crasso superabatur; ille se consuli nolebat, ne qua in re inferior esset quam Scaevola): sic Servius sapientissume, cum duae civiles artes ac forenses plurumum et laudis haberent et gratiae, perfecit, ut altera praestaret omnibus, ex altera tantum assumeret, quantum esset et ad tuendum ius civile et ad obtinendam consularem dignitatem satis. **156.** Tum Brutus, Ita prorsus, inquit, et antea putabam: audivi enim nuper eum studiose et frequenter Sami, cum ex eo ius

155. *sapientissume, cum*] sapientissime. Cum enim.

ordine recessit. — *intellegis*] sic Lg. 8. 51. Ott. — *et loquendi*] *eloquendi* om. *et* Gu. 1. ed. pr.

154. *discendi*] *dicendi* ed. pr. codd. Lg. praeter 35.; is cum Ven. 1. Ott. verum servavit. *iuris* add. Sch. non necessario; sciebant enim Lucilium & Aquilium iuris consultos fuisse. — *peritissumis*] ita Lg. 39. 51. 70. Ott. ita corr. Lg. 8. — *Aquilio*] sic libri mei; *Aequilio* ed. pr.

155. *nolebat*] *solebat* ed. pr. & codd.; correxit Cratander. *volebat* quaedam edd. vett. — *sapientissume, cum duae*] sic (modo quod nonnulli *absentissume* s. *apsentiss.)* ed. pr. & codd. omnes. Vulgatum *sapientissime*. *Cum enim duae* Ascensio debetur. *duo* Lg. 8. 39. 51. 53. 56. 58. 70.

nostrum pontificium qua ex parte cum iure civili coniunctum esset vellem cognoscere; et nunc meum iudicium multo magis confirmo testimonio et iudicio tuo; simul illud gaudeo, quod et aequalitas vestra et pares honorum gradus et artium studiorumque quasi finitima vicinitas tantum abest ab obtrectatione et invidia, quae solet lacerare plerosque, ut ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. quali enim te erga illum perspicio, tali illum in te voluntate iudicioque cognovi. **157.** Itaque doleo et illius consilio et tua voce populum Romanum carere tam diu: quod cum per se dolendum est tum multo magis consideranti, ad quos ista non translata sint, sed nescio quo pacto devenerint. Hic Atticus, Dixeram, inquit, a principio, de republica ut sileremus: itaque faciamus. nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo querendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus.

XLIII. **158.** Pergamus ergo, inquam, ad reliqua et institutum ordinem persequamur. Paratus igitur veniebat Crassus exspectabatur audiebatur; a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, exspectatione dignus

156. *et invidia*] invidiaque.

156. *et antea*] *etiam antea* correxi olim; sed, si recte distinxeris, sibi respondent *et antea — et nunc meum iudicium* &c. V. Madvig. Emendd. I. p. 170. — *et invidia*] sic codd. praeter Lg. 20.; is *invidiaque*, ut ed. pr. Olim ante Ern. legebatur *invidiae*. — *ut ea*] codd. & edd. pr. *ut in ea*, vulgo *uti ea*.

157. *translata*] *tralata* Lg. 8. 39. 51. 58. — *devenerint*] om. Gu. 1. — *querendi*] Ern. ex ed. pr., et sic Lg. 39. 53. 56. 58. 68. 70. Ott. Ven. 2. Sed Ven. 1. cum rell. Lg. *quaerendi*, placitum Heusingero, sed minime aptum quod *luctui* opponatur. Est enim *quaerere* i. e. cum dolore desiderare ipsius lugentis; *queri* autem, quod fit voce et verbis, a *luctu*, qui tacitus insidet in animo, recte distinguitur.

videbatur; non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis; vehemens et interdum irata et plena iusti doloris oratio, multae et cum gravitate facetiae; quodque difficile est, idem et perornatus et perbrevis. 159. Iam in altercando invenit parem neminem; versatus est in omni fere genere causarum; mature in locum principum oratorum venit. Accusavit C. Carbonem eloquentissumum hominem admodum adolescens: summam ingeni non laudem modo, sed etiam admirationem est consecutus. 160. Defendit postea Liciniam virginem, cum annos XXVII. natus esset. in ea ipsa causa fuit eloquentissumus orationisque eius scriptas quasdam partis reliquit. Voluit adolescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. Exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam aetas illa ferebat, oratio. Multae deinde causae; sed ita tacitus tribunatus, ut, nisi in eo magistratu coenavisset apud praeconem Granium idque nobis bis narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse. 161. Ita prorsus, inquit Brutus: sed

160. *aetas illa*] illa aetas.

XLIII. 158. *doloris*] om. Ven. 1. in lacuna.
159. *invenit parem*] inv. Gu. 1. Par. D. — *ingeni*] sic Lg. 8. 51. 70. Ven. 1. Vat.
160. *partis*] sic Lg. 8. 39. 51. 56. Ven. 1. — *ut fuit*] *ut* om. Ven. 1. — *deducere. Exstat in eam*] *ded. statiniam* corr. *extatineam* Lg. 8. Ven. 1. *ded. ex statinia lege* 39 (vide correctorem), corr. ut 8 corr. — *aetas illa*] sic libri Lg. Ven. 1. Ott. Gu. 1. ed. pr. Ante invertebantur verba. — *apud* — *narravisset*] om. Gu. 1. — *praeconem*] *praetorem* ed. pr. Lg. 35. 58 corr. Ven. 2. — *nobis bis*] inv. Gu. 2. Lg. 39. om. *bis* Lg. 53. 68. Ottob. ed. pr. — *Lucilius*] *Lucillius* Lamb. *L.* Lg. 20. 51.
161. *quidem*] om. Gu. 1. — *quicquam*] sic libri plerique & meliores. — *cum* — *tum*] *tum* priore loco Lg. 20. ed. pr., et

ne de Scaevolae quidem tribunatu quicquam audivisse videor, et eum collegam Crassi credo fuisse. Omnibus quidem aliis, inquam, in magistratibus, sed tribunus anno post fuit eoque in rostris sedente suasit Serviliam legem Crassus. nam censuram sine Scaevola gessit: eum enim magistratum nemo unquam Scaevolarum petivit. Sed haec Crassi cum edita oratio est, quam te saepe legisse certo scio, quattuor et triginta tum habebat annos totidemque annis mihi aetate praestabat. his enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus, cum ipse esset Q. Caepione consule natus et C. Laelio, triennio ipso minor quam Antonius. quod idcirco posui, ut dicendi Latine prima maturitas in qua aetate exstitisset posset notari et intellegeretur iam ad summum paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructior.

XLIV. 162. Erit, inquit Brutus, aut iam est iste, quem exspectas? Nescio, inquam. Sed est etiam L. Crassi in consulatu pro Q. Caepione defensione iuncta

162. *Brutus*] M. Brutus.

post *cum* ed. pr.; quod iure improbat Bernhardy propter locum, quem particula *cum* sic habitura esset. — *quattuor*] sic Lg. 8. 51. 68. Ven. 1. — *his enim coss.*] *is* ed. pr. *iis* Meyerus. De hoc usu pronominis *hic* v. Expl. in Cic. de Or. II. 15, 64. — *intellegeretur*] sic Lg. 8. 51. Ott. — *a iure*] *a* om. Lg. 70.
XLIV. 162. *Brutus*] *M. Brutus* Gu. 1. Ven. 2. Ott. Vat., Lg. praeter 51. 58., plane contra sermonis legem: v. Expl. in Cic. de Or. III. 1, 4. — *aut iam est*] sic codd. et ed. pr., praeter Par. D., in quo exstat *an* pro *aut*, quod idem Heusingerus coniecit. — *in consulatu*] *in censura* Lg. 39. — *pro Q. Caepione defensione iuncta*] *p. Q. Caepionis def. i.* ed. pr. Omittit *defensione* Par. D.; nam de Gu. 1. errant, qui idem praedicant. Hinc Orellius incredibili quodam modo distinguit et explicat Pa-

non brevis ut laudatio, ut oratio autem brevis; postrema censoris oratio, qua anno duodequinquagesimo usus est. In his omnibus inest quidam sine ullo fuco veritatis color. quin etiam comprehensio et ambitus ille verborum, si sic *περίοδον* appellari placet, erat apud illum contractus et brevis, et in membra quaedam, quae *κῶλα* Graeci vocant, dispertiebat orationem lubentius. 163. Hoc loco Brutus, Quando quidem tu istos oratores, inquit, tanto opere laudas vellem aliquid Antonio praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere: cum enim omnibus memoriam sui tum etiam disciplinam dicendi nobis reliquissent. nam Scaevolae dicendi elegantiam satis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. 164. Et ego, Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit, inquam, illa in legem Caepionis oratio: in qua et auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur, et invidia concitatur in iudicum et in accusatorem factionem, contra quorum po-

risiensis scripturam a se receptam: *est etiam Crassi in consulatu pro Q. Caepione* (sc. oratio); *iuncta* (sc. cum Caepioniana alia quaedam oratio), *non brevis, ut laudatio.* Quid moverit Ciceronem, ut accurate narraret una editas esse duas orationes, quarum altera ne nomine quidem tenus describeretur? Recte explicat Bernhardy: „tenendum insertis *defensione iuncta* causam contineri cur oratio pro Caepione locum medium et ambiguum inter laudationem et iustam orationem impleverit et pari iure quasi laudatio vel quasi oratio haberi potuerit“. Fatendum autem tot ablativos iuxta positos negligentioris esse compositionis, cuius etiam alia in Bruto exempla prostant. — *censoris*] *censoria* Orellius: v. 21, 82. — *περίοδον — κῶλα*] libri latinis literis. — *lubentius*] *libentius* Lg. 56.

163. *quando quidem*] sic divisim Lg. 39. 58. Ven. 1. — *tanto opere*] ed. pr. et codd., si Lagomarsini silentio habenda fides, *ὑφ᾽ ἕν*; sed is in orthographicis enotandis non diligentissimum se hic illic fassus est, cum alias minime quaeque exscripserit.

tentiam populariter tum dicendum fuit. multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt: plura etiam dicta quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis nec explicatis intellegi potest. Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paulo plenius. nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita maioribus. 165. Et vero fuit in hoc etiam popularis dictio excellens: Antoni genus dicendi multo aptius iudiciis quam contionibus.

XLV. Hoc loco ipsum Domitium non relinquo. nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono satis in eo fuisse orationis atque ingeni, quo et magistratus personam et consularem dignitatem tueretur: quod idem de C. Caelio dixerim industriam in eo summam fuisse summasque virtutes, eloquentiae tantum, quod esset in rebus privatis amicis eius, in re publica ipsius dignitati satis. 166. Eodem tempore M. Herennius in mediocribus

165. *etiam popularis*] et popularis.

Paulo ante verba a *Brutus* ad *inquit* in ed. pr. non exstant. — *ex iis*] plerique codd. *ex his; iis* Lg. 8. 35. 56. Ven. 1. Ott. — *in accusatorum*] *in* om. ed. pr.

164. *leniter*] *leviter* Lg. 58. ed. pr. — *quibusdam*] om. Lg. 20. — *expositis*] *positis* Orellius. Si quid mutandum, rectius scribetur *propositis.* — *intellegi*] sic Lg. 8. 20. 51. Ott.

165. *et vero*] *et vere* ed. pr. *at vero* Gu. 1. — *etiam popularis*] sic codd. omnes et ed. pr. *et pop.* inde a Lambino editiones insedit. — *Antoni*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 70. Ven. 1. Vat. — *contionibus*] sic codd. Lg. pr. 39., et rell. praeter Vat.; hi duo *condictionibus.*

XLV. *pono*] sic ed. pr. et cett. vett. cum parte codicum; explica *statuo, affirmo.* Corradus *pone*, et sic Lg. 8. 39. 51. 56. 58. *bone* 20. — *ingeni*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *Caelio*] *Coelio* Lg. 8. rell. *celio, cèlio, lelio.*

oratoribus Latine et diligenter loquentibus numeratus est: qui tamen summa nobilitate hominem cognatione sodalitate collegio summa etiam eloquentia L. Philippum in consulatus petitione superavit. Eodem tempore C. Claudius, etsi propter summam nobilitatem et singularem potentiam magnus erat, tamen etiam eloquentiae quandam mediocritatem afferebat. 167. Eiusdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius, qui meo iudicio eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Graecis literis et sine multo usu pervenire. huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur. easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imitari L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus. 168. Fuit etiam Q. Rubrius Varro, qui a senatu hostis cum C. Mario iudicatus est, acer et vehemens accusator. In eo genere sane probabilis, doctus autem Graecis literis propinquus noster, factus

166. *Claudius*] Clodius.

166. *Claudius*] *Clodius* codd. et edd., alienum ab illa aetate; Ciceronis demum tempore illa forma in usum venit. — *nobilitatem*] ante id *auctoritatem* inferciunt Gu. 1. Par. D.

167. *eiusdem — temporis*] *eisdem — temporibus* Lg. 20. Par. D. — *tantum argutiarum*] absunt haec ab ed. pr. — *satis ille quidem*] *satis quidem ille* Nor. Asc. et vett. edd. quaedam. *s. ita quidem* Lg. praeter 20. 35.; in 20. est *iste quidem*, qua scriptura illius origo explanatur. — *perargutus*] *peracutus* Lg. 35. 39. 53. 68. 70. — *ut scitis*] *satis* Lg. 20.

168. *Antoni*] ita Lg. 35. 39. 51. 53. 58. 68. Ven. 1. Vat. mox *Mari* eidem praeter Lg. 68., sed etiam 8. 70. — *pater*] *patrem* usitato errore librariorum praegressum vocabulum respicientium Lg. omnes praeter sec. m. 8.; item Ven. 1. 2. Vat. Ott. Gu. 1. Correxit Manutius.

ad dicendum M. Gratidius M. Antoni perfamiliaris, cuius praefectus cum esset in Cilicia, est interfectus; qui accusavit C. Fimbriam, M. Mari Gratidiani pater.

XLVI. 169. Atque etiam apud socios et Latinos oratores habiti sunt Q. Vettius Vettianus e Marsis, quem ipse cognovi, prudens vir et in dicendo brevis; Q. et D. Valerii Sorani, vicini et familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quam docti et Graecis literis et Latinis; C. Rusticelius Bononiensis, is quidem et exercitatus et natura volubilis. Omnium autem eloquentissumus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculanus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitae; illa Romae contra Caepionem nobilis sane, cui orationi Caepionis ore respondit Aelius, qui scriptitavit orationes multis, orator ipse nunquam fuit. 170. Apud maiores autem nostros video disertissumum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum Ti. Gracchi P. F. fere aetate: eius etiam oratio est pro Fregellanis coloniisque Latinis habita in senatu. Tum Brutus, Quid tu igitur, inquit, tribuis istis externis quasi

169. *Rusticelius*] Rusticellus.

XLVI. 169. *Vettius Vettianus*] utrobique per *ct* codd. praeter Vat. Ottob., in quibus recte scriptum. *Vettianus* om. ed. pr. — *Q. et D.*] *et* om. Gu. 1. et Lg. omnes pr. 8. Omnia usque ad *non tam* om. Vat. — *Rusticelius*] scripsit Ursinus ex numo; libri *Rusticellus* aut *Rustichellus* (Lg. 70). — *Betucius*] *Betutius* Lg. 20. 39. 53. 58. 68. *Betulitius* 70 corr. ut illi. *Bonitius* 56. *Batucius* Ven. 2. *Battutius* ed. pr.; eadem *Varrus*: *Barus* Ven. 1. Gu. 1. — *multis*] *multas* edd. quaedam vett. et Lg. 20. Vat. Ven. 2.

170. *Ti. Gracchi*] *T.* plerique libri. — *eius etiam*] sic ed. pr. codd. omnes. *eius autem* edd. quaedam vett. et Orellius. Mallem abesse. — *coloniisque*] parilitate commendatur scriptura ed. pr. et codd. Lg. omnium *colonisque*.

oratoribus? Quid censes, inquam, nisi idem quod urbanis, praeter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio? 171. Et Brutus, Qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? Nescio, inquam; tantum esse quendam scio. id tu, Brute, iam intelleges, cum in Galliam veneris. audies tu quidem etiam verba quaedam non trita Romae, sed haec mutari dediscique possunt; illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum retinnit quiddam et resonat urbanius. nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. 172. Ego memini T. Tincam Placentinum hominem facetissumum cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare. Eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso: sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo; ut ego iam non mirer illud Theophrasto accidisse, quod dicitur, cum percontaretur ex anicula quadam quanti aliquid venderet et respondisset illa atque addidisset, *Hospes, non pote minoris*, tulisse eum moleste se non effugere hospitis speciem, quom aetatem ageret Athenis optumeque loque-

171. *retinnit*] recinit.
172. *percontaretur*] percunctaretur.

171. *iste tandem*] inv. Gu. 1. *inquit* ante *urbanitatis* ponitur in Lg. 20. — *intelleges*] sic Lg. 8. 51. Ott. — *retinnit*] ad Schneideri hanc coniecturam non ed. pr. solum et Lg. 8. 20. 39. 58. 70. Gu. 1. Ven. 1. Vat. ducunt, in quibus est *retinuit*, sed *retinnit* ipsum plene scriptum exstat in Lg. 35. 53. 68. *recinnit* Ven. 2. *recinit* Ald. Ern. Orell. *Retinnit* est *resonat*, de sono quasi in auribus audientium residente et quasi redintegrato dictum. Quod apud Ciceronem non legitur praeterea, causa non est cur abiiciatur.

172. *Tincam*] *Tineam* hic et mox ed. pr. Lg. 20. 35. 56.; sed Gu. 1. altero loco *Tincam*. — *Lucilius*] *Lucillius* ed. pr. Lamb. — *percontaretur*] sic libri. Lamb. Ern. *percunctaretur*. — *quom aetatem*] sic pro *cum aet.* Lg. 8. 35. 51. 58. 68. 70. Eodem spectat Ottob. scriptura *quomodo*. — *optumeque*] sic Lg. 35. 51.

retur. Omnino sic, ut opinor, in nostris est quidam urbanorum, sicut illic Atticorum sonus. Sed domum redeamus, id est ad nostros revertamur.

XLVII. 173. Duobus igitur summis Crasso et Antonio L. Philippus proxumus accedebat, sed longo intervallo tamen proxumus. itaque eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferret, neque secundum tamen neque tertium dixerim. Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim aut tertium, qui vix e carceribus exierit, cum palmam iam primus acceperit; nec in oratoribus, qui tantum absit a primo, vix ut in eodem curriculo esse videatur. Sed tamen erant ea in Philippo, quae qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret: summa libertas in oratione, multae facetiae; satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis; erat etiam in primis, ut temporibus illis, Graecis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus. 174. Horum aetati prope coniunctus L. Gellius non tam vendibilis orator, [quam] ut nescires quid ei deesset. nec enim erat indoctus nec tardus ad excogi-

174. [*quam*] *ut*] sine uncis.

Ott. — *loqueretur. Omnino sic*] sic, ut volebat Rivius, Lg. 8. 39. 51. 56. 58. Ven. 1. Ott. *loqueretur omnium. Sic ut* ed. pr. Lg. cett. Vat. *Sicut* pro *sic ut* Lg. praeter 20. 35. 53. 68. 70., item Ven. 1. — *illic*] *illis* Par. D. *ille* Lg. 20. 51. 56. *in illis* Sch. — *revertamur*] *revortamur* Ott. Verba *id est ad nostros revertamur* interpretis manum pluribus redolere visa sunt, sed nec sunt supervacanea, ut Ruhnkenio visum (ad Vell. II. 23.), nec sic intelligenda, ut vulgo fit; non significant enim *Athenis Romam redeamus*, sed a sociis et Latino nomine ad Romanos oratores revertamur. Utrumque docte exposuit Bernhardy.

XLVII. 173. *proxumus*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. et mox eidem et 35. 70. *maximus* Gu. 1. — *acceperit*] *accepisset* ed. pr. — *in primis*] sic divisim codd. praeter Lg. 53. 58.

174. *non tam vendibilis*] Meyerus explicat: *non tam exi-*

tandum nec Romanarum rerum immemor et verbis solutus satis: sed in magnos oratores inciderat eius aetas. multam tamen operam amicis et utilem praebuit atque ita diu vixit, ut multarum aetatum oratoribus implicaretur, multum etiam in causis versaretur. 175. Isdem fere temporibus D. Brutus, is qui consul cum Mamerco fuit, homo et Graecis doctus literis et Latinis. Dicebat etiam L. Scipio non imperite Gnaeusque Pompeius Sex. F. aliquem numerum obtinebat. Nam Sex. frater eius praestantissumum ingenium contulerat ad summam iuris civilis et ad perfectam geometriae et rerum Stoicarum scientiam. Item in iure et ante hos M. Brutus et paulo post eum C. Bellienus homo per se magnus prope simili ratione summus evaserat: qui consul factus esset, nisi in Marianos consulatus et in eas petitionis angustias incidisset. 176. Cn. autem Octavi eloquentia, quae fuerat ante consulatum ignorata, in consulatu multis contionibus est

175. *Bellienus*] Bilienus.

mius orator, quam is, in quo vitium nullum deprehenditur, *ταυτολόγως* plane, quia in quo nihil mendosi reprehenditur eximius habendus est. Orellius coniecit *non tam non vendibilis*, et sententiam hanc esse vult: *erat quidem vendibilis*, i. e. placebat audientibus, *sed ut nescio quid ad perfectionem ei deesset.* Hoc in ea scriptura haudquaquam inest, sed hoc: *placebat quidem, sed ut nihil ei ad perfectionem deesse putares*, in qua sententia plane inepte dicitur *sed.* Uncis clausi *quam*, hac sententia: *minime placebat ita, ut nihil ei ad praestantiam deesse putares.* — *aetatum oratoribus*] *oratorum aetatibus* Lg. 20.

175. *isdem*] sic Lg. praeter 35. 39. 68., item Ven. 1. Ott. — *Mamerco*] *mamerto* Lg. 20. — *et rerum*] om. Lg. omnes; in 58. addidit sec. m.; *rerumque* habent 20. 53. 68. 70. ed. pr. — *item in iure*] Lg. omnes ex archetypo male intellecto *ita minuire, ita minuere, ita minu ere, ita miniure; sitam* pro *item* Gu. 1. — *Bellienus*] *Billienus* Lg. omnes praeter 20. 70., item Ven. 1. 2. Ott. Vat. Gu. 1. *Bilienus*, Lambini scriptura, Lg. 20. 70. Nostram

vehementer probata. Sed ab eis, qui tantum in dicentium numero, non in oratorum fuerunt, iam ad oratores revertamur. Censeo, inquit Atticus: eloquentis enim videbare, non sedulos velle conquirere.

XLVIII. 177. Festivitate igitur et facetiis, inquam, C. Iulius L. F. et superioribus et aequalibus suis omnibus praestitit oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quibus, sicut ex eiusdem tragoediis, lenitas eius sine nervis perspici potest. 178. Eius aequalis P. Cethegus, cui de re publica satis suppeditabat oratio. totam enim tenebat eam penitusque cognoverat. itaque in senatu consularium auctoritatem assequebatur, sed in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur. Erat in privatis causis Q. Lucretius Vespillo et acutus et iurisperitus. Nam Ofella contionibus aptior quam iudiciis. Prudens

178. *Ofella*] Aphilia. — *contionibus aptior*] aptior contionibus.

scripturam suasit Pighius vol. III. p. 87. — *summus*] om. Gu. 1., quod placebat Schneidero et Wetzelio.

176. *Octavi*] sic Lg. omnes praeter 20., item Ven. 1. 2. Vat. — *contionibus*] Lg. praeter 20. 35. 70., item Vat.; *conditionibus* Ven. 2. — *eloquentis*] codd. omnes praeter Ven. 1. 2.

XLVIII. 177. *lenitas*] *levitas* Ven. 1.

178. *Cethegus*] *Cetegus* Gu. 1. — *cognoverat*] sic, non *cognorat*, ed. pr. cui accedunt Lg. omnes, Ven. 1. Ott. — *assequebatur*] *alloquebatur* Gu. 1. — *in privatis*] *in* om. Lg. omnes, Ven. 1.; constat igitur ex solis ed. pr. et libris Gu. 1. Ven. 2. Ott. Vat., nisi illud forte praetervidi. — *Vespillo*] libri et edd. vett. *Vispillo.* — *iuris peritus*] divisim meliores libri. — *Ofella*] coniecere Victor Pisanus & Corradus. *A filia* Lg. 8. cum nota mendae; 39. 51. 53. 56. 58. 68 c. not. mendae, Ven. 1. 2. Gu. 1. *A. filia* Lg. 35. Ott. vacuum spatium habet Lg. 20. *Asilia* Vat. Ceterum Lagomarsinus ex ed. pr. non *A. filia*, sed *A. filius* enotavit. — *contionibus aptior*] sic Lg. omnes. Vulgo inv. — *Iu-*

etiam T. Annius Velina et in eius generis causis orator sane tolerabilis. In eodem genere causarum multum erat T. Iuventius, nimis ille quidem lentus in dicendo et paene frigidus, sed et callidus et in capiendo adversario versutus, et praeterea nec indoctus et magna cum iuris civilis intellegentia. 179. Cuius auditor P. Orbius meus fere aequalis in dicendo non nimis exercitatus, in iure autem civili non inferior quam magister fuit. Nam T. Aufidius, qui vixit ad summam senectutem, volebat esse similis horum eratque et bonus vir et innocens, sed dicebat parum. Nec sane plus frater eius M. Virgilius, qui tribunus plebis L. Sullae imperatori diem dixit. Eius collega P. Magius in dicendo paulo tamen copiosior. 180. Sed omnium oratorum sive rabularum, qui et plane indocti et inurbani aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, solutissumum in dicendo et acutissumum iudico nostri ordinis Q. Sertorium, equestris C. Gargonium. Fuit etiam facilis et expeditus ad dicendum et

180. *et inurbani*] aut inurbani.

ventius] sic sane Lg. 8. 51. 53. 58. 68. Ven. 1. ed. pr. sed dubito an rectius scribatur per *c*, a *iuvenco* ductum, ut *Porcius* a porco, *Ovius* ab ove. — *intellegentia*] sic Lg. 8. 51. *scientia* inserit 20 corr.

179. *Virgilius*] *Vergilius* Gu. 1. a corr. et ed. pr. — *Sullae*] *syllae* s. *sillae* s. *sylle* s. *sille* codd. mei omnes, praeter Ven. 2., in quo est *sullae*.

180. *oratorum sive*] *sive* om. ed. pr. — *et plane indocti et*] sic Par. D. Gu. 1. 2., item meorum Ven. 1. Ottob. probante Handio Turs. vol. II. p. 537. *et pl. ind. aut. inurbani* Par. A. B. ed. pr. et vulgo. *aut pl. i. et inurb.* Heusingerus, Orellius, Schuetzius. — *Gargonium*] sic ed. pr. probantibus Bentl. ad Hor. Serm. I. 2, 27. et Orellio; accedunt nunc Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Vat. Ven. 1. 2. Ott. Gu. 1. *Gorgonium* secundum edd. quasdam probabat Weichertus Poëtt. Rell. p. 424. — *Sextius*] *Sextus* ed. pr. *Sestius* Orellius; sic Ven. 2. — *etiam aegra*]

vitae splendore multo et ingenio sane probabili T. Iunius L. F. tribunicius, quo accusante P. Sextius praetor designatus damnatus est ambitus. is processisset honoribus longius, nisi semper infirma atque etiam aegra valetudine fuisset.

XLIX. 181. Atque ego praeclare intellego me in eorum commemoratione versari, qui nec habiti sunt oratores neque fuerunt, praeteririque a me aliquot ex veteribus commemoratione aut laude dignos: sed hoc quidem ignoratione. Quid enim est superioris aetatis, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur nec aliorum nec ipsorum? De eis autem, quos ipsi vidimus, neminem fere praetermittimus eorum, quos aliquando dicentes vidimus. 182. Volo enim sciri in tanta et tam vetere re publica maxumis praemiis eloquentiae propositis omnes cupisse dicere, non plurumos ausos esse, potuisse paucos. Ego tamen ita de unoquoque dicam, ut intellegi possit quem existimem clamatorem, quem ora-

181. *habiti sunt — fuerunt*] h. sint — fuerint.

delevit *etiam* Meyerus, quod in ed. pr. non legi dicitur, supervacaneum esse affirmans. *Infirmam* valetudinem habet, qui facile aegrotat, *aegram*, qui multum.

XLIX. 181. *intellego*] sic Lg. 8. 20. 51. — *sunt — fuerunt*] *sint* et *fuerint* soli Gu. 1. Lg. 70. Ven. 1. et is corr. Clarum est codices sequendos, quia iam defecit illa superstitio, qua coniunctivus cum infinitivo orationis obliquae solus recte iungi credebatur. — *ignoratione*] *ignorantie* Gu. 1. — *de eis*] *de his* ed. pr. nec deterius. — *dicentes vidimus*] *d. audivimus* Sch., ne iterari videantur verba fere eadem; qui inanis timor est.

182. *sciri*] *scire* Lg. omnes et Gu. 1.; sed *sciri* Ven. 1. Ott. — *maxumis*] sic Lg. 8. 51 (hi *maxumus*) 53. 58. 68. Ven. 1. — *omnis*] sic ed. pr. Lg. omnes, Ven. 1. Ott. Gu. 1. — *plurumos*] sic Lg. 51. 53. Ven. 1. Ott. — *intellegi*] sic Lg. 8. 51. Ott. — *clamatorem*] *declamatorem* Gothofredus Schuetzio plaudente; cum tamen id graviter peccet in Ciceronis consuetudinem. — *L.*

torem fuisse. Isdem fere temporibus aetate inferiores paulo quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta P. Sulpicius Q. Varius Cn. Pomponius C. Curio L. Fufius M. Drusus P. Antistius; nec ulla aetate uberior oratorum fetus fuit. **183.** Ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio tum omnium facile primas tulerunt. Hic Atticus, Quo modo istuc dicis, inquit, cum tuo iudicio tum omnium? Semperne in oratore probando aut improbando vulgi iudicium cum intellegentium iudicio congruit? an alii probantur a multitudine, alii autem ab iis, qui intellegunt? Recte requiris, inquam, Attice: sed audies ex me fortasse quod non omnes probent. **184.** An tu, inquit, id laboras, si huic modo Bruto probaturus es? Plane, inquam, Attice, disputationem hanc de oratore probando aut improbando multo malim tibi et Bruto placere; eloquentiam autem meam populo probari velim. Et enim necesse est qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. nam quid in dicendo rectum sit aut pravum ego iudicabo, si modo is sum, qui id possim aut sciam iudicare: qualis vero sit orator ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intellegi. **185.** Tria sunt enim, ut quidem ego sentio, quae sint efficienda di-

Fufius] *L. Fusius* Lg. 53. 56. edd. quaedam vett. — *P. Antistius*] *patistius, patistus, pacistius* codd. Gu. 1. Lg. 8. 39. 51. 56. 58. *P. Antisti* 70. *pasticius* corr. *patistius* Ottob. — *fetus*] Gu. 1. Ven. 1. 2. Ott. Vat. Lg. 35. 53. 68. 70. ed. pr.

183. *volgi*] sic ed. pr. Lg. 51. Ott. — *intellegentium — intellegunt*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. Ott. *me intell.* 8. 39. 51. *intelliguntur* 70.

184. *id laboras si*] *id laborasse* Lg. 56 corr. *adlaborasse,* Gu. 1. Ott. ed. pr.; *laborasse* Lg. 8. 35. 39. 51. 56. *laboras sed* Lg. 20. Correxit Manutius. — *et enim*] Ven. 1. Gu. 1. *at enim* Lg. 39. 51. 53. 56. 58. 70. — *intellegi*] Lg. 8. 51. Ott.

cendo: ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectetur, ut moveatur vehementius. Quibus virtutibus oratoris horum quidque efficiatur aut quibus vitiis orator aut non assequatur haec aut etiam in his labatur et cadat artifex aliquis iudicabit. efficiatur autem ab oratore necne, ut ei, qui audiunt, ita afficiantur, ut orator velit, volgi assensu et populari approbatione iudicari solet. Itaque nunquam de bono oratore aut non bono doctis hominibus cum populo dissensio fuit.

L. **186.** An censes, dum illi viguerunt, quos ante dixi, non eosdem gradus oratorum vulgi iudicio et doctorum fuisse? De populo si quem ita rogavisses: Quis est in hac civitate eloquentissumus? in Antonio et Crasso aut dubitaret aut hunc alius, illum alius diceret. Nemone Philippum, tam suavem oratorem, tam gravem, tam facetum his anteferret, quem nosmet ipsi, qui haec arte aliqua volumus expendere, proxumum illis fuisse diximus? Nemo profecto. id enim ipsum est summi oratoris summum oratorem populo videri. **187.** Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum, *Mihi cane et Musis;* ego huic Bruto dicenti, ut solet, apud multitudinem, *Mihi cane et populo, mi Brute,* dixerim:

185. *audiunt*] audiant.

185. *quae sint*] *quae sunt* Gu. 1. Par. D. Potentialem modum esse intelligendum: ἅ τις ἂν ἐργάσαιτο. — *horum*] om. Lg. 8. 39. 51. 56. — *quidque*] *quicquam* ed. pr. — *ii, qui audiunt*] *hi qui aud.* ed. pr. Lg. praeter 20. 35. 53. 56. — *audiant* Ernestus, et sic Lg. 20. Vat. — *volgi*] scripsi secundum Lg. praeter 20. 56., item Ven. 1. Ott. — *iudicari*] *inclinari* Gu. 1.

L. 186. *volgi*] sic eidem, qui §. 185. — *hunc alius*] *hunc aliquis* Gu. 1. Par. D. — *nemone*] *nemo ut* Pal. *nemone ut* coni. Ern.

187. *tibicen Antigenidas*] *tibi cenati anggenidas* Gu. 1. —

ut qui audient quid efficiatur, ego etiam cur id efficiatur intellegam. credit his quae dicuntur qui audit oratorem: vera putat assentitur probat; fidem facit oratio. 188. Tu artifex quid quaeris amplius? delectatur audiens multitudo et ducitur oratione et quasi voluptate quadam perfunditur. quid habes, quod disputes? Gaudet dolet ridet plorat favet odit contemnit invidet ad misericordiam inducitur, ad pudendum ad pigendum; irascitur miratur sperat timet: haec perinde accidunt, ut eorum qui assunt mentes verbis et sententiis et actione tractantur. quid est quod exspectetur docti alicuius sententia? quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est. Denique hoc specimen est popularis iudici, in quo nunquam fuit populo cum doctis intellegentibusque dissensio. 189. cum multi essent oratores in vario genere dicendi, quis unquam ex his excellere iudicatus est volgi iudicio, qui non idem a doctis probaretur? Quando autem dubium fuisset apud patres nostros eligendi cui patroni daretur optio quin aut Antonium optaret aut Crassum?

187. *audient*] audiant. — *his*] iis.

audient] sic mei omnes et ed. pr.; *audiant* Ern. V. Explic. ad Cic. de Or. II. 43, 182. — *intellegam*] Lg. 8. 39. 51. Ott. — *credit his*] sic Lg. praeter 20., item Gu. 1. Ven. 1.

188. *assunt*] sic Lg. 20. 56. 58. 68. 70. — *irascitur, miratur*] speciose, sed inutiliter Sch.: *irascitur, mitigatur*, quod in Oratore exstat c. 38. Idem tamen totum locum sic diffingebat audacius: *gaudet, dolet; ridet, plorat; favet, invidet; diligit, odit; admiratur, contemnit.* — *perinde*] *proinde* Lambinus, probatum Meyero. V. Explic. ad de Or. III. 20, 74. — *intellegentibusque*] sic Lg. 8. 51. Ott.

189. *ex his*] *iis* Lg. 56., ut Orellius et Meyerus illius pronominis hostes voluerunt. — *volgi*] sic Lg. omnes praeter 20. 56., item Ott. et ed. pr. — *aderant*] *at erant* Ern. Sch. praeter necessitatem. — *quin*] *an* Ern. vult, sententia non intellecta. —

Aderant multi alii: tamen utrum de his potius dubitasset aliquis, quin alterum nemo. Quid? adolescentibus nobis cum esset Cotta et Hortensius, num quis, quoi quidem eligendi potestas esset, quemquam his anteponebat?

LI. 190. Tum Brutus, Quid tu, inquit, quaeris alios? de te ipso nonne quid optarent rei, quid ipse Hortensius iudicaret videbamus? qui cum partiretur tecum causas (saepe enim interfui), perorandi locum, ubi plurumum pollet oratio, semper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem, inquam: et mihi benevolentia, credo, ductus tribuebat omnia. Sed ego quae de me populi sit opinio nescio: de reliquis hoc affirmo, qui volgi opinione disertissumi habiti sint, eosdem intellegentium quoque iudicio fuisse probatissumos. 191. Nec enim posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum clarum poëtam ferunt: qui cum convocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod novistis, volumen suum et eum legentem omnes praeter Platonem reliquissent, *Legam*, inquit, *nihilo minus: Plato enim mihi unus instar est omnium.* Merito

191. *clarum*] Clarium. — *merito ille*] millium.

quid] *qui* Lg. omnes praeter 20.; in quo est *quin;* correctum tamen est in 35. 56. — *quoi*] dedi pro *cui*, cum et diserte scriptum exstet in Lg. 35. 68. 70. Ott. eodemque ducat *quo* in Lg. 8. 20. 39. 51. 56. 58. Gu. 1. — *esset*] *essent* coni. Ern., quam ed. pr. probari dicunt; Lagomarsinus nihil enotavit.

LI. 190. *faciebat*] *favebat* ed. pr. — *volgi*] sic eidem, qui §. 189. — *habiti sint*] *h. sunt* ed. pr. Lg. 20. 35. — *intellegentium*] sic Lg. 8. 51.

191. *clarum*] sic codd. et ed. pr. Ab Ascensio inde scriptum a multis *Clarium.* Non id agebat Cicero, ut Antimachi patriam commemoraret idque denominatione quasi obliqua et poëtica faceret; claros poëtas cum oratoribus claris confert. — *legeret eis*] *eis* deletum ibat Wetzelius. — *omnium. Merito ille et recte*] sic ed. pr. nescio an ab interpolatore, dum intelligeretur unde *illum*.

ille et recte. poëma enim reconditum paucorum approbationem, oratio popularis assensum volgi debet mereri. At si eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demosthenes, cum esset relictus a ceteris, verbum facere non posset. 192. Quid? tu, Brute, possesne, si te ut Curionem quondam contio reliquisset? Ego vero, inquit ille, ut me tibi indicem, in eis etiam causis, in quibus omnis res nobis cum iudicibus est, non cum populo, tamen, si a corona relictus sim, non queam dicere. Ita se, inquam, res habet: ut, si tibiae inflatae non referant sonum, abiciendas eas sibi tibicen putet, sic oratori populi aures tanquam tibiae sunt; eae si inflatum non recipiunt aut si auditor omnino tanquam equus non facit, agitandi finis faciendus est.

192. *possesne*] posses.

in codd. fluxerit, nisi ex *ille*. Quippe libri *omnium me illum et recte*, modo varie distinguentes. Hinc Aldus Nepos coniecit *omnium millium. Et* &., in qua suspicione vitiosum est *omnium; multorum millium* Camerarius; *omnium illûm* (pro *illorum*, quod ipsum Turnebo placuerat) Lipsius Antiq. Lectt. II. 22.; Lennepius in Phalarin p. 292. *hominum mille* s. *millium;* Torkillus Baden in Iahnii Annall. a. 1833. Supplem. vol. III. fasc. 3. *omnium me linquentium;* Orellius *centum millium;* Ochsnerus *omnium. Nimirum recte.* Quod Meyerus dicit *et* in vulgata scriptura sententia idonea carere, falsum est. *Καὶ ὀρθῶς γε* num ipsum quoque sine sententia? — *volgi*] sic qui §. 189. — *mereri*] id ed. pr. habere dicitur et probavit Rivius. Lagomarsinus nihil enotavit. Libri omnes *moveri*, nec minus probabile Corradum sequi *movere* corrigentem.

192. *Quid? tu, Brute, possesne*] hanc interpunctionem ab Heusingero inde et Ernesto receptam vituperavit Matthiae ad Cic. p. Roscio 33, 92. diversissima comparans. Quippe ut recte coniungatur *quid* cum sequentibus, velut *quid tu, Brute?* necessario assumitur verbum aut ex prioribus sequentibusve aut simili significatione praeditum. Velut Tusc. I. 15, 34.: *loquor de principibus. Quid poëtae? nonne post mortem nobilitari volunt?* Subaudi *volunt*, aut *faciunt;* certe tale verbum addi opus. 24, 56.: *quid*

LII. 193. Hoc tamen interest, quod volgus interdum non probandum oratorem probat, sed probat sine comparatione: cum a mediocri aut etiam a malo delectatur, eo est contentus, esse melius non sentit; illud, quod est, qualecunque est, probat. tenet enim auris vel mediocris orator, sit modo aliquid in eo: nec res ulla plus apud animos hominum, quam ordo et ornatus orationis valet. 194. Quare quis ex populo, cum Q. Scaevolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea causa, de qua ante dixi, quicquam politius aut elegantius aut omnino melius aut exspectaret, aut posse fieri putaret? 195. cum is hoc probare vellet, M' Curium, cum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset, quam in suam tutelam venisset, pupillo non nato heredem esse non posse: quid

illa tandem? num leviora censes? sc. *quid illa tandem censes*, i. e. qualia esse censes. Euripideum autem illud, quod commemorat, Iph. Aul. 1238. non distinguemus *τί δ'; ἆρ' ἐγώ σε πρέσβυν ἆρ' ἐςδέξομαι;* quippe propter iteratum *ἆρα*, sed sane sic: *τί δ' ἆρ' ἐγώ; σὲ πρέσβυν ἆρ' ἐςδέξομαι;* nam *ὀρθοτονητέον* illud *σέ* in talibus, v. lex. Soph. v. *ἐγώ* et *σύ*. In Bruto non potest dici *quid tu Brute faceres?* sed cum Demosthenes dictus esset verbum sine corona facere non posse, ad Brutum conclusione transitur; *dic porro*, inquit, *possesne tu?* Ceterum *possesne, si* primus Gulielmus scripsit ex codd. Pal.; iuvant nunc Gu. 1. 2. Lg. 8. 39. 51. 56 corr. 58. 68., in quibus est *posses, nisi*. Rell. *posses, si*, itaque ed. pr. *posses*, om. *si* Par. D. — *contio*] per *t* Lg. praeter 20. 35. 70., item Ven. 1. Ott. Gu. 1. — *abiciendas*] sic, non *abiic*. Lg. 8. 20. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Gu. 1. V. C. Cr. in Cic. de Or. I. 42, 189. — *facit, agitandi*] *favet, agendi* ed. pr. et p. var. in Ven. 2. *cum illo, tanquam equus, non facit* Lambinus, *tanquam equus novus non facit* Moserus pari infelicitate coniectandi; *paret* Wetzelius.

LII. 193. *oratorem probat*] *oratorem* om. ed. pr. — *volgus* v. §. 189. — *a malo*] *a* om. Lg. praeter 20. 58. et ed. pr. Lubrica res: v. Comm. Cr. in de Or. I. 9, 36. — *delectatur*] *delectetur* Gu. 1.

194. *posse fieri*] inv. ed. pr.; sequitur Meyerus.

195. *M' Curium*] *M.* aut *Marcum* libri omnes. — *quem*

ille non dixit de testamentorum iure, de antiquis formulis? quem ad modum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres institueretur? 196. quam captiosum esse populo quod scriptum esset neglegi et opinione quaeri voluntates et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere? 197. quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper ius illud esse defenderat? quam omnino multa de conservando iure civili? quae quidem omnia cum perite et scienter tum ita breviter et presse et satis ornate et pereleganter diceret, quis esset in populo, qui aut exspectaret aut fieri posse quicquam melius putaret?

LIII. At vero, ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum repperisset ob eamque rem aedificare navem concupivisset, exorsus est, similiter Scaevolam ex uno scalmo captionis centumvirale iudicium hereditatis effecisse: hoc ille initio consecutus multis eiusdem generis sententiis delectavit animosque omnium, qui aderant, in hilaritatem a severitate traduxit: quod est unum ex tribus, quae dixi ab oratore effici debere. deinde hoc voluisse eum, qui testamentum fe-

196. *captiosum esse*] captiosum esset.

ad modum] *quid? q. a. m.* ed. pr. sequente Or. et Meyero; sed liber nullus, ut videtur; nec ratio est, et quia sequitur *quam captiosum esse*, non *quid? quam captiosum*, et quia sic legentes ex prioribus subaudituri essent *quid ille non dixit?*

196. *captiosum esse*] *esset* Ernestus & contra omnium librorum fidem et cum gravi soloecismo. — *scriptum esset*] *scr. est* ed. pr. — *neglegi*] sic Lg. 8. 51. 58. Ott.

197. *omnino*] *omnia* ed. pr. — *ita breviter*] sic codd. et edd., praeter Lg. 51., qui *ita caute;* explica *ita, ut nosti*, s. *illa, quam nosti, brevitate*, ἠθικῶς: v. Hand. Tursell. III. p. 490. *et breviter* Aldus; probat Sch.

LIII. *ut contra Crassus*] *contra Crassus ut* Gu. 1. — *repperisset*] sic per *pp* Lg. praeter 39. 58. 70., item Ven. 1. Ott. —

cisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret, sive non natus, sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerosque et id valere et valuisse semper. Haec et multa eiusmodi dicens fidem faciebat: quod est ex tribus oratoris officiis alterum. 198. Deinde aequum bonum testamentorum sententias voluntatesque tutatus est; quanta esset in verbis captio cum in ceteris rebus tum in testamentis, si neglegerentur voluntates; quantam sibi potentiam Scaevola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea, nisi de illius sententia. haec cum graviter tum ab exemplis copiose, tum varie, tum etiam ridicule et facete explicans eam admirationem assensionemque commovit, dixisse ut contra nemo videretur. hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maxumum. Hic ille de populo iudex, qui separatim alterum admiratus esset, idem audito altero iudicium suum contemneret: at vero intellegens et doctus audiens Scaevolam sentiret esse quoddam uberius dicendi genus et ornatius. ab utroque autem causa perorata si quaereretur uter praestaret orator, nunquam profecto sapientis iudicium a iudicio volgi discreparet.

197. *hoc ille initio*] hoc in illo initio. — *veniret*] venisset.

ob eamque] *que* om. Lg. 20. — *hoc ille initio*] hanc meam olim coniecturam firmant ed. pr. et liber Ottobonianus. *hoc in illo initio*, quae codd. cett. et vulgata scriptura, ferri non potest; *in* deleverunt Ern. et Orell. — *consecutus*] *consecutis* Gu. 1. — *veniret*] *venisset* ed. Ven. probatum Ernesto sine causa: sic et mox. Par discrepantia est in eadem quidem et simillimis verbis sententia de Or. I. 39, 180. — *ex tribus*] *ex* om. Lg. 8. 39. 51. 56 add. *e.* 58., item Ven. 1. — *oratoris*] *oratoriis* Lg. 20.

198. *neglegerentur*] sic Lg. 8. 20. 51. 58. 68. *negligenter* Gu. 1. — *graviter, tum*] *gr. cum* Lg. praeter 8. — *facete*] *facile* Gu. 1. ed. pr. — *maxumum*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. Vat. — *contemneret*] *contemnetur* ed. pr. — *intellegens*] sic Lg. 8. 39. 51. Ott. — *volgi*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 68. 70.

LIV. 199. Qui praestat igitur intellegens imperito? Magna re et difficili: si quidem magnum est scire quibus rebus efficiatur amittaturve dicendo illud quicquid est, quod aut effici dicendo oportet aut amitti non oportet. Praestat etiam illo doctus auditor indocto, quod saepe, cum oratores duo aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optumum sit, intellegit. nam illud quod populo non probatur, ne intellegenti quidem auditori probari potest. Ut enim ex nervorum sono in fidibus quam scienter ei pulsi sint intellegi solet: sic ex animorum motu cernitur quid tractandis his perficiat orator. 200. Itaque intellegens dicendi existumator non assidens et attente audiens, sed uno aspectu et praeteriens de oratore saepe iudicat. videt oscitantem iudicem, loquentem cum altero, non nunquam etiam circulantem: mittentem ad horas, quaesitorem, ut dimittat, rogantem: intellegit oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis iudicum admovere orationem, tanquam fidibus manum. Idem si praeteriens aspexerit erectos intuentes iudices, ut aut doceri de re idque etiam voltu probare videantur aut, ut avem cantu aliquo, sic illos viderit oratione quasi suspensos teneri aut, id quod maxume

LIV. 199. *intellegens*] ut §. 198. — *amittaturve*] *amittaturne* Gu. 1. — *dicendo oportet*] *dicendo* ex prioribus iniuria iteratum putat Meyer; nobis vis sententiae iterationem postulare videtur. — *intellegit*] sic Lg. 8. 35. 51. 70. et mox *intellegenti* 8. 51. Ott., item *intellegi*. — *optumum*] sic Lg. 8. 51. 53. — *ne intellegenti*] *nec intell.* Gu. 1. — *ei pulsi*] *ii p.* Lg. 20. — *his*] *iis* Gu. 1.

200. *intellegens*] sic Lg. 8. 39. 51. — *aspectu*] sine *d* codd. omnes. — *circulantem*] *calculantem* ed. pr. — *ut dimittat*] *et dim.* Gu. 1. — *intellegit*] Lg. 8. 51. Ott. *intelligat* 20. *intelliget* 70. — *aspexerit*] sine *d* omnes libri. *aspectus erit* Lg. 70. — *intuentes*] i. e. oculis in iudicem fixis. Ern. coni. *intentos*. — *voltu*] sic Lg. praeter 20. 39. 56., item Ott. Vat. Ven. 2. — *vi-*

opus est, misericordia odio motu animi aliquo perturbatos esse vehementius: ea si praeteriens, ut dixi, aspexerit, si nihil audiverit, tamen oratorem versari in illo iudicio et opus oratorium fieri aut perfectum iam esse profecto intelleget.

LV. 201. Cum haec disseruissem, uterque assensus est. Et ego tanquam de integro ordiens, Quando igitur, inquam a Cotta et Sulpicio haec omnis fluxit oratio, cum hos maxume iudicio illorum hominum et illius aetatis dixissem probatos, revertar ad eos ipsos; tum reliquos, ut institui, deinceps persequar. Quoniam ergo oratorum bonorum, hos enim quaerimus, duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium: etsi id melius est, quod splendidius et magnificentius, tamen in bonis omnia, quae summa sunt, iure laudantur. 202. Sed cavenda est presso illi oratori inopia et ieiunitas, amplo autem inflatum et corruptum orationis genus. Inveniebat igitur acute Cotta, dicebat pure ac solute: et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum: illudque

deantur] *videntur* Gu. 1. — *quod maxume opus*] *cum maxime o.* Lg. omnes. *est* om. Gu. 1. *maxume* Lg. 58. Ott. — *aspexerit*] sine *d* libri. — *si nihil audiverit*] *etsi* Orell., vitiose; oportebat enim *etiam si.* *audiverit* Lg. omnes, Ven. 1. Vat. Ott. Gu. 1. Par. D. Lambinus. — *intelleget*] Lg. 8. 51. Ott.

LV. 201. *cum — disseruissem*] *tum — deseruissem* Gu. 1. — *quando*] *quoniam* vult Orellius; sed idem significare posse *quando* secundum Charisium docuit Wolfius ad Cic. Tusc. IV. 15, 34. — *maxume*] Lg. praeter 20. 39. 56., it. Ott. Vat. — *persequar*] *prosequar* ed. pr. — *hos enim*] *quos* Ven. 1. Lg. praeter 35. sec. m. *enim* om. 20.

202. *dicendi accommodabat*] inv. Lg. 39. Ven. 1. — *maxu-*

maxumum, quod, cum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati. 203. Fuit enim Sulpicius vel maxume omnium, quos quidem ego audiverim, grandis et, ut ita dicam, tragicus orator. vox cum magna tum suavis et splendida; gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur; incitata et volubilis, nec ea redundans tamen nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari; Cotta malebat Antonium: sed ab hoc vis aberat Antoni, Crassi ab illo lepos. 204. O magnam, inquit, artem, Brutus: si quidem istis, cum summi essent oratores, duae res maxumae, altera alteri defuit.

LVI. Atque in his oratoribus illud animadvertendum est posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. nihil enim tam dissimile quam Cotta Sulpicio, et uterque aequalibus suis plurumum praestitit. Quare hoc doctoris intellegentis est videre quo ferat natura sua quemque et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem

mum] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Ott. — *cum contentione*] *cum* om. Gu. 1.

203. *maxume*] ut §. 202., praeter Lg. 35. — *omnium*] om. Lg. 8. 39. 51. 56. 58. Gu. 1. — *audiverim*] *audierim* Lg. 35. — *cum magno*] *tum m.* Gu. 1. — *nec ea*] *nec ita* Gu. 1. — *Crassum hic volebat imitari*] *Cr. hic, ut mihi videtur vol. im.* ed. pr. — *Antoni*] Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 70. Vat.

204. *artem, Brutus*] inv. ed. pr. — *maxumae*] sic Lg. praeter 20. 56.

LVI. *Sulpicio*] *Sulpicii* corrigit Madvig. in Cic. Fin. p. 633. — *plurumum*] *multum* Lg. 39. *u* retinui sine libris. Paulo ante Lamb. *at uterque*, contra libros et ed. pr. — *intellegentis*] Lg. 8. 51. Ott. — *lenissumo*] *levissumo* Lg. 35. 70. Ottob. corr. — *calcaria*] *calcar* ed. pr.

205. *Sulpici*] Lg. 8. 35. 51. 53. 70. Vat. — *consuesse*] *consuevisse* Gu. 1. ed. pr. — *scripsit*] sic omnes libri; edd. quaedam vett. et Gron. *scribit*, perquam inepte. — *vir*] *ut* Gu. 1. — *in inventis*] *in* om. Gu. 1.

in acerrumo ingenio Theopompi et lenissumo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. 205. Sulpici orationes quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Canutius putatur aequalis meus homo extra nostrum ordinem meo iudicio disertissumus. Ipsius Sulpici nulla oratio est: saepeque ex eo audivi, cum se scribere neque consuesse neque posse diceret. Cottae pro se lege Varia quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu. Fuit is omnino vir egregius, et eques Romanus cum primis honestus, idemque eruditissumus et Graecis literis et Latinis antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum literate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese, vir ingenio praestans omnique doctrina, pluribus et illustrioribus literis explicavit. 206. Sed idem Aelius Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit. scribebat tamen orationes, quas alii dicerent, ut Q. Metello, ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo. quanquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. 207. his enim

206. *Q. Metello*] Q. Metello F.

206. *esse voluit*] *esse* om. Gu. 1. — *orator*] *oratori* ed. pr. — *Q. Metello*] aut delendum, quod sequi solet, *F.*, aut cum Lambino scribendum *Balearici F.* Nam quod exemplum opposuit Orellius ex c. 62, 222. *Q. Catulum filium*, id vero totum dissimile. Sic dicere Cicero potuit propter patrem & filium viros clarissimos et eodem plane nomine praeditos, Q. Catulum Cimbrorum cum Mario victorem et Q. Catulum principem senatus. Sed Metelli et plures fuerunt et agnominibus distincti, nec Q. Metellus Nepos Balearici F. cos. a. 656 vel Q. Metellus Pius Numidici F. adeo clari fuerunt, ut nulla nota addita intelligi uter dicatur possit. — *ut Q. Pompeio*] *et Q. Pompeio* ed. pr.

scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adolescens eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror summum ipsum oratorem minimeque ineptum Aelianas levis oratiunculas voluisse existumari suas.

LVII. His duobus eiusdem aetatis annumerabatur nemo tertius: sed mihi placebat Pomponius maxume; vel dicam, minime displicebat. Locus erat omnino in maxumis causis praeter eos, de quibus supra dixi, nemini: propterea quod Antonius, qui maxume expetebatur, facilis in causis recipiendis erat; fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat; horum qui neutrum habebat confugiebat ad Philippum fere aut ad Caesarem; Cotta et Sulpicius [secundum Philippum & Caesarem] expetebantur. Ita ab his sex patronis causae illustres agebantur; neque tam multa quam nostra aetate iudicia fiebant neque hoc, quod nunc fit, ut causae singulae defenderentur a pluribus, quo nihil est vitiosius. 208. Respondemus eis, quos non audivimus: in quo primum saepe aliter est dictum, aliter ad nos relatum; deinde magni interest coram videre me quem ad modum adversarius de quaque re asseveret, maxumi autem, quem ad modum quae-

207. [*secundum Philippum et Caesarem*] sine uncis. — *ab his*] ab iis.

207. *scriptis*] *scribendis* Lambinus speciose. Dicit ad lectionem recens scriptarum admissum se. — *levis*] sic Lg. omnes, Ven. 2. Ott. Gu. 1. ed. pr.

LVII. *expetebatur*] *exspectabatur* Gu. 1. ed. pr. — *Cotta et*] *et* om. Lg. 8. 51. 56. 58. ed. pr. *etiam* Lg. 70. — *expetebantur*] *exspectabantur* Lg. 20. Lambinus interposuit *secundum Philippum et Caesarem*, profecto haud inepte. Clarum est enim ordinem oratorum recensendorum eum observari a Cicerone, ut primo loco nobilissimis nominatis descendatur ad ignobiliores. Minime igitur convenit Cottam et Sulpicium laudibus supra Caesarem et Philippum efferre, quibus haud dubie essent inferiores. Retinui igitur, sed seclusi a Ciceronianis. v. 47, 173. cf. 50, 186.

que res audiatur. sed nihil vitiosius, quam, cum unum corpus debeat esse defensionis, nasci de integro causam, cum sit ab altero perorata. 209. Omnium enim causarum unum est naturale principium, una peroratio: reliquae partes quasi membra suo quaeque loco locata suam et vim et dignitatem tenent. Cum autem difficile sit in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conveniat: quanto difficilius cavere ne quid dicas, quod non conveniat eius orationi, qui ante te dixerit? Sed quia et labor multo maior est totam causam quam partem dicere et quia plures ineuntur gratiae, si uno tempore dicas pro pluribus, idcirco hanc consuetudinem lubenter ascivimus.

LVIII. 210. Erant tamen quibus videretur illius aetatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse verbis utebatur et quia Latine non pessume loquebatur usu, credo, aliquo domestico; nam literarum admodum nihil sciebat. Sed magni interest quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quem ad modum patres, paedagogi, matres etiam loquantur. 211. Legimus epistolas Corneliae matris Gracchorum: apparet

48, 177. — *ab his*] sic Lg. praeter 26. 35., Ven. 1. 2. Gu. 1. ed. pr. Vulgo *iis*.

208. *quaque re*] *re* om. Gu. 1. — *maxumi*] est Buttmanni coni. Act. Soc. Ien. I. 45. Libri et edd. *maxime*.

209. *loco*] om. Gu. 1. — *suam et vim*] sic codd. et ed. pr. Lamb. *suam vim*. — *sibi ipse*] *tibi ipsi* Ern. maluit propter sequens *dicas*, Beierus *sibi ipsi*. Sententia subiectam habet notionem generalem, *aliquis*, *τὶς*, quippe *qui dicit;* deinde sensim deflectit ad praeceptum dicenti dandum, quare sequitur *ne quid dicas*. V. quae contulimus in Explic. in de Or. i. 8, 30. coll. Bernhardy Synt. Gr. p. 419. — *lubenter*] *libenter* ed. pr. Lamb. Gu. 1. Lg. 20. 35. 39. 68. — *ascivimus*] *d* add. Lg. praeter 39. 56., ita et §. 211., ubi accedit 35.

LVIII. 210. *pessume*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 70. Ott.

filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. Auditus est nobis Laeliae C. F. saepe sermo: ergo illam patris elegantia tinctam vidimus et filias eius Mucias ambas, quarum sermo mihi fuit notus, et neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem. Ego vero, ac lubenter quidem, inquit Brutus; et eo lubentius, quod L. Crassi erat filia. 212. Quid Crassum, inquam, illum censes, istius Liciniae filium, Crassi testamento qui fuit adoptatus? Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse, inquit; et vero hic Scipio, collega meus, mihi sane bene et loqui videtur et dicere. Recte, inquam, iudicas, Brute. et enim istius genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum. Nam et de duobus avis iam diximus Scipione et Crasso et de tribus proavis Q. Metello, cuius quattuor filii, P. Scipione, qui ex dominatu

213. [*atque illuminatam*] sine uncis. — *ex his*] ex iis.

211. *non tam in*] *in* om. codd. mei omnes praeter Ott. Gu. 1. — *Laeliae C. F.*] *C.* om. Lg. omnes, Ven. 1. Ott., in quo scriptum in margine, ed. pr. *Gay* Gu. 1.

212. *et vero hic Scipio*] *et hic nò* (= noster) *hic Scipio* Gu. 1. — *bene et loqui*] *et bene loqui* ed. pr. — *et enim*] sic Lg. 8. 39. 51. 56. 58. 70. Ven. 1. — *avis*] om. Gu. 1. — *quattuor*] sic Lg. praeter 8. 20. 51. 70.; IIII 20. *quattuor filii consulares* mavult Orellius, sine causa; Macedonicus enim Metellus etiam aliis locis quattuor filiis insignis dicitur, nullo ultra additamento, ut Tusc. I. 35, 85. — *Ti. Gracchi*] *Ti.* om. Lg. omnes, Ven. 1. — *percomis*] *patronus* ed. pr. al. *pertonus* Gu. 1., unde via corruptelae patet. Rivio illa scriptura placebat; Scaevola autem in patronorum numero non fuit, sed comis sane habitus est: v. de Or. I. 55, 234. Att. IV. 16. Phil. VIII. 18.

213. *C. Laeli*] *Cai* Lg. 39. *Laeli* vel *Leli* Lg. praeter 20. 56., item Ott. — *plura genera*] sc. pomorum; *germina* inutilis Orelli suspicio. — *in istam domum*] *mistam demum* Lg. 53. *mixtam demum* 70. — *insitam* [*atque illuminatam*] *atque illuminatam*

Ti. Gracchi privatus in libertatem rem publicam vindicavit, Q. Scaevola augure, qui peritissumus iuris idemque percomis est habitus. 213. Iam duorum abavorum quam est illustre nomen, P. Scipionis, qui bis consul fuit, qui est Corculum dictus, alterius omnium sapientissumi C. Laeli! O generosam, inquit, stirpem et tanquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam [atque illuminatam] sapientiam!

LIX. Similiter igitur suspicor, ut conferamus parva magnis, Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum: et eo magis hoc iudico, quod neminem ex his quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. 214. Nullum ille poëtam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat; non publicum ius, non

214. *hoc quidem*] id quidem.

s. *inlum.* librorum fere omnium et ed. pr. scriptura corruptissima. *illiminatam* Lamb., idque ipsum habet Lg. 68. *illigatam* placuit Ern., Sch., Meyer., Furlanetto in ed. nov. thesauri Forcelliniani. Est hoc proprium de insitione arborum: itaque cur sordidum videatur et indignum Cicerone, quod est Bernhardyi iudicium, non magis intelligo, quam si de vocabulo *insitus* idem iudicaretur, quod nemo facit. Quod ipse coniecit, *instillatam*, vereor ut quisquam intelligat. Qui potest enim hominum sapientia in familiam ipsam, cuius illi fuerunt, *instillata* dici? Ego sive *illiminatam* sive *illigatam* interpretis manum esse puto per *atque* adiectam Ciceronianis: v. C. Cr. in de Or. II. 33, 144. et Bernhardy ad Brut. 46, 172.

LIX. *sermone*] *sermoni* Lambinus commendavit; Cicero *assuefacere* dixit cum ablativo. — *ex his quidem*] *his* pro *iis* dedi ex Lg. praeter 20. 35. 56., item Gu. 1. *quidem* additum indicat scriptorem cum illis hominibus aliquid necessitudinis habere; id quod melius iudicatur pronomine demonstrativo.

214. *noverat*] Gu. 1. Par. D. *viderat.* — *hoc quidem*] scripsi

privatum et civile cognoverat: quanquam hoc quidem fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium. sed ei tamen unum illud habebant dicendi opus elaboratum: idque cum constaret ex quinque notissumis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat. in quacunque enim una plane clauderet, orator esse non posset. 215. Sed tamen alius in alia excellebat magis. Reperiebat quid dici opus esset et quo modo praeparari et quo loco locari, memoriaque ea comprehendebat Antonius: excellebat autem actione; erantque ei quaedam ex his paria cum Crasso quaedam etiam superiora. At Crassi magis enitebat oratio. Nec vero Sulpicio neque Cottae dicere possumus neque cuiquam bono oratori rem ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse. 216. Itaque in Curione hoc verissume iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia. nam cum tardus in cogitando tum in instruendo dissipatus fuit.

214. *clauderet*] claudicaret.

pro *id quidem*, quia *hic* est in Lg. omnibus et Ven. 1.; in 20. 56. correctum est *hoc*. — *parum*] *quidem parum* Lg. 20. — *ei tamen*] *ei* dedi ex Lg. praeter 20. 68. 70., item Gu. 1. Meyerus *ei* in annotatione, *ii* in verbis scriptoris. — *clauderet*] *claudicaret* ed. pr. et vulgo; lectius illud praebuere Par. D. Gu. 1. 2. Lg. 8. 51. 70., in 8. 70. cum corr. *claudicaret*, item Ven. 1. Ottob. (in marg. *claudicaret*); *claudaret* 39. *clauderetur* 58.

215. *reperiebat*] *reperiebatque* ed. pr. — *quo modo*] divisim Lg. 8. 56. Ott. — *praeparari*] codd. omnes *praeparare*; correxit Ernestus. — *erantque*] *erant* Gu. 1. Par. D. — *enitebat*] *nitebat*, minus aptum illud comparationi, ed. pr. Gu. 1. Ott. Ven. 1. Lg. omnes praeter 35. — *rem ullam*] *rem* delevit Lamb. probatus Wetzelio aliisque.

216. *tardus in cogitando*] *in cog. tardus* Par. D. — *in*

LX. Reliqua duo sunt, agere et meminisse. in utroque cachinnos irridentium commovebat. Motus erat is, quem et C. Iulius in perpetuum notavit, cum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante quaesivit, *quis loqueretur e lintre;* et Cn. Sicinius homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris simile quicquam: 217. is cum tribunus plebis Curionem et Octavium consules produxisset Curioque multa dixisset sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus, *Nunquam*, inquit, *Octavi, collegae tuo gratiam referes: qui nisi se suo more iactavisset, hodie te istic muscae comedissent.* Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquotiens, tria cum proposuisset, aut quartum adderet aut tertium quaereret: qui in iudicio privato vel maxumo, cum ego pro Titinia Cottae peroravissem, ille contra me pro Ser. Naevio diceret, subito totam causam oblitus est idque veneficiis et cantionibus Titiniae factum esse dicebat. 218. Magna haec immemoris ingeni signa: sed nihil

instruendo] *in struendo* ed. pr. Lg. 39. 51. Ven. 1. Contra *in* om. Lg. cett. praeter 20., item Gu. 1. —

LX. *loqueretur*] *loquetur* ed. pr. Lg. praeter 51. — *e lintre*] *eluntre*, *elūtre*, *aeluntre*, *eluntrix*, *elumbre* Lg. praeter 56.; item Vat. Gu. 1. — *Sicinius*] *Sitinius* Gu. 1. — *oratoris*] *oratori* Lg. praeter 20., in quo est *oratore;* sed *oratoris* Ven. 1. Ott.

217. *is*] add. *enim* ed. pr. Meyer. — *artuum*] om. Lg. 35. Ven. 2. *artium* 70. *aurium* ed. pr. — *gratiam*] *gratias* Lg. 35. — *aliquotiens*] formam unice Ciceronianam Lg. omnes, Ven. 1. 2. Ott. Gu. 1. — *maxumo*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 58. 68. 70. — *Titinia*] *ticinia* Lg. 20. *cecinna* Gu. 1. — *peroravissem*] *procuravissem* Gu. 1. — *Ser. Naevio*] *Sex. Naevio* Lamb. ex or. p. Quinct. 1.; sed incertum num idem sit. Codd. *neuio*, ut solent. — *Titiniae*] *ticiniae* Lg. 20. *tinie* 70 corr.

218. *ingeni*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *obliviscebatur*] sic

turpius, quam quod etiam in scriptis obliviscebatur quid paulo ante posuisset; ut in eo libro, ubi se exeuntem e senatu et cum Pansa nostro et cum Curione filio colloquentem facit [cum senatum Caesar consul habuisset] omnisque ille sermo ductus est e percontatione filii quid in senatu esset actum: in quo multis verbis cum inveheretur in Caesarem Curio disputatioque esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum, cum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Caesar consul habuisset, reprehendit eas res, quas idem Caesar anno post et deinceps reliquis annis administravisset in Gallia.

LXI. 219. Tum Brutus admirans, Tantamne fuisse oblivionem, inquit, in scripto praesertim, ut ne legens quidem unquam senserit quantum flagiti commisisset? Quid autem, inquam, Brute, stultius, quam, si ea vituperare volebat quae vituperavit, non eo tempore instituere sermonem, cum illarum rerum iam tempora praeterissent? Sed ita totus errat, ut in eodem sermone dicat in senatum se Caesare consule non accedere, sed id dicat ipso consule exiens e senatu. Iam qui hac parte animi, quae custos est ceterarum ingeni partium, tam debilis esset, ut ne in scripto quidem meminisset quid paulo ante posuisset, huic minime mirum est ex tempore dicenti solitam effluere mentem. 220. Itaque cum ei nec officium deesset et flagraret studio dicendi, perpaucae ad eum causae deferebantur. Orator autem vivis eius aequalibus proxumus optumis numerabatur propter verborum bonitatem, ut ante dixi, et expeditam ac profluentem quodam modo celeritatem. Itaque eius orationes aspiciendas tamen censeo. sunt illae quidem languidiores, verum tamen possunt augere et quasi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuisse concedimus: quod habet tantam vim, ut solum sine aliis in Curione speciem oratoris alicuius effecerit. Sed ad instituta redeamus.

LXII. 221. In eodem igitur numero eiusdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentissumi viri filius, non satis

218. [*cum senatum Caesar consul habuisset*] sine uncis. — *ductus est*] ductus.

219. *in senatum*] in senatu.

codd. Lg. Ven. 1. 2. ed. pr.; Manutius *oblivisceretur.* — *ille sermo*] inv. ed. pr. — *percontatione*] sic Lg. omnes praeter 53., nisi quod *percontatio* 39., item Gu. 1. Ott. *perconctatione* Ven. 2. — *ductus est*] *est* om. libris omnibus scripsi cum Orellio; Lamb. *esset.* Facile excidit *est (ē)* propter sequens *e.* — *cum sermo — consul habuisset*] haec cum prioribus, quibus plane eadem eisdem fere verbis dicuntur, collata intolerandam *βαττολογίαν* habent. Seclusit ea Ern.; sed melius Sch. & Orell. superiora illa, *cum senatum Caesar consul habuisset.* „Nam primordium narrationis, quam Cicero per anfractus sermonis familiaris iusto longius diduxit, *ubi se exeuntem — esset actum,* id totum scenam quandam et opportunitatem colloquii repraesentat, cuius ad rationem aut nihil interfuit causam afferri senatus, aut, si tamen eam promi visum est, continuo sub *e senatu* oportuit illa proponi, *cum senatum consul habuisset.* At inferiore loco, cum in progressu disputationis quantum Curio per ignaviam lapsus esset quantumque sibi ipse repugnasset monstrari debuerit, non satis manifestum fit flagitium illud, nisi mentio fiat de Caesare consule planissuma.“ *Bernhardy.*

LXI. 219. *praeterissent*] sic Lg. praeter 20. omnes, Ven. 1. Gu. 1. ed. pr. *praeteriissent* Ern. sqq. — *in senatum*] Lambini haec scriptura firmatur Lg. 20. 35. 56. Rell. et edd. vett. *in senatu.* Mox ed. pr. *sed et id dicat: ipse cos. exiens e senatu.*

220. *proxumus*] sic Lg. praeter 20. 56., item Ott. — *optumis*] sic Lg. praeter 20. 39. 56. 58. *oportunis* 58. — *bonitatem*] *varietatem* ed. pr. — *ac profluentem*] *et profl.* Gu. 1. — *quodam modo*] divisim, ut semper scribendum, Lg. 8. 39. 70. — *aspiciendas*] libri omnes sine *d.* — *mediocriter*] *mediocre* Schneideri suspicio ep. ad Langerum p. 30. Recte dicit Bernhardy, id Curionis huic quantulocunque bono non nihil etiam detrahere. Nam cum bonum in aliquo *mediocriter* dicitur esse, is in ea re minime malus esse iudicatur; si quod *mediocre,* non sane bonus.

acutus orator, sed tamen orator numeratus est. Erat in verbis gravitas et facile dicebat et auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. Acutior Q. Varius rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus; fortis vero actor et vehemens et verbis nec inops nec abiectus et quem plane oratorem dicere auderes Cn. Pomponius, lateribus pugnans incitans animos acer acerbus criminosus. 222. Multum ab his aberat L. Fufius, tamen ex accusatione M' Aquilii diligentiae fructum ceperat. Nam M. Drusum tuum magnum avunculum, gravem oratorem, ita duntaxat, cum de re publica diceret, L. autem Lucullum etiam acutum, patremque tuum, Brute, iuris quoque et publici et privati sane peritum, M. Lucullum M. Octavium Cn. F., qui tantum auctoritate dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit, Cn. Octavium M. F. M. Catonem

222. *ab his*] ab iis. — *ab iudiciis*] a iudiciis.

LXII. 221. *sed tamen orator*] om. Lg. 20. — *gravitas*] *granditas* Lambini coniectura inutilis. — *fortis vero actor*] haec non ad Varium, sed ad Pomponium referenda docuit Madvig. Emendd. I. p. 172. Hinc Meyerus aliter ac vulgo distinxit. — *expeditus — verbis*] om. Lg. 70. — *et verbis*] *in verbis* Lg. 8 corr. ita inscr. p. var. 39. — *Pomponius*] *pompeius* Lg. 20.

222. *ab his*] sic primus Sch. ex Gu. 1. 2.; vulgatum *iis* a sententia alienum. Firmant emendationem Lg. praeter 20. 35. et ed. pr. — *L. Fufius*] *L. Fusius* Lg. 20. 35. 53. Ven. 2. Lamb.; male. *Fuffius* Lg. 68. ed. pr. V. Comm. Cr. in Cic. de Or. I. 39, 179. — *M'*] *M.* codd. — *Aquili*] Lg. 8. 20. 35. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Vat. Rell. *Aquilii,* nullus per *ll.* — *suffragiis*] *subfragiis* Lg. 8. 51. forma plane singulari. — *ab iudiciis*] Lg. 8. 35. 39. 51. Rell. *a iud.* Verba *id est a iudiciis* Manutio Lambino Ruhnkenio (ad Vell. II. 23.) subditicia visa sunt; sed vide annotata Bernhardyi ad c. 46. extr. Sane enim illa defendi possunt, cum *acies* ad varias tralationes deflectatur. — *possint*] *possunt* ed. pr. *possent* coni. Orelli infelix; „cui debet inesse, quod

patrem, Q. etiam Catulum filium abducamus ex acie, id est ab iudiciis, et in praesidiis rei publicae, cui facile satisfacere possint, collocemus. 223. Eodem Q. Caepionem referrem, nisi nimis equestri ordini deditus a senatu dissedisset. Cn. Carbonem M. Marium et ex eodem genere compluris minime dignos elegantis conventus auribus aptissumos cognovi turbulentis contionibus. Quo in genere, ut in his perturbem aetatum ordinem, nuper L. Quinctius fuit; aptior etiam Palicanus auribus imperitorum. 224. Et quoniam huius generis facta mentio est, seditiosorum omnium post Gracchos L. Appuleius Saturninus eloquentissumus visus est; magis specie tamen et motu atque ipso amictu capiebat homines, quam aut dicendi copia aut mediocritate prudentiae. Longe autem post natos homines improbissumus C. Servilius Glaucia, sed peracutus et callidus cum primisque ridiculus. is ex

223. *ut in his*] ut in iis. — *aptior etiam*] aptior autem etiam.

Ciceroni repugnat manifesto, viros fortissimos rei publicae parum satisfecisse, vel a partibus senatoriis defecisse." *Bernhardy.* Significatur autem hos atque tales, si recte consideres, rei publicae sufficere videri.

223. *Q. Caepionem*] *Q.* om. ed. pr. — *dissedisset*] *discessisset* Lg. 20. 68. Lamb. *dissessisset* ed. pr. *discedisset* Gu. 1. — *et ex*] *et* om. Lg. 20. — *compluris*] sic ed. pr. Lg. praeter 39., item Ven. 1. Gu. 1. (is *cum pluris*). — *contionibus*] sic Lg. 53. 68. 70. ed. pr. *cognitionibus* 8. 39. 51. 56. 58. Ven. 1. Gu. 1. — *ut in his*] sic, ut Manutius, Lg. omnes praeter 20. 35. et ed. pr.; Lamb. et vulgo *iis.* — *Quinctius*] sic scribebatur Ciceronis aetate nec licet cum Meyero, ut *Quintium* probes, *Quintilianum* advocare. Illud Lg. 8. 35. 51. 58. 70. Ven. 1. — *fuit*] om. ed. pr. — *aptior etiam*] *autem,* in edd. quibusdam a Lambino medium insertum ignorant Lg. praeter 68., item Ven. 1. 2. Gu. 1. 2. Ott. Vat. — *Palicanus*] *P. Alicanus* ed. pr. Lg. 35. Ven. 2.

224. *Appuleius*] *Apuleius* ed. pr. Lg. 20. 39. 53. 56. V. Comm. Cr. in Cic. de Or. II. 25, 107. — *peracutus*] *perargutus* Lg. 20. —

summis et fortunae et vitae sordibus in praetura consul factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. nam et plebem tenebat et equestrem ordinem beneficio legis devinxerat. is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario et Flacco consulibus publice est interfectus: homo simillumus Atheniensis Hyperboli, cuius improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt. 225. Quos Sex. Titius consecutus, homo loquax sane et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. ita cavendum est, ne quid in agendo dicendove facias, cuius imitatio rideatur.

LXIII. Sed ad paulo superiorem aetatem revecti sumus: nunc ad eam, de qua aliquantum sumus locuti, revertamur. 226. Coniunctus igitur Sulpici aetati P. Antistius fuit, rabula sane probabilis, qui, multos cum tacuisset annos neque contemni solum, sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum contra C. Iuli illam consulatus petitionem extraordinariam veram causam agens est probatus: et eo magis, quod, eandem causam cum

225. *sumus locuti*] locuti sumus.

cum primisque] *cum primus* Gu. 1. *in primisque* Lg. 20. — *Atticorum*] *antiquorum* Gu. 1.

225. *tam*] *tamen* ed. pr. — *nomen esset*] *n. est* ed. pr.

LXIII. *revecti*] *reiecti* ed. pr. — *sumus locuti*] sic Meyerus ex ed. pr.; accedunt nunc Lg. 8. omnes praeter 53., item Ven. 1. Gu. 1.

226. *Sulpici*] sic Lg. 8. 35. 39. 53. 58. 70. Ven. 1. — *fuit*] om. Gu. 1. — *C. Iuli*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 70. Ven. 1. 2. Vat. Pro *C. Iuli illam* Ottob. *C. Iulullam*, Gu. 1. *C. vilulam*, iidem rectioris scripturae testes. — *maxumae*] sic aut *maxume* Lg. 8. 53. 58. 68.

227. *autem erat*] inv. Lg. 20. — *quidam tanquam*] *quidem tanq.* libri et ed. pr. Illud a Lambino est, probaruntque Sch.

ageret eius collega ille ipse Sulpicius, hic plura et acutiora dicebat. Itaque post tribunatum primo multae ad eum causae, deinde omnes maxumae, quaecunque erant, deferebantur. 227. Rem videbat acute componebat diligenter memoria valebat; verbis non ille quidem ornatis utebatur, sed tamen non abiectis; expedita autem erat et perfacile currens oratio. et erat eius quidam tanquam habitus non inurbanus; actio paulum cum vitio vocis tum etiam ineptiis claudicabat. Hic temporibus floruit iis, quibus inter profectionem reditumque L. Sullae sine iure fuit et sine ulla dignitate res publica: hoc etiam magis probabatur, quod erat ab oratoribus quaedam in foro solitudo. Sulpicius occiderat, Cotta aberat et Curio: vivebat e reliquis patronis eius aetatis nemo praeter Carbonem et Pomponium, quorum utrumque facile superabat.

LXIV. 228. Inferioris autem aetatis erat proxumus L. Sisenna doctus vir et studiis optumis deditus bene Latine loquens gnarus rei publicae non sine facetiis; sed neque laboris multi nec satis versatus in causis;

227. *quidam*] quidem. — *hoc etiam*] hoc etiam autem.

Meyer; adversatur Orellius, sed plane alienum locum comparans 74, 259. — *Sullae*] codd. *syllae; sylle, sillae, sille;* in uno Lg. 51. verum exstare videtur. — *hoc etiam*] libri praeter Gu. 1. 2. et ed. pr. *h. etiam autem*, nulla plane sententia; transponit *autem* Handius Turs. I. p. 39., delevit *etiam* Manutius. Aut hoc probandum aut Meyeri et nostra scriptura accipienda. — *Sulpicius*] *cum et Sulp.* Lg. 20. scriptura minime inepta, dum haec cum prioribus continues: sed multis locis liber ille interpolatorem sensit.

LXIV. 228. *proxumus*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. 70. Ott. — *optumis*] Lg. 8. 35. Ott. — *gnarus*] Lamb. *narus* propter Ciceronis auctoritatem Or. 47, 158. Verum verba Oratoris: *noti erant et navi et nari* nihil aliud volunt, nisi eam esse vocis legitimam ex origine scripturam; consuetudine hominum invaluisse aliam Cicero minime negat. — *non sine*] *non* om. Gu. 1. — *Hortensi et*

interiectusque inter duas aetates Hortensi et Sulpici nec maiorem consequi poterat, et minori necesse erat cedere. Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest: quae, cum facile omnis vincat superiores, tum indicat tamen quantum absit a summo quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis literis illustratum. Nam Q. Hortensi admodum adolescentis ingenium, ut Phidiae signum, simul aspectum et probatum est. 229. Is L. Crasso Q. Scaevola consulibus primum in foro dixit et apud hos ipsos quidem consules; et cum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnis intellegentia anteibant, iudicio discessit probatus. undeviginti annos natus erat eo tempore. Est autem L. Paullo C. Marcello consulibus mortuus: ex quo videmus, eum in patronorum

229. *aetatem in disparem*] aetatem eius in disparem &c.

Sulpici] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Ott. — *maiorem*] *maiores* s. *maioris* codd. praeter Vat. Ott. — *perspici*] *percipi* Lg. 8. 39. 56. — *omnis*] ita Lg. omnes, eidem tamen et Ven. 1. male *superioris*, quippe quod ille genitivus esset visus. Ceterum ed. pr. haec sic scripta habet: *omnis superioris indicat tamen.* — *Nam Q.*] *namque* Lg. 8. 51. 58. Gu. 1. Par. D., *nanque* 39. 56. — *Hortensi*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Ott. Vat. — *aspectum*] sine *d* libri omnes.

229. *affuerunt*] *adf.* Lg. 8. 51. — *omnis*] sic Lg. praeter 20. Ott. — *intellegentia*] sic Lg. 8. 51. Ven. 1. — *discessit probatus*] inv. Lg. 20. — *quattuor*] *quatuor* Lg. 20. 39. 53. 56. 58. IIII Lg. 35. 58. ed. pr. 4. Lg. 70. *quadraginta unum* Gu. 1. — *voluimus*] *volumus* Lg. 20. Gu. 1. — *aetatem in disparem oratorum*] sic Manutius et sic ed. pr. habere fertur: etsi Lagomarsinus nihil enotavit, nisi eam cum libris congruere *eius* omittentibus. Vulgo enim inde a Lambino scribitur satis perverse: *voluimus aetatem eius in disparem oratorum aetatem includere.* Compone *in disparem aetatem.* — *contigit*] *fuit* Lg. 20. 35. — *Accius*] sic codd. praeter Lg. 39 *(acrius)*, Gu. 1. Vat. ed. pr. *(actius).* — *quom*] scripsi, quia *qua* est in Ven. 1. Lg. praeter 20. 51., *quum* 20. *quam* 51. — *octoginta*] *trigenta* Gu. 1.

numero annos quattuor et quadraginta fuisse. Hoc de oratore paulo post plura dicemus: hoc autem loco voluimus aetatem in disparem oratorum includere; quanquam id quidem omnibus usu venire necesse fuit, quibus paulo longior vita contigit, ut et cum multo maioribus natu, quam essent ipsi, et cum aliquanto minoribus compararentur. Ut Accius isdem aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, quom ille octoginta, ipse triginta annos natus esset: 230. sic Hortensius non cum suis aequalibus solum, sed et mea cum aetate et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore coniungitur: si quidem et Crasso vivo dicere solebat et magis iam etiam vigebat cum Antonio; et Philippo iam sene pro Cn. Pompei bonis dicente in illa causa, adolescens cum esset, princeps fuit, et in

230. *Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente in illa causa, adolescens cum esset, princeps fuit*] cum Phil. iam sene — dicente. In illa &c.

230. *vigebat — dicente*] Madvigium secutus sum Em. I. p. 171., quod idem Bernhardy erat facturus; modo quod post *Antonio* non virgula, sed medie distinxi. A libris abest *cum* ante *Antonio*, ponitur ante *Philippo;* distinguitur autem vulgo plene post *dicente.* *Illa causa* i. e. nota illa. Meyerus libros secutus scripsit: *et magis — vigebat Antonio, et cum Philippo iam sene pro Cn. Pompei bonis dicente in illa causa* &c. Cui iure obiicit Bernhardy *vivo* ex membro priore repeti minime posse, sed orationem potius ita debuisse institui *et magis iam vigebat etiam tum vivo Antonio.* Sed illud viro docto non concesserim incredibile videri Hortensii quendam gradum et progressionem a Crassi temporibus ad Antonium definiri, quorum mortes quatuor annis diremptae fuerint. Dictio enim Hortensii pro Pompeio rursus in eum annum incidit, qui proximus est post Antonii mortem, nec magis quinque, quam quattuor annis Hortensius ad artem videbitur proficere potuisse. Quid de se ait Cicero? Cum post Roscianam actionem iuveniliter luxuriantem in Asiam profectus esset, post biennium totus mutatus rediit: v. infra c. 91, 316. Potuit igitur simile quid Hortensio contingere. — *Pompei*] sic Lg. praeter 35.,

eorum, quos in Sulpici aetate posui, numerum facile pervenerat; et suos inter aequalis M. Pisonem M. Crassum Cn. Lentulum P. Lentulum Suram longe praestitit; et me adolescentem nactus octo annis minorem, quam erat ipse, multos annos in studio eiusdem laudis exercuit; et tecum simul, sicut ego pro multis, sic ille pro Appio Claudio dixit paulo ante mortem.

LXV. 231. Vides igitur, ut ad te oratorem, Brute, pervenerimus tam multis inter nostrum tuumque initium dicendi interpositis oratoribus: ex quibus, quoniam in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare, ne vos curiosius eliceretis ex me quid de quoque iudicarem, eos qui iam sunt mortui nominabo. Tum Brutus, Non est, inquit, ista causa, quam dicis quam ob rem de eis, qui vivunt, nihil velis dicere. Quaenam igitur, inquam, est? Vereri te, inquit, arbitror ne per nos hic sermo tuus emanet et ii tibi succenseant, quos praeterieris. Quid? vos, inquam, tacere non poteritis? Nos quidem, inquit, facillume: sed tamen te arbitror malle ipsum tacere quam taciturnitatem nostram experiri. 232. Tum ego, Vere tibi, inquam, Brute, dicam. Non me existimavi in hoc sermone usque ad hanc aetatem

item Ven. 1. Vat. Gu. 1. — *Sulpici*] sic Lg. praeter 20. 56., item Ven. 1. — *aequalis*] Lg. praeter 35. Ven. 1. — *studio*] *stadio* Lambinus, de Rivii coniectura, quam recentiorum plerique sequuntur. Male factum putamus: v. Explic. ad I. de Or. 32, 147.

LXV. 231. *eliceretis*] *eligeretis* Lg. praeter 20. 53. 68. 70., Ven. 1. Vat. Gu. 1. — *de eis qui*] *de his qui* ed. pr. — *et ii tibi*] *et ut tibi* ed. pr. *ut ii tibi* Lg. 53. — *malle ipsum*] hanc Ernesti scripturam ed. pr., libri Lg. omnes praeter 20. et Ven. 1. suppeditant; Lg. 20. *malle tacere ipsum.* —

232. *vere*] *vero* Lg. 8 corr. — *tibi, inquam*] sic Par. D. Gu. 1. Lg. praeter 20. 53. probabat Lamb. Meyer. — *ad minores*] *timoris* Gu. 1. *minoris* ed. pr. et Lg. omnes. — *pervenerim*]

esse venturum: sed ita traxit ordo aetatum orationem, ut iam ad minores etiam pervenerim. Interpone igitur, inquit, si quos videtur; deinde redeamus ad te et ad Hortensium. Immo vero, inquam, ad Hortensium; de me alii dicent, si qui volent. Minime vero, inquit: nam etsi me facile omni tuo sermone tenuisti, tamen is mihi longior videtur, quod propero audire de te; nec vero tam de virtutibus dicendi tuis, quae cum omnibus tum certe mihi notissumae sunt, quam quod gradus tuos et quasi processus dicendi studeo cognoscere. 233. Geretur, inquam, tibi mos, quoniam me non ingeni praedicatorem esse vis, sed laboris mei. Verum interponam, ut placet, alios et a M. Crasso, qui fuit aequalis Hortensi, exordiar.

LXVI. Is igitur mediocriter a doctrina instructus, angustius etiam a natura, labore et industria et quod adhibebat ad obtinendas causas curam etiam et gratiam in principibus aliquot annos fuit. in huius oratione sermo Latinus erat verba non abiecta res compositae diligenter, nullus flos tamen neque lumen ullum: animi magna, vocis parva contentio, omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur. Nam huius aequalis et inimicus C. Fimbria non ita diu iactare se potuit: qui omnia magna voce

232. *quam quod*] quam [quod].

perveneris Ven. 1. Lg. 8. 20 corr. 39. 51. *pervenerit* 56. — *immo*] *imo* Lg. 39. 53. ed. pr. — *dicent*] *dicant* Ern. susp. — *de te*] om. Gu. 1. — *quam quod*] Ern. tollebat *quod;* sed leve anacoluthon facile fertur. —

233. *ingeni*] sic Lg. 8. 35. 51. 70. Ven. 1. Gu. 1. — *Hortensi*] sic Lg. praeter 20. 56., item Ven. 1. Vat.

LXVI. *instructus*] *institutus* Lg. 56. — *angustius etiam*] *et ang. etiam* Gu. 1. — *vocis parva contentio*] *vocis gte firmitudo parva contentio* Gu. 1., unde Sch. coni. *animi magna firmitudo, vocis parva contentio.*

dicens verborum sane bonorum cursu quodam incitato ita furebat tamen, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. 234. Cn. autem Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat: qui cum esset nec peracutus, quanquam et ex facie et ex vultu videbatur, nec abundans verbis, etsi fallebat in eo ipso, sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora, † admirando irridebat calebat in agendo, ut ea, quae deerant, non desiderarentur. Ita, tanquam Curio copia nonnulla verborum nullo alio bono tenuit oratorum locum, 235. sic Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit. Neque multo secus P. Lentulus, cuius et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formae dignitas corporis motus plenus et artis et venustatis vocis et suavitas et magnitudo. sic in hoc

234. *admirando — in agendo*] locus desperatus; in quo libri consentiunt, nisi quod Par. C. habet *calebatque*. Klotzius in Cic. Lael. p. 170 a criticis ceteris dissidens non aperuit tamen suam interpretandi rationem. Lambinus coniecit *admirando irridendo latebat in agendo;* non dicitur tamen *orator latuisse*, sed eius, si quae sunt, *vitia*. Ernesto placebat *valebat in agendo*, languidule; Schuetzio *admirantes irretiebat et sic calebat in agendo:* at non admirantes, sed auditores ab oratore irretiuntur et id ipsum tamen veteratorium potius, quam oratorium; Waardenburgio Opusc. Crit. p. 57. *admirantes irretiebat, calebat i. a.*, asyndeto non tolerando, quod idem in coniecturam Buttmanni cadit Act. Soc. Ienens. I. p. 46: *admirando irridendo splendebat, calebat i. a.* Schevingius et Orellius coniecerunt *admirantes irretiebat capiebatque*. *Callebat* Billerbeckius invenit idque legitur in ed. pr. Omnium infelicissima Meyeri suspicio: *admodum arridebat callebatque in agendo*. Nam nec *arridere* dicitur orator auditores suos deliniens et mera barbaries est *callere in agendo*. Mihi olim placuit *admirando irridendo calebat, in agendo ut* &c.; i. e. *εἰρωνευόμενος* boni patroni speciem prae se ferebat, ut inter agendum defectus eius non sentirentur. Nunc praefero *admirandum in modum calebat in agendo;* non profecto vehementiore

nihil praeter actionem fuit, cetera etiam minora quam in superiore.

LXVII. 236. M. Piso quicquid habuit habuit ex disciplina maxumeque ex omnibus, qui ante fuerunt, Graecis doctrinis eruditus fuit. habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limaverat, quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers, sed saepe stomachosum nonnunquam frigidum interdum etiam facetum. is laborem quasi cursum forensem diutius non tulit, quod et corpore erat infirmo et hominum ineptias ac stultitias, quae devorandae nobis sunt, non ferebat iracundiusque respuebat sive morose, ut putabatur, sive ingenuo liberoque fastidio. Is cum satis floruisset adolescens, minor haberi est coeptus postea. deinde ex virginum iudicio magnam laudem est adeptus et ex eo tempore quasi revocatus in cursum tenuit locum tam diu, quam ferre

235. *Lentulus*] Cn. Lentulus.

ceteris medicina (nam ex *in modum* facile fieri potuit *inridendo)* et sententia probabili. Sed ἐπέχω.

235. *Lentulus*] *Cn.* vulgo additum om. Lg. omnes, Gu. 1., addidit Lambinus, quem non sequor, quia de hoc Cn. Lentulo satis disputatum est, ut cum P., qui deinceps commemoratur, confundi non possit. — *vocis et*] *et* om. ed. pr. — *sic in hoc*] *sed in hoc* Orell.; sed concluditur de summa ex praecedentibus.

LXVII. 236. *maxumeque*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. 70. Paulo ante alterum *habuit* om. Gu. 1. — *interdum etiam facetum*] Meyerus *versutum et sollers* in laudem trahens, *stomachosum et frigidum* in vituperationem, ne rursum aliquid laudabile inferatur, aut *inficetum* scribi iubet aut transpositionem tentari: *interdum — facetum, sed saepe stomachosum, nonnunquam frigidum*. Recte dicit Bernhardy illud orationem frustra dilatare, quoniam genus frigidum idem inficetum sit. *Versutia* autem illa et *sollertia*, quae quidem perspicax est in agitandis ridiculis, plurimum aut stomachosa est aut frigida, sed interdum etiam facete dicti mater. — *morose*] *moroso* Lamb. — *ingenuo*]

potuit laborem: postea, quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. 237. P. Murena mediocri ingenio, sed magno studio rerum veterum, literarum et studiosus et non imperitus, multae industriae et magni laboris fuit. C. Censorinus Graecis literis satis doctus quod proposuerat explicans expedite non invenustus actor; sed iners et inimicus fori. L. Turius parvo ingenio, sed multo labore quoquo modo poterat saepe dicebat. itaque ei paucae centuriae ad consulatum defuerunt. 238. C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissumus. huius, si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingeni everteret, maius nomen in patronis fuisset. non erat abundans, non inops tamen, non valde nitens, non plane horrida oratio; vox gestus et omnis actio sine lepore; at inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim, sed eam, ut citius veteratoriam quam oratoriam diceres. hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.

238. *everteret*] evertisset. — *inveniendis*] in inv.

ingenio ed. pr. Lg. praeter 20. 53. 68. 70., item Gu. 1. (is *sine)*, Ven. 1. 2. — *ex studio*] *de studio* Lamb. „Praepositionis usum rariorem vindicavit Oudendorp. in Caes. B. G. VII. 45, 2.“ *Meyer.*

237. *Murena*] sic per *e* libri. — *Turius*] sic codd. et ed. pr. *Thorius* Pighius t. III. p. 272. — *itaque ei*] *itaque et* libri Lg. praeter 53. 68. 70., item Ven. 1. Vat. Gu. 1.

238. *C. Macer*] *Cancer* ed. pr. et codd., ut videtur, omnes. — *commendationem*] *commendatorem* ed. pr. — *ingeni*] sic Lg. 8. 51. 58. Ven. 1. — *everteret*] *evertisset* inutilis coniectura Ernesti, dudum improbata Garatono ad Mil. 17. p. 217. V. nostra in Billrothii Gramm. Lat. p. 276.; certum est enim illam quam vocant *ἐναλλαγὴν* imperfecti et plusquamperfecti aliter ac nos fecimus recte explicari non posse. — *inveniendis*] ante hoc *in* om. ed. pr. Lg.

LXVIII. 239. C. deinde Piso statarius et sermonis plenus orator minime ille quidem tardus in excogitando, verum tamen vultu et simulatione multo etiam acutior, quam erat, videbatur. Nam eius aequalem M' Glabrionem bene institutum avi Scaevolae diligentia socors ipsius natura neglegensque tardaverat. Etiam L. Torquatus elegans in dicendo in existumando admodum prudens toto genere perurbanus. Meus autem aequalis Cn. Pompeius vir ad omnia summa natus maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat; actio vero eius habebat et in voce magnum splendorem et in motu summam dignitatem. 240. Noster item aequalis D. Silanus vitricus tuus studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis et orationis satis. Q. Pompeius A. F., qui Bithynicus dictus est, biennio quam nos fortasse maior summo studio dicendi multaque doctrina incredibili labore atque industria; quod scire possum. fuit enim mecum et cum M. Pisone cum amicitia tum studiis exercitationibusque coniunctus. huius

praeter 20. 35. 53. 56. Gu. 1. Ott. — *hic etsi*] *hoc etsi* ed. pr. *hic si* Lg. praeter 20., is *etsi* om.

LXVIII. 239. *deinde*] om. Gu. 1. — *excogitando*] *cogitando* ed. pr. — *M' Glabrionem*] *M.* libri omnes et ed. pr. *M. Gla* Gu. 1. — *avi*] om. ed. pr. — *natura*] *vero* Gu. 1. Pro *ipsius* ed. pr. *eius.* — *neglegens*] Lg. 8. 35. 51. 58. Ott. — *toto genere*] *in toto genere* Par. D. — *nisi eum*] om. Gu. 1.

240. *D.*] *Decius* Lg. 20. 39. — *Silanus*] *sillanus* Lg. 20. 39. 53. Ott. Ven. 2. *syllanus* ed. pr. et aliae quaedam. *sylanus* Lg. 58. — *dicendi*] *discendi* Lamb. Orellio probatus; miror non unum alterumve librum illam scripturam suppeditare, quod fieri solet. Ceterum infelix coniectura est; sequentia enim docent studium illud Pompeii non *discendis* literis aut arti rhetoricae fuisse intentum, sed declamationibus et exercitandae facultati. — *mecum et*] *et* om. Lg. 8. 39. 51. 56. Ven. 1. — *cum amicitia*] *tum am.* ed. pr.

actio non satis commendabat orationem: in hac enim satis erat copiae, in illa autem leporis parum. 241. Erat eius aequalis P. Autronius voce peracuta atque magna, nec alia re ulla probabilis: et L. Octavius Reatinus, qui, cum multas iam causas diceret, adolescens est mortuus: is tamen ad dicendum veniebat magis audacter quam parate. Et C. Staienus, qui se ipse adoptaverat et de Staieno Aelium fecerat, fervido quodam et petulanti et furioso genere dicendi; quod quia multis gratum erat et probabatur, ascendisset ad honores, nisi in facinore manifesto deprehensus poenas legibus et iudicio dedisset.

LXIX. 242. Eodem tempore C. et L. Caepasii fratres fuerunt, qui multa opera ignoti homines et repentini quaestores celeriter facti sunt: oppidano quodam et incondito genere dicendi. Addamus huc etiam, ne quem vocalem praeterisse videamur, C. Cosconium Calidianum, qui nullo acumine eam tamen verborum copiam, si quam habebat, praebebat populo cum multa concursatione magnoque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum. is omnibus exemplo debet esse quantum in hac urbe polleat multorum obe-

241. *Staienus*] Stalenus. (Ita etiam post).

241. *Autronius*] veram scripturam Ven. 1. Ott. Vat. Lg. 8. 39. 51. 53. 56. 58. 70. servarunt. Rell. *Antronius*, *Aucronius*, *Autonius*, *Anthonius* (Gu. 1.). — *alia re ulla*] *ulla re alia* Lg. 20. — *est mortuus*] inv. ed. pr. — *magis audacter*] *audacter magis* Lamb. — *Staienus*] *stragitineus* Gu. 1. *statienus* Lg. 20. Rell. omnes *Staienum* dicunt; mox *staleno* Gu. 1., ut correxit Rivius, falso quidem; v. P. Manutium ad Cluentianam 7. Idem vitium Rivius intulit Top. 20, 75.; a Zumptio Verr. Acc. II. 32, 79. ne monito quidem lectore id retineri miror. — *ascendisset*] libri sine *d* praeter Lg. 8 pr. m. — *facinore*] *scelere* Lg. 39.

LXIX. 242. *C. et L.*] *et* om. Lg. praeter 20. 39. 51. *C. et Lelius* Gu. 1. — *Caepasii*] *Cepasii* ed. pr. *caepasi* Lg. 8. 58. Ven. 1. *cepasi* 20. 39. 53. 70. Ott. Vat. — *praeterisse*] sic, non *praeteriisse* Lg. praeter 20., et Ott. — *secundarum*] sic, ut primus Lambinus dedit, Ven. 1. 2. Ott. Vat. Gu. 1. 2. Lg. praeter 35., in quo est *secundarius* corr. *secundarium; secundanus* ed. pr. — *multorum*] om. Gu. 2. probantibus Grut. Schneider. aliis. Iteratur vocabulum ad accuratius notandam hominis industriam. — *servire*] *inservire* ed. pr. *deservire* Lg. 20.

dire tempori multorumque vel honori vel periculo servire. 243. His enim rebus infimo loco natus et honores et pecuniam et gratiam consecutus etiam in patronorum sine doctrina sine ingenio aliquem numerum pervenerat. Sed ut pugiles inexercitati, etiam si pugnos et plagas Olympiorum cupidi ferre possunt, solem tamen saepe ferre non possunt: sic ille, cum omni iam fortuna prospere functus labores etiam magnos excepisset, illius iudicialis anni severitatem quasi solem non tulit. 244. Tum Atticus, Tu quidem de faece, inquit, hauris, idque iam dudum; sed tacebam: hoc vero non putabam te usque ad Staienos et Autronios esse venturum. Non puto, inquam, existumare te ambitione me labi, quippe de mortuis: sed ordinem sequens in memoriam notam et aequalem necessario incurro. Volo autem hoc perspici omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos, verum qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse. Sed ad sermonem institutum revertamur.

LXX. 245. T. Torquatus T. F. et doctus vir ex Rhodia disciplina Molonis, et a natura ad dicendum satis

243. *sine — sine*] *sive — sive* ed. pr. — *cupidi — ferre non*] om. Gu. 1.

244. *iam dudum*] divisim Lg. praeter 8. 20. 35. — *Staienos*] hic Gu. 1. *i*. De Lg. v. §. 242. item de nomine *Autronios*. — *perspici*] *prospici* Lg. 20. ed. pr. — *ausi sint*] *a. sunt* Lg. 20. 39. 51. ed. pr. — *non ita*] *non tam* Gu. 1. ed. pr.

LXX. 245. *vir ex*] *vir et ex* ed. pr. — *Molonis*] *milonis*

solutus atque expeditus, cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu consul factus esset, plus facultatis habuit ad dicendum quam voluntatis. itaque studio huic non satisfecit; officio vero nec in suorum necessariorum causis nec in sententia senatoria defuit. 246. Etiam M. Pontidius municeps noster multas privatas causas actitavit, celeriter sane verba volvens nec hebes in causis vel dicam plus etiam quam non hebes, sed effervescens in dicendo stomacho saepe iracundiaque vehementius: ut non cum adversario solum, sed etiam, quod mirabile esset, cum iudice ipso, cuius delenitor esse debet orator, iurgio saepe contenderet. M. Messalla minor natu quam nos nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum: prudens acutus minime incautus patronus in causis cognoscendis componendisque diligens magni laboris multae operae multarumque causarum. 247. Duo etiam Metelli Celer et Nepos non nihil in causis versati nec sine ingenio nec indocti hoc erant populare dicendi genus assecuti. Cn. autem Lentulus Marcellinus nec unquam indisertus et in consulatu pereloquens visus est;

246. *mirabile esset*] mirabile.
247. *Cn. autem Lentulus*] C. autem L.

Lg. 53. — *suorum necessariorum*] *suorum* delendum censebat Ern.; Meyerus *suorum necessariorumque* proposuit, sententia, quod intelligam, plane nulla.

246. *effervescens*] *exfervescens* Lg. omnes, Ven. 1. 2. Ott. Vat. Gu. 1. ed. pr. forma antiqua et minime eius aetatis. — *solum*] om. ed. pr. — *mirabile esset*] sic Par. B. C. Lg. omnes Ven. 1. Ott. Orell. Meyer. Omittunt Par. A. D. Grut. Ern. Meyero placet *est*, soloece. Bernhardy recte explicat: *quod mirareris*. — *delenitor*] sic ed. pr. Lg. 8. 35. 51. Ott. *delinitior* Ven. 1. *deditior* Gu. 1. — *Messalla*] codd. *Messala*. Sed v. Marinum in carmen Fratrum Arvalium p. 28 sqq.

247. *non nihil*] vulgabatur ante Or. et Mey. *nihil;* illud,

non tardus sententiis, non inops verbis, voce canora facetus satis. C. Memmius L. F. perfectus literis, sed Graecis: fastidiosus sane Latinarum; argutus orator verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriae.

LXXI. 248. Hoc loco Brutus, Quam vellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie sunt, tibi dicere luberet; et, si de aliis minus, de duobus tamen, quos a te scio laudari solere, Caesare et Marcello audirem non minus lubenter, quam audivi de eis, qui fuerunt. Cur tandem? inquam; an exspectas quid ego iudicem de istis, qui tibi sunt aeque noti ac mihi? Mihi, me Hercule, inquit, Marcellus satis est notus; Caesar autem parum. illum enim saepe audivi: hic, cum ego iudicare iam aliquid possem, abfuit. 249. Quid igitur de illo iudicas, quem saepe audivisti? Quid censes, inquit, nisi id, quod habiturus es similem tui? Nae ego, inquam, si ita est, velim tibi eum placere quam maxume. Atqui et ita est, inquit, et vehementer placet: nec vero sine causa.

quod Rivius ferebatur coniectura assecutus, in ed. pr. exstat, firmantque nunc Lg. 51. Ott. — *Cn. — Lentulus*] sic Manutius emendavit ex fastis; libri et ed. pr. *C.*, *Gaius*, *Caius*. — *consulatu*] *senatu* Lg. 35. — *verum*] *sed* Lg. 20.

LXXI. 248. *de his*] *de iis* ed. pr. Meyero placitum; codd. sequendi. — *luberet*] *liberet* Lg. 35 corr. 56. ed. pr. mox *libenter* Lg. 20. 56. Gu. 1. — *me Hercule*] divisim Lg. 8. 39. 51. 53. 56. 70. Ven. 1. 2 *hercle* Lg. 20. *mercule* Gu. 1. — *abfuit*] meliorem scripturam esse *afuit* nec Bernhardyo concedam nec sponsoribus eius Heinsio ad Virg. Aen. VII. 498. et Oudendorpio in Caes. B. G. I. 36.; codd. sequendi in re ambigua.

249. *audivisti*] sic, non *audisti*, Lg. praeter 35. Ven. 1. Ott. ed. pr. — *nae*] *ne* Lg. omnes, Gu. 1. — *velim*] *vellem* Gu. 1. 2.; item Gu. 1. *sed* pro *eum*, et om. *quam*. — *maxume*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. 70. Ott. — *atqui*] *atque* Lg. omnes,

nam et didicit et omissis ceteris studiis unum id egit seseque cotidianis commentationibus acerrume exercuit. **250.** Itaque et lectis utitur verbis et frequentibus et splendore vocis et dignitate motus fit speciosum et illustre quod dicitur; omniaque sic suppetunt, ut ei nullam deesse virtutem oratoris putem: maxumeque laudandus est, qui hoc tempore ipso, cum liceat, in hoc communi nostro et quasi fatali malo consoletur se cum conscientia optumae mentis, tum etiam usurpatione et renovatione doctrinae. vidi enim Mytilenis nuper virum atque, ut dixi, vidi plane virum. itaque, cum eum antea tui similem in dicendo viderim, tum vero nunc a doctissumo viro tibique, ut intellexi, amicissumo Cratippo instructum omni copia multo videbam similiorem. **251.** Hic ego, Etsi, inquam, de optumi viri nobisque amicissumi laudibus lubenter audio, tamen incurro in memoriam communium miseriarum, quarum oblivionem quaerens hunc ipsum sermonem produxi longius. Sed de Caesare cupio audire quid tandem Atticus iudicet.

Gu. 1. — *unum id egit*] sic libri omnes et ed. pr. *id egit unum* Manutius. — *cotidianis*] sic Lg. 20. 53. 58. 68. 70. *quottid.* Gu. 1. — *acerrume*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Ott.

250. *lectis*] *letis* Gu. 1. — *et dignitate*] *et* om. Lg. praeter 20. 39., Ven. 1.; probat Orellius. Sed asyndeton ingenio sententiae convenire non videtur. — *dicitur*] *dicit* Orellius. — *maxumeque*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 70. — *cum liceat*] *cum lugeat* Lg. 53. 68. 70. male seduli manus, qui mox de malis et consolatione dici animadverteret. Recepta scriptura nescio cur corrupta visa Meyero; bene explicuit Bernhardy: „non sine acerbitate doloris et irrisionis (quippe in Caesaris dominatum) laudat Marcellum, quod his iniquissimis temporibus, cum unum literarum solatium relinquatur, studiis tacitus et libenter operetur.“ Coniunctivus lege orationis obliquae defenditur; exemplorum a Bernhardyo comparatorum unum simile, non idem est Cic. Fin. II. 15. — *optumae*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 68. 70. — *Mytilenis*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. Ven. 1. Ott. Vat.; *myrtilenis* 70. Rell. *Mityl. Mitil. Mitelinis* (Gu. 1.). — *doctissumo — amicissumo*] sic Lg. 8. 58. Ott. itaque mox.

LXXII. Et ille, Praeclare, inquit, tibi constas, ut de iis, qui nunc sint, nihil velis ipse dicere: et, Hercule, si sic ageres, ut de iis egisti, qui iam mortui sunt, neminem ut praetermitteres, nae tu in multos Autronios et Staienos incurreres. Qua re sive hanc turbam effugere voluisti sive veritus es, ne quis se aut praeteritum aut non satis laudatum queri posset: de Caesare tamen potuisti dicere, praesertim cum et tuum de illius ingenio notissumum iudicium esset nec illius de tuo obscurum. **252.** Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Caesare et ipse ita iudico et de hoc huius generis acerrumo existumatore saepissume audio illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissume; nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Laeliorum et Muciorum familiis audiebamus. sed quanquam id quoque credo fuisse, tamen, ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis et eis quidem reconditis et exquisitis summoque studio et diligentia est consecutus: **253.** qui etiam in maxumis

253. *qui etiam*] quin etiam.

251. *lubenter*] *libenter* Lg. 20. 35. 39. 56. Gu. 1. ed. pr. — *communium*] *omnium* Gu. 1.

LXXII. *nunc sint*] *n. sunt* Lamb. — *Hercule*] sic libri praeter Lg. 20., et ed. pr. Ille et Ern. *hercle.* — *nae*] *ne* Gu. 1. Lg. omnes. — *Autronios*] *Antr.* Lg. 20. 35. Gu. 1. Lamb. — *Staienos*] v. §. 244. *staienios* Gu. 1. — *veritus es*] *es* om. Gu. 1. Lg. omnes. — *posset*] sic, non *possit*, ut voluit Ern., Lg. praeter 39., Ven. 1. Ott. ed. pr.

252. *existumatore*] *aestimatore* Man. Lg. 8. Ott. *extimatore* Lg. 20. *existumatore* reliqui omnes. (Lg. 58. 70 corr. *existimatorem*). — *saepissume*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. Ott. *elegantissume* eidem praeter 35. — *exquisitis summoque*] *exquisitissimoque* Lg. praeter 20., et Ven. 1. Pro *studio* Lg. 51. *fastidio.*

253. *qui etiam*] emendavit Sch. Libri et edd. *quin etiam,* quod cum sequentibus conciliari non potest. — *maxumis*] sic

occupationibus ad te ipsum, inquit, in me intuens, de ratione Latine loquendi accuratissume scripserit primoque in libro dixerit *verborum delectum originem esse eloquentiae;* tribueritque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit quam se dicere, laudem singularem: nam scripsit his verbis, cum hunc nomine esset affatus: *ac si, ut cogitata praeclare eloqui possent, non nulli studio et usu elaboraverunt, cuius te paene principem copiae atque inventorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existumare debemus: hunc facilem et cotidianum novisse sermonem nunc pro relicto est habendum.*

LXXIII. 254. Tum Brutus, Amice, Hercule, inquit, et magnifice te laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiae dixerit, quae erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi Romani nomine et

253. *ad te*] cum ad te. — *ac si ut — possent*] ac si — ut possent.

Lg. 8. 35. 51. 53. 68. 70. Ott. — *ad te*] vulgo *cum ad te. Cum* om. Lg. 8. 35. 39. 51. 56. 58. Ven. 1. Ott. Vat. Gu. 1. 2. ed. pr. — *accuratissume*] Lg. 51. et 8 a corr. Ott. — *scripserit*] *scripsit* Lg. 8. 20. 39. 51. 56. — *delectum*] *dilectum* mei omnes. — *ac si ut*] sic ed. pr. Lamb.; nunc firmant Lg. 53. 68. 70. Ernestus particulam sententiae necessariam post *eloqui* inseruit; vulgo et a libris plerisque abest. — *elaboraverunt*] *laborav.* Lg. 20. 39 corr. 56. Vat. — *existumare*] sic Lg. 8. 51. 53. 68. 70. om. 20. — *facilem*] *facile* Lg. praeter 20. 35. 53. 68. 70., item Gu. 1. — *cotidianum*] sic Lg. 53. 58. 68. 70. *quottid.*, ut solet, Gu. 1. — *nunc pro relicto*] Alii hunc locum distinctione sublevandum, alii *num* pro *non*, *delicto* s. *derelicto* pro *relicto* corrigendum censuerunt. Sententiam bene explicuit Bernhardy difficultatem in obscura locutione *pro relicto habere* sola inesse recte iudicans. „Immo debuit Caesar in operis praefatione propositum suum ita commendare, ut studium elegantiae ductum ab auctoritate Ciceronis agnosceret; hanc autem diligentiam in primis accurata linguae Latinae scientia iuvari, cuius ut interior ratio observatione sollerti pervestigaretur, iam reliquum esse docebat; hinc se hanc artis doctrinam tanquam laborem ab aliis derelictum suscepisse.“ Haec

dignitate. quo enim uno vincebamur a victa Graecia, id aut ereptum illis est aut certe nobis cum illis communicatum. 255. Hanc autem, inquit, gloriam testimoniumque Caesaris tuae quidem supplicationi non, sed triumphis multorum antepono. Et recte quidem, inquam, Brute: modo sit hoc Caesaris iudici, non benevolentiae testimonium. Plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnaverunt: ex quibus multi sunt, ut scitis, triumphi. 256. Verum quidem si audire volumus omissis illis divinis consiliis, quibus saepe constituta est imperatorum sapientia salus civitatis aut belli aut domi: multo magnus orator praestat minutis imperatoribus. At prodest plus imperator. Quis negat? sed

255. *tuae — non*] non tuae.
256. *multo magnus*] multo magis.

vir doctus. Nos dicemus: *so ist dagegen die gründliche Kenntniss unserer Umgangssprache noch im Rückstande* i. e. *noch zu erforschen. Relictum* igitur aliis dicitur id negotium, quippe investigandi laborem suscepturis; idque magis placet quam *derelictum.*

LXXIII. 254. *cum illis*] *cum Graecis* Lg. 8. 51. 53. 56. 58. item *grecis* 20. 35. 39. 68. 70. ed. pr. Correctum necessario, propter praecedens *ereptum illis.*

255. *supplicationi non*] addunt *solum* Gu. 1. Lg. 20. ed. pr. *non* Ern. posuit ante *tuae.* Receptus verborum ordo arguit supplicationi Ciceronis splendidius nihil posse cogitari. — *sit hoc*] *hoc* om. Lg. 20. ed. pr. — *expugnaverunt*] *expugnarunt* ed. pr.

256. *imperatorum sapientia*] secundum Lambinum haec damnavit Wetzelius tanquam ex interpretatione superiorum *illis divinis consiliis* profecta, primum quod duplicem ablativum eodem membro contineri improbabat (sed v. c. 59, 213.), deinde quod nulla sit imperatorum sapientia *domi.* Sed monet Meyerus magistratus olim eosdem rei publicae domi forisque praefuisse et *divina consilia* plane obscura fore verbis illis non additis. — *multo*

tamen (non metuo ne mihi acclametis: est autem quod sentias dicendi liber locus) malim mihi Crassi unam pro M' Curio dictionem quam castellanos triumphos duo. At plus interfuit rei publicae castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M' Curi. Credo. 257. Sed Atheniensium quoque plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervae signum ex ebore pulcherrumum; tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optumum fabrum tignarium. qua re non quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit ponderandum est: praesertim cum pauci pingere egregie possint aut fingere, operarii autem aut baiuli deesse non possint.

LXXIV. 258. Sed perge, Pomponi, de Caesare et redde quae restant. Solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides locutionem emendatam et Latinam; cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis. Mitto

256. *Crassi*] L. Crassi. — *duo*] duos.

magnus] sic, non *multo magis*, quod corruptum, cum non habeat quo referatur, Lg. omnes, Ven. 1. Ott. ed. pr. — *non metuo*] *non* om. ed. pr. — *ne mihi*] *mihi* om. Gu. 1. — *Crassi*] *L.* praeponi solitum om. Lg. omnes, Ven. 1. Ott., nec necessarium est in re notissima. — *M' Curio*] *M.* omnes libri. — *duo*] sic, ut Sch. dedit ex Gu. 1., Lg. omnes praeter 20. 35. Ven. 1. Vat. In 35. 58. corr. *duos*. — *M' Curi*] non enotatur *i* ex codd.

257. *optumum*] sic Lg. 8. 51. Ott. — *tignarium*] *tignuarium* Lg. praeter 20. 35., Ven. Ott. *tigurarium* Gu. 1. — *possint*] *possunt* Lg. 39. Nor. Ascens.

LXXIV. 258. *locutionem*] *eloquutionem* Gu. 1. — *rationis*] *orationis* Gu. 1. — *bonae*] *bono* Lg. 8. 39. 51. 56. — *P. Scipionem*] *P.* om. Gu. 1. — *sic*] *sed* Gu. 1. — *nec omnium*] *non omnium* RSteph. Ald. — *barbaries*] *barbaria* ed. pr. Lg. 35. Ven. 2. Meyerus dicit Ciceroni *barbariem* indictam esse, et contra *materiam*. Hoc falsum, v. Comm. Cr. in de Or. I. 3, 10., nec illud rectius videbitur, cum libri accurate fuerint exacti. — *do-*

C. Laelium P. Scipionem. aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiae, sic Latine loquendi: nec omnium tamen. nam illorum aequales Caecilium et Pacuvium male locutos videmus. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant nec eos aliqua barbaria domestica infuscaverat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem vetustas fecit et Romae et in Graecia. confluxerunt enim et Athenas et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis. Quo magis expurgandus est sermo et adhibenda tanquam obrussa ratio, quae mutari non potest, nec utendum pravissuma consuetudinis regula. 259. T. Flamininum, qui cum Q. Metello consul fuit, pueri vidimus. existumabatur bene Latine, sed literas nesciebat. Catulus erat ille quidem minime indoctus, ut a te paulo est ante dictum: sed tamen suavitas vocis et lenis appellatio literarum bene loquendi famam confecerat. Cotta, quia se valde dilatandis literis

mestica] *indomestica* Lg. 35. 39. 56. Ven. 2. Gu. 1., in quibus est *barbari*. — *in Graecia*] om. Gu. 1. — *confluxerunt*] *concluserunt* Gu. 1. vitium ab Italico scriptore profectum, qui *confluserunt* exaraverat. — *inquinate*] *iniquitate* Gu. 1. — *expurgandus*] *expugnandus* Gu. 1. — *tanquam*] *quantum* ed. pr. Lg. praeter 8., in quo est *quamtum*. *quam* edd. quaedam vett. *cum* Turnebus Adversar. XIV. 22. p. 41. *quasi* Orellius. Originem vitii Lg. 8. aperit; erratum in *t̄qam* et *q̄tum*. — *obrussa*] restituerunt Man. Victor. *obtusat* ed. pr. Lg. 20. *obtrusa* edd. vett. quaedam; *obtrussa* Gu. 1.; *obrusa* Lg. 35. 70. *obirusa* 53. 68. *obnixa* 39. Vat. Veram scripturam habent Ven. 1. 2. Ott. Lg. 8. 51. 56.

259. *Flamininum*] codd. omnes corrupte *Flamminium*, *Flaminium*, *Flamineum*, *Flaminininium* (sic Lg. 8. corr. ut text.). — *existumabatur*] sic Lg. 8. 53. 68. — *lenis*] Lg. omnes, Gu. 1. Ven. 1. ed. pr. *levis*, quod secundum Santenium in Ter. Maur. p. 247. Meyerus probavit. Quid Santenius dixerit, cum librum non habeam, ignoro, sed *levem* appellationem i. e. pronuntiationem literarum barbarum esse, cum a natura rei alienum sit, af-

a similitudine Graecae locutionis abstraxerat sonabatque contrarium Catulo subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quidem quasi inculta et silvestri via ad eandem laudem pervenerat. Sisenna autem, quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet, ne a C. Rusio quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. 260. Quidnam istuc est? inquit Brutus: aut quis est iste C. Rusius? Et ille, Fuit accusator, inquit, vetus, quo accusante C. Rutilium Sisenna defendens dixit quaedam eius *sputatilica* esse crimina.

LXXV. Tum C. Rusius, *Circumvenior,* inquit, *iudices, nisi subvenitis. Sisenna quid dicat nescio: metuo insidias. sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit scio, tilica nescio.* Maxumi risus: sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse inusitate loqui. 261. Caesar autem rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum, quae, etiamsi orator non sis, et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc cum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. splendidam quandam minumeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce motu forma etiam magnifica et generosa quodam modo. 262. Tum Brutus: Orationes quidem eius mihi vehementer probantur; compluris autem legi. Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt recti et venusti omni ornatu orationis tanquam veste detracta.

260. *dicat*] dicas.

firmo: v. explic. in de Or. III. 52, 201. — *alia quidem*] *alia quadam* Man. Lamb. Non opus: modo sic verba componas: *pervenerat ad eandem laudem* (ad quam Catulus), *alia quidem via, quasi silvestri et inculta.* — *silvestri via*] *silvestria* Lg. 8. 39. 51. 56. Ven. 1. — *C. Rusio*] *Rufio* 20. *Russio* Ven. 2. *Ruscio* Lg. 51. RSteph. Ald. Hinc *C. Erucio* Pigh. ad a. 613, Schneid. Sch.

260. *istuc*] *istud* Lg. 8 corr. 68. — *Rusius*] *Ruscius* Lg. 51. RSteph. Ald. *iste* ante *Rusius* om. Gu. 1. — *C. Rutilium*] hanc ed. pr. scripturam servo, quia in Ven. 2. video *cretilium* scriptum esse, quod facile ex illo corrumpi potuit, et quod fortasse idem homo est, cum quo et Scaevola et Cicero familiariter versati sunt: v. c. 40, 147. Sed Lg. omnes praeter 39., item Ven. 1. Ott. Vat. Gu. 1. 2. *Chirtilium* (f. *C. Hirtilium*) praebent; Lg. 39. *Chyrtilium.* — *sputatilica*] *sputatilita* Lg. 8. 51. *sputatilitica* cod. nescio qui Turnebi Adv. XIV. 22., quod clarum ex duabus scripturis prioribus conflatum esse. — *crimina. Tum*] *criminatum* ed. pr. Lg. 8. 39. 56. Gu. 1.

LXXV. *Rusius*] *Rusium* Lg. 8. 39. 56. Gu. 1. ed. pr. — *dicat*] sic Ern. suadet propter orationem ad iudices conversam; concinunt Lg. 20. 35. 53. 58. 68. 70. Ven. 1. Ott. Vat. — *tilica*] add. *illud* Lg. 20.

261. *consuetudine*] Sch. *locutione,* barbare; debuit enim *elocutione.* Dudum explicui locum et probavit Orellius. Recta enim et prava consuetudo saepe una in usu sunt; illo apud Cicerones & Caesares, haec apud Caepasios et Staienos; haec emendatur illa priore commendanda. — *forma etiam*] *et* pro *etiam* Lg. praeter 20. 53. 58. — *magnifica et generosa*] Corradus et Lambinus Suetonianam scripturam *magnificam — generosam* praeferunt. Non assentior. Ad splendidum illud et minime veteratorium verborum genus vocis et formae dignitas magnifica accedere dicitur principem civitatis et totius orbis, qui tunc erat Caesar, decens. *Voce motu forma* ablativi consequentiae sunt. — *quodam modo*] divisim Lg. 8. 39. 53. 68. 70.

262. *compluris*] sic Lg. 8. 20. 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Ott.; ex qua scriptura corruptum est in ed. pr. *complurimis.* — *detracta*] sic, quamvis *detracto* grammatica ratio accuratior commendet, libri omnes et ed. pr.; *detracto* post Lambinum Ern. Sch. Orell. Quae Meyerus secundum Heusingerum ad Nep. Them. 7. exempla habet Sall. Hist. I. or. Philippi 7. Cic. Verr. I. 21. Off. I. 23. Ovid. Met. XI. 82., ea iure dissimilia dicit Bernhardy. Sed

sed, dum voluit alios habere parata unde sumerent qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit. nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius. Sed ad eos, si placet, qui vita excesserunt, revertamur.

LXXVI. 263. C. Sicinius igitur Q. Pompei illius, qui censor fuit, ex filia nepos, quaestorius mortuus est; probabilis orator, iam vero etiam probatus ex hac inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagorae disciplina. ea dat rationes certas et praecepta dicendi: quae si minorem habent apparatum (sunt enim exilia), tamen habent ordinem et quasdam errare in dicendo non patientis vias. has ille tenens et paratus ad causas veniens verborum non egens ipsa illa comparatione disciplinaque dicendi iam in patronorum numerum pervenerat. 264. Erat etiam vir doctus in primis C. Visellius Varro consobrinus meus, qui fuit cum Sicinio aetate coniunctus. is, cum post curulem aedilitatem iudex quaestionis esset,

263. *quae si*] quae etsi.

sunt alia veriora, ut p. lege Manil. 5, 11. — *parata*] *paratum* Corradus & Lambinus. — *volent*] *volunt* Gu. 1. a corr., erat enim *voluit*. *velint* Lg. 53. 68. 70. Ott. — *nihil est enim*] sic ed. pr. Ven. 1. Lg. praeter 20. Vulgo *nihil enim est*. V. Explicatt. in de Or. III. 30, 119. — *vita*] *e vita* Lambinus, usitatius secutus. Sed v. Tusc. I. 13, 29. — *excesserunt*] *cesserunt* Lg. 20.

LXXVI. 263. *Sicinius*] *Sinicius* Lg. 8. 39. 51. Ven. 1. Gu. 1. — *Pompei*] sic Lg. 8. 20. 39. 51. 56. 58. 68. 70. Ott. — *iam vero*] sic ed. pr. codd. omnes: v. Hand. Turs. III. 139. *immo vero* Lamb. — *inopi*] *inopia* Gu. 1. — *Hermagorae*] *crinagore* Gu. 1. — *quae si*] haec codd. scriptura longe lectior est quam editionis principis *quae etsi*, quam Lamb. et Meyer. sequuntur.

264. *in primis*] sic libri. *imprimis* ed. pr. — *volgi*] sic Lg. 8. 35. 53. 58. 68. 70. Ott. — *praeceps quaedam*] *pr. quidem*

est mortuus: in quo fateor vulgi iudicium a iudicio meo dissensisse. Nam populo non erat satis vendibilis: praeceps quaedam, et cum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida et celeritate caecata oratio; sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim neque sententiis crebriorem. praeterea perfectus in literis iurisque civilis iam a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam. 265. Reliqui sunt, qui mortui sint, L. Torquatus, quem tu non tam cito rhetorem dixisses, etsi non deerat oratio, quam, ut Graeci dicunt, *πολιτικόν*. erant in eo plurumae literae nec eae volgares, sed interiores quaedam et reconditae, divina memoria summa verborum et gravitas et elegantia; atque haec omnia vitae decorabat dignitas et integritas. Me quidem admodum delectabat etiam Triari in illa aetate plena literatae senectutis oratio. quanta severitas in voltu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore! 266. Tum Brutus Torquati et Triari mentione commotus (utrumque enim eorum admodum dilexerat), Nae ego, inquit, ut omittam cetera,

Schn., placitum Meyero. — *rapida*] *et r.* Schn., quasi *rapida* cum *celeritate* iungendum sit. — *caecata*] *citata* ed. pr.

265. *qui mortui sint*] *sunt* Gu. 1. 2. Lg. 20. placitum Meyero. „Cicero cum identidem affirmet de mortuis tantum oratoribus se iudicaturum esse, molestum et inutile foret additamentum *qui sunt mortui*. Nunc autem conditionem quasi repetens olim inculcatam reliquos ostendit se collecturum, sed reliquos tamen e numero mortuorum.“ *Bernhardy*. Coniunctivus igitur est orationis obliquae et ex mente Ciceronis. — *plurumae*] sic Lg. 8. 35. 53. — *volgares*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 70. Ott. — *gravitas*] *granditas* Orellius. — *dignitas*] sic ed. pr. et Ott. soli, ut scripsit Rivius. Cett. codd. *gravitas*, aberrantibus ad priora librariis. — *Triari*] sic Lg. 8. 39. 51. 53. 68. 70. *Marii* Ven. 1. Vat. ed. pr. et sic etiam §. 266. — *voltu*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Ott. — *nihil non*] *nonnihil* ed. pr.

quae sunt innumerabilia, de istis duobus cum cogito, doleo nihil tuam perpetuam auctoritatem de pace valuisse! Nam nec istos excellentis viros nec multos alios praestantis civis res publica perdidisset. Sileamus, inquam, Brute, de istis, ne augeamus dolorem. nam et praeteritorum recordatio est acerba et acerbior exspectatio reliquorum. Itaque omittamus lugere et tantum quid quisque dicendo potuerit, quoniam id quaerimus, praedicemus.

LXXVII. 267. Sunt etiam ex eis, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus, qui et scriptitavit accurate, cum praesertim non esset orator, et egit multa constanter. Appius Claudius socer tuus, collega et familiaris meus: hic iam et satis studiosus et valde cum doctus tum etiam exercitatus orator et cum auguralis tum omnis publici iuris antiquitatisque nostrae bene peritus fuit. L. Domitius nulla ille quidem arte, sed Latine tamen et multa cum libertate dicebat. 268. Duo praeterea Lentuli consulares, quorum Publius ille nostrarum iniuriarum ultor auctor salutis quicquid habuit, quantumcunque fuit, illud totum habuit e disciplina; instrumenta naturae deerant: sed tantus animi splendor et tanta magnitudo, ut sibi

266. *de istis*] *ex istis* ed. pr. — *excellentis — praestantis*] sic Lg. 8. 39. 51. 56. Ven. 1. Ott. ed. pr.; hoc etiam 53. 68. — *ne augeamus*] *nec aug.* ed. pr.

LXXVII. 267. *iam et*] *et iam* Gu. 1. — *cum doctus*] *tum d.* Gu. 1. — *auguralis*] *augurii* mg. Lamb. 1584. — *publici iuris*] *iuris civilis* Lg. 39 corr. — *ille quidem*] inv. Lg. 39.

268. *quicquid*] sic, non *quidquid*, libri. Gu. 1. *qui quid.* — *totum*] om. Gu. 1. — *e disciplina*] sic codd. Lg. omnes, Gu. 1. Ven. 1. Ott. *et disc.* ed. pr. *ex disc.* vulgo a Lambino inde. — *tantus animi*] *t. erat an.* Lamb. mg. 1584.; praestat id intelligere. — *asciscere*] sine *d* Lg. 20. 39. 53. Gu. 1. *addiscere* 35. — *cogitandi*] *cogitando* Gu. 1. — *plena esset*] *plene esse* Gu. 1. — *terroris*] *fervoris* Purgold. *terror* est δεινότης: de Pericle legitur

omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret asciscere eaque omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus satis erat fortis orator, si modo orator: sed cogitandi non ferebat laborem; vox canora verba non horrida sane, ut plena esset animi et terroris oratio: quaereres in iudiciis fortasse melius, in re publica quod erat esse iudicares satis. 269. Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo, de re publica vero non minus vehemens orator quam bellator fuit: effrenatus et acer nimis, sed bene iuris publici leges atque instituta cognoverat. Hoc loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitiosum esse, si, ut dixisti, ei, quos iam diu colligis, viverent. Omnis enim commemoras, qui ausi aliquando sunt stantes loqui, ut mihi imprudens M. Servilium praeterisse videare.

LXXVIII. 270. Non, inquam, ego istuc ignoro, Pomponi, multos fuisse, qui verbum nunquam in publico fecissent, quom melius aliquanto possent quam isti oratores, quos colligo, dicere: sed his commemorandis etiam illud assequor, ut intellegatis primum ex omni numero quam non multi ausi sint dicere, deinde ex iis ipsis quam pauci fuerint laude digni. 271. Itaque ne hos quidem equites

11, 44. et dudum annotavi ante Orellium; addo *terrorem verborum* p. Font. 11. similiter dici. Olim plene distinguebatur post *laborem.*

269. *acer nimis*] *nimis* om. ed. pr. *ar nimis* Gu. 1. *acerrimus* Lg. omnes. — *iam*|*diu*] sic divisim, ut oportebat, Lg. praeter 20. 35. — *omnis*] sic Lg. praeter 20., item Ven. 1. ed. pr. — *praeterisse*] sic, non *praeteriisse*, Lg. omnes, Ven. 1. Ott. Gu. 1.

LXXVIII. 270. *quom*] sic distincte Lg. 8. 35. 51. 56. 58. 68. 70. Ven. 1. *quin* 20. *quum* 39. — *ut intellegatis*] *et ut int.* ed. pr. Per *e* Lg. 8. 20. 51. Ott. — *iis ipsis*] *his ipsis* Lg. 58. ed. pr. *ipsis* om. Gu. 1.

271. *ne hos quidem*] *non hos* ed. pr. Verbum hic deest et addendum tale quiddam: *praetereundos arbitror.* Cur hic plura excidisse Bernhardyo videantur assequi ex ipsius argumentis non

Romanos amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi C. Cornelium; in quo et compositum dicendi genus et acre et expeditum fuit: T. Accium Pisaurensem, cuius accusationi respondi pro A. Cluentio; qui et accurate dicebat et satis copiose, eratque praeterea doctus Hermagorae praeceptis: quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen, ut hastae velitibus amentatae, sic apta quaedam et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur. 272. Studio autem neminem nec industria maiore cognovi, quanquam ne ingenio quidem qui praestiterit facile dixerim C. Pisoni genero meo. nullum tempus illi unquam vacabat aut a forensi dictione aut a commentatione domestica aut a scribendo aut a cogitando. itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur; eratque verborum et delectus elegans et apta et quasi rotunda constructio; cumque argumenta excogitabantur ab eo multa et firma ad probandum tum concinnae acutaeque sententiae; gestusque natura ita venustus, ut ars etiam, quae non erat, et e disciplina motus quidam videretur accedere. Vereor ne amore videar plura quam fuerint in illo dicere; quod non ita est: alia enim de illo maiora dici possunt. nam nec continentia nec pietate nec ullo genere virtutis quemquam eiusdem aetatis cum illo conferendum puto.

possum. — *T. Accium*] *Actium* ed. pr. Gu. 1.; *Attium*, quod in codd. certe perrarum, Lg. 35. Ottob. — *opima*] sic codd., ut videtur, omnes et ed. pr.; non Rivii coniectura, ut Ern. putabat.

272. *delectus*] *dilectus* codd. mei omnes. — *ad probandum*] *approbandum* Lg. 8. 51. 68. 70. Ven. 1. corr. *adprobandum*, quod est in Lg. 56. — *e disciplina*] *e* excidit in Lg. omnibus propter praecedens *et*. — *fuerint*] *fuerunt* Gu. 1. 2. nec minus recte.

LXXIX. 273. *Caelium*] sic Lg. 8. 51. 56. 58. Rel. *Celium*

LXXIX. 273. Nec vero M. Caelium praetereundum arbitror, quaecunque eius in exitu vel fortuna vel mens fuit: qui quam diu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum causa steterit constantius; quam eius actionem multum tamen et splendida et grandis et eadem inprimis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves eius contiones aliquot fuerunt; acres accusationes tres eaeque omnes ex rei publicae contentione susceptae; defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen saneque tolerabiles. Hic, cum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quo modo discessu meo discessit a sese ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat. 274. Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator unus e multis; potius inter multos prope singularis fuit: ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio. nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris aeque in potestate fuerit: quae primum ita pura erat, ut nihil liquidius, ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret; nullum nisi loco positum et tanquam *in vermiculato emblemate*, ut ait Lucilius,

aut *Coelium;* nullus meorum *oe*. Cf. C. Cr. in de Or. I. 25, 117. — *eius in*] *in eius* Par. D. Gu. 1. — *fortuna*] *forma* ed. pr. — *perditorum*] *proditorum* Gu. 1. — *quam eius*] *cuius* Lg. 53. 68. 70. — *contiones*] sic Lg. omnes praeter 20. et 35., in quibus *actiones*, item Ven. 1. Ott. — *accusationes*] *accusatores* Gu. 1. — *posteaquam*] *postea cum* edd. quaedam vett. *postquam* Lg. 35.

274. *prope singularis*] *prope* om. Gu. 1. 2. Par. D. — *pellucens*] *perlucens* Lg. 20. 39. *pollucens* Gu. 1. — *fuerit*] *fuerunt* Lg. 8. 39. 51. 53. 56 corr. *fuerint*. 58. 70. — *ullum*]

structum verbum videres. nec vero ullum aut durum aut insolens aut humile aut longius ductum, ac non propria verba rerum, sed pleraque translata, sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres. nec vero haec soluta nec diffluentia, sed astricta numeris, non aperte nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque conclusis. 275. Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci σχήματα, quibus tanquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. QVA DE RE AGITUR autem illud, quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis, id ubi esset videbat.

LXXX. 276. Accedebat ordo rerum plenus artis actio liberalis totumque dicendi placidum et sanum genus. Quod si est optumum suaviter dicere, nihil est, quod melius hoc quaerendum putes. Sed cum a nobis paulo ante dictum sit tria videri esse, quae orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret: duo summe

nullum Lg. praeter 20., item Gu. 1. — *longius*] *in long.* ed. pr. Lg. praeter 20. 35. 39. 56., item Ven. 1. 2. Gu. 1. 2. Ott. ita corr. Lg. 39. — *tralata*] *translata* ed. pr. Lg. 8 corr. 39. 53. 56. 68. 70. Haec Bernhardyus sic scribi voluit: *sed pleraque translata sic; ut tamen ea non irruisse* &c. Si tenueris *ac* significare *et quidem* s. *et insuper*, etiam sine ea mutatione scripturae sententia haec erit, quam ille vult: *verborum autem translationes sic temperabat, ut ex necessitate videretur eis usus.* — *immigrasse*] *migrasse* Lg. 20. — *diffluentia*] *defluentia* ed. pr. *affluentia* Lg. 20. — *astricta*] sic sine *d* Gu. 1. Ven. 1. Lg. praeter 20. — *aperte*] *apte* Gu. 1. — *dissimulanterque*] *dissimulateque* Lg. 20. 53. *dissimiliterque* mg. Lamb. 1584. Sed ut *eodem modo* et *varie*, sic *aperte* et *dissimulanter* sibi respondent.

275. *vocant Graeci*] inv. ed. pr. — *σχήματα*] libri literis latinis. — *qua de re agitur autem illud*] *autem agitur* inverso ordine Gu. 1. Sed verba formulae illius dividi non debent. Post *illud* (i. e. *quod nostis* s. *notum illud*) distinguendum esse olim

tenuit, ut et rem illustraret disserendo et animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate. aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos, quam plurumum pollere diximus, nec erat ulla vis atque contentio: sive consilio, quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur, sive quod natura non esset ita factus sive quod non consuesset sive quod non posset. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit: si opus erat, defuit. 277. Quin etiam memini, cum in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset sibi eum venenum paravisse idque a se esse deprehensum seseque chirographa testificationes indicia quaestiones manifestam rem deferre diceret deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset: me in respondendo, cum essem argumentatus quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, cum pestem capitis sui, cum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter,

docui; quo facto Corradi scriptura *id ubi esset*, Lambino et Ernesto probata, nihil habet, quod offendat. Libri *et ubi esset;* unde Buttmanno olim subnata lubido corrigendi *et quid esset et ubi esset*, Act. Nov. Soc. Lat. Ien. p. 47.; cuius scripturae pars plane otiosa est.

LXXX. 276. *optumum*] sic Lg. praeter 20. 39., it. Ven. 1. Ott. — *ut et*] *et* om. Lg. 70. — *devinciret*] *devinceret* Gu. 1. corr. Ven. 1. Ott. Lg. praeter 35. 39. 53. *demulceret* Lambini, *deleniret* Ernesti coniecturae, neutra necessaria, haec etiam falsa ad sententiam. — *altior*] sic libri et ed. pr. *elatior* Lambinus, *acrior* Schuetzius. — *atque bacchari*] *et bacch.* ed. pr. — *habebat, abfuit*] *habeat quid referat inter abesse et deesse abfuit* Gu. 1. interpretis manu inepte illata; in qua *refert* dictum pro *interest*. *Afuit* (cf. c. 71, 248) soli Lg. 51. 53. 58. 70 corr. *adfuit*. — *opus erat*] *o. fuerat* ed. pr.!

277. *deque eo*] *eo* om. ed. pr. Paulo ante *rem* om. Gu. 1. — *leniter*] *leviter* ed. pr.; miror non esse in libris.

tam oscitanter. 278. *Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? praesertim cum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrume soleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet? nulla perturbatio animi, nulla corporis: frons non percussa, non femur: pedis, quod minumum est, nulla supplosio. Itaque tantum abfuit, ut inflammares nostros animos; somnum isto loco vix tenebamus.* Sic nos summi oratoris vel sanitate vel vitio pro argumento ad diluendum crimen usi sumus. 279. Tum Brutus, Atque dubitamus, inquit, utrum ista sanitas fuerit an vitium? Quis enim non fateatur, cum ex omnibus oratoris laudibus longe ista sit maxuma inflammare animos audientium et quocunque res postulet modo flectere, qui hac virtute caruerit, id ei, quod maxumum fuerit, defuisse?

LXXXI. Sit sane ita, inquam: sed redeamus ad eum, qui iam unus restat, Hortensium; tum de nobismet ipsis, quoniam id etiam, Brute, postulas, pauca dicemus.

278. *tu istuc*] locum paulum mutatum affert Quintil. XI. 3, 155. et partem §. 123.; habet etiam *non frons percussa;* probat Sch. — *praesertim cum*] hic intpp. haeserunt, quod interposito *praesertim* continuatio membrorum *ageres* et *negligeres* interpelletur. Itaque Lambinus scripsit: *sic ageres, praesertim ista eloquentia? cum alienorum* &c.; Schuetzius: *ageres? tu, ista praesertim eloq. cum alienorum* &c. Sane ambigue pendent intermedia illa *praesertim cum — soleas;* negligentiae memoriter recitandi Bernhardy tribuit. — *acerrume*] sic Lg. praeter 20. 39., item Ott. eidem et Gud. 1. *soles.* — *neglegeres*] sic Lg. 8. 51. 58. 70. Ott. — *frons non percussa*] *frons percussa non* Lg. 39. — *abfuit*] *afuit* Lg. 8. 51. 58. 70. — *somnum*] *quod somnum* Par. D. *somnium* Gu. 1. *ut somnum* et deinde *teneremus* Lg. 20., manifesta manu correctoris.

279. *atque*] *atqui* ed. pr. Transitioni magis convenit *atque*, quod Ern. reposuit habentque Lg. omnes et Ven. 1. — *maxuma*]

Quanquam facienda mentio est, ut quidem mihi videtur, duorum adolescentium, qui, si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae laudem consecuti. 280. C. Curionem te, inquit Brutus, et C. Licinium Calvum arbitror dicere. Recte, inquam, arbitraris: quorum quidem alter ita facile soluteque verbis volvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius. Atque hic parum a magistris institutus naturam habuit admirabilem ad dicendum. industriam non sum expertus: studium certe fuit. qui si me audire voluisset, ut coeperat, honores quam opes consequi maluisset. Quidnam est, inquit, istuc? et quem ad modum distinguis? 281. Hoc modo, inquam. Cum honos sit praemium virtutis iudicio studioque civium delatum ad aliquem: qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur. qui autem occasione aliqua etiam invitis suis civibus nactus est imperium, ut ille cupiebat, hunc nomen honoris adeptum, non honorem puto. Quae si ille audire voluisset, maxuma

280. *parum a magistris*] a magistris parum.

sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. *maxumèa* 70 corr. ut 8. Sed *maxumum* mox unus Lg. 68. et Ottob.

LXXXI. *redeamus*] *respondeamus* Lg. 8. 39. 51. 56.

280. *C. Curionem*] *Gaium Cur.* et mox *Gaium Lic.* Gu. 1. — *alter*] adduntur vulgo haec: *quod verisimile dixisset, ita* &c., ut codd. plerique, sive *quod verisimiliter d. i.,* ut ed. pr. Lg. 35. 53. Delevit Lambinus, uncis inclusit Ernestus; recte animadvertit Orellius esse manum lectoris, qui dictum Ciceronis probaret, et pertinere ad illud *recte arbitraris.* Schneiderus coniecit *quod verisimile vix esset,* frigide sane. Lambinum sequor. — *parum a magistris*] sic libri et ed. pr. vulgo *a magistris parum.* — *istuc*] *istud* Ern. Illud Lg. omnes, Ven. 1. Ott. Gu. 1. 2. ed. pr.

281. *adeptum*] post *honorem* ponit cod. quidam Lallemandi. — *maxuma*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. — *ascendens*] sine *d*

cum gratia et gloria ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratuum, ut pater eius fecerat, ut reliqui clariores viri. Quae quidem etiam cum P. Crasso M. F., cum initio aetatis ad amicitiam se meam contulisset, saepe egisse me arbitror, cum eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectissumam esse duceret, quam maiores eius ei tritam reliquissent. 282. erat enim cum institutus optume tum etiam perfecte planeque eruditus ineratque et ingenium satis acre et orationis non inelegans copia; praetereaque sine arrogantia gravis esse videbatur et sine segnitia verecundus. Sed hunc quoque absorbuit aestus quidam insolitae adolescentibus gloriae; qui quia navarat miles operam imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat: cui muneri mos maiorum aetatem certam, sortem incertam reliquit. ita gravissumo suo casu, dum Cyri et Alexandri similis esse voluit, qui suum cursum transcurrerant, et L. Crassi et multorum Crassorum inventus est dissimillumus.

LXXXII. 283. Sed ad Calvum, is enim nobis erat propositus, revertamur: qui orator fuit cum literis eru-

282. *insolitae*] non insolitae.

Lg. Ven. 1. Ott. — *gradibus*] *gradus* Gu. 1. — *M. F.*] *M.* om. Lg. 70. — *cum initio*] *cum* om. Lg. pr. 53. 68. 70. — *arbitror*] om. Gu. 1.

282. *cum institutus*] *tum inst.* ed. pr. — *optume*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Ottob. — *planeque*] *pleneque* Lg. 56. — *segnitia*] *segnitie* Lg. 70. — *insolitae*] *non insolitae* coni. Ascens. 2. idque post Lambinum edd. occupavit. Verum erit, si *gloriam* interpretere *iactationem sui* vel *gloriae cupiditatem.* Sed recte libri; sequentia enim indicant sententiam esse ad gloriam bellicam, cum imperatoribus certos annos esse mos et lex iuberet, adolescentes aspirare non esse solitos. — *voluit*] *volt* Orellius; mire: cum enim casus Crassi verbo tangatur, non exponatur fusius, praesentis locus hic nullus est. Paulo ante *gravissumo* Lg. 51. 56. Ottob. Ven. 1. — *transcurrerant*] *transcurrerat* Orellius ad Crassum referens.

ditior quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus: quod quanquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ipse sese observans metuensque ne vitiosum colligeret etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur. 284. Tum Brutus, Atticum se, inquit, Calvus noster dici oratorem volebat: inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur. Dicebat, inquam, ita: sed et ipse errabat et alios etiam errare cogebat. nam si quis eos, qui nec inepte dicunt nec odiose nec putide, Attice putat dicere: is recte nisi Atticum probat neminem. insulsitatem enim et insolentiam tanquam insaniam quandam orationis odit, sanitatem autem et integritatem quasi religionem et verecundiam oratoris probat. haec omnium debet oratorum eadem esse sententia. 285. Sin autem ieiunitatem et siccitatem et inopiam, dum modo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc recte duntaxat: sed quia sunt

283. *orator fuit*] orator fuisset.

LXXXII. 283. *qui orator fuit*] Corradum secuti sumus. Libri et ed. pr. habent *fuisset,* quod Beierus et Orellius explicatum ibant conditionali ratione, mente addentes *si diutius vixisset;* non durum hoc, sed indictum et ab omnis linguae usu alienum. Lambinus *qui orator cum fuisset;* debebat *esset.* — *deperdebat*] *dependebat* Par. D. Lg. 8 corr. 35. 39. 51. 68. 70. Ven. 1. Ott. Gu. 1. ed. pr. *deprehendebat* 20. *deprendebat* 58. — *a multitudine*] *a* om. Lg. praeter 20. 35. 68. 70., item Gu. 1. — *devorabatur*] *devotabatur* ed. pr. *deserebatur* commentum Purgoldi.

284. *consequebatur*] *consectabatur* Lambinus. — *sanitatem autem*] *autem* om. ed. pr. — *oratoris*] iure defendit Orellius propter oppositum *orationis* in altero membro.

285. *dum modo*] scribo divisim cum Lg. 35. 58. Ott. — *quos*]

in Atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus et dissimilitudines et vim et varietatem Atticorum. Atticos, inquit, volo imitari. Quos? nec enim est unum genus. nam quid est tam dissimile quam Demosthenes et Lysias? quam eidem et Hyperides? quam horum omnium Aeschines? quem igitur imitaris? Si aliquem: ceteri ergo Attice non dicebant. si omnis: qui potes, cum sint ipsi dissimillumi inter se? In quo illud etiam quaero Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit. mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur. at est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias. natura quaedam aut voluntas ita dicendi fuit.

LXXXIII. 286. Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se, sed Attici tamen: quorum Charisius multarum orationum, quas scribebat aliis, cum cupere videretur imitari Lysiam; Demochares autem, qui fuit Demostheni sororis filius, et orationes scripsit aliquot et earum rerum historiam, quae erant Athenis ipsius aetate gestae, non tam historico quam oratorio genere per-

285. *quam eidem*] quam idem. — *horum omnium*] omnium horum. — *illud etiam*] etiam illud.

quorum] Gu. 1. — *enim est*] inv. Lg. 20. — *quam eidem*] libri et edd. *idem; iidem* ex cod. Cuiac. Schuetzius, quia non unum Demosthenem et cum Lysia et cum Hyperide, sed Demosthenem et Lysiam iunctos cum Hyperide comparari docent verba sequentia *quam horum omnium Aeschines.* Scripsi *eidem;* in *horum omnium* sic transponendis secutus sum Lg. praeter 20. 39. 68. 70., item Ven. 1. Ott. ed. pr. — *si aliquem*] *sed al.* Gu. 1. Ven. 1. Lg. 39. v. u. t. — *omnis*] Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 68. 70. Ven. 1. — *illud etiam*] vulgo post repetitam Lamb. a 1584 *etiam illud,* contra fidem ed. pr. et codd. collatorum omnium. — *Phalereus*] *Phalerius* ed. pr. Lg. 20. *phalareus* Gu. 1. — *dixerit*] *dixit* ed. pr. — *Hyperides*] *hyperiades* Gu. 1. Al. quidam per *i.*

LXXXIII. 286. *multarum orationum*] *multas orationes* suadebat Manutius immemor elegantissimae brevitatis. — *Demostheni*] *Demosthenis* ed. pr. Lg. 20. 56. 68., Lambinus. *Demostheni* solum Ciceronianum. — *Hegesias*] *hegestas* Lg. 8. 51. 58. Ven. 1. Ott. *egestas, egesias, egesas* alii plurimi, Gu. 1. Lg. 20. 35. 39. 56. 70. *res gestas* 53. 68. Ibidem *Charisi* Ven. 2. *Chariti* Ven. 1. — *agrestis*] sic ed. pr. Lg. omnes praeter 20., Gu. 1. Ven. 1. Ott.

287. *optume*] sic Lg. 8 (modo quod *ae)* 35. 51. 53. 68. 70. Ott. — *igitur hi*] vulgo *ii;* illud ed. pr. Lg. 8. 53. 56. 58. 68. 70. Ven. 1. — *quo modo*] *quodam modo* ed. pr. *quonam modo* coniectura Orelli. — *qui sunt*] *cum sunt* Lg. 20. — *optume*] qui idem supra, et 58. et sic mox *optumae.* — *hoc forense*] *hoc* om. Lg. 70. — *proxumis*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. 70. Ott. — *Opimium*] *opimum* Lg. 20. 53. 58. — *hac notae*] pro *eae* dedi ex Lg. 8. 39. 53. 56. 68. 70. Ven. 1. *hec* 20. *haec* 51. *hee* 58.

scripsit. At Charisii vult Hegesias esse similis, isque se ita putat Atticum, ut veros illos prae se paene agrestis putet. 287. at quid est tam fractum, tam minutum, tam in ipsa, quam tamen consequitur, concinnitate puerile? Atticorum similes esse volumus. Optume. Suntne igitur hi Attici oratores? Quis negare potest? Hos imitamur. Quo modo, qui sunt et inter se dissimiles et aliorum? Thucydidem, inquit, imitamur. Optume, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarum pronuntiator sincerus et grandis etiam fuit: hoc forense concertatorium iudiciale non tractavit genus. Orationes autem quas interposuit (multae enim sunt), eas ego laudare soleo: imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim. Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proxumis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quaerat: atqui hae notae sunt optumae; credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quaerimus, suavitatem nec est iam sane tolerabilis:

286. *Demostheni*] Demosthenis.
287. *igitur hi*] igitur ii. — *hae notae*] eae n.

288. num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime; sed quandam sequatur aetatem: sic ego istis censuerim et novam istam quasi de [musto ac] lacu fervidam orationem fugiendam nec illam praeclaram Thucydidi nimis veterem tanquam Anicianam notam persequendam. ipse enim Thucydides, si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior.

LXXXIV. 289. Demosthenem igitur imitemur. O di boni! quid, quaeso, nos aliud agimus aut quid aliud optamus? At non assequimur. isti enim videlicet Attici nostri quod volunt assequuntur. Ne illud quidem intellegunt non modo ita memoriae proditum esse, sed ita necesse fuisse, cum Demosthenes dicturus esset, ut concursus audiendi causa ex tota Graecia fierent. At cum isti Attici dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinquuntur. Quare

288. *musto ac*] Sine uncis. — *Thucydidi*] Thucydidis.

288. *si is potare*] *si portare* ed. pr. — *quasi de [musto ac] lacu fervidam*] *fervidum de lacu vinum* est ex-lacu recens in dolia diffusum itaque *oratio quasi de lacu fervida* bene dicitur, quippe iuveniliter redundans, vini instar recens diffusi. *fervidum de musto* nihil est. Si componas *oratio fervida, quasi de lacu* non male loquare; sed *oratio de musto* sententiam non habet. Hinc olim conieci *musteam ac de lacu fervidam*, et ne nunc quidem illius coniecturae poenitet; *musteam de lacu ac fervidam* Schneiderus, in qua scriptura *ac fervidam* claudum est et hiulcum. Praestat autem verba *musto ac* eiicere; per *ac* inserta sunt quae ascripserat qui *de lacu fervidus* dici de musto meminisset. — *Thucydidi*] sic omnes Lg. Ven. 1. Ott. Vat. Gu. 1. — *tanquam*] om. ed. pr. — *posterius*] *posterior* Lg. 20. 39.

LXXXIV. 289. *o di*] sic, non *dii*, Lg. 8. 35. 51. 53. 56. 58. 70. Ven. 1. Ott. — *quaeso*] *quasi* ed. pr. Gu. 1. Lg. omnes, Ottob. Correxit Lamb. favetque Ven. 1. — *videlicet*] om. Lg. 20. 68 add. — *assequuntur*] *assecuntur*, Ven. 1. Lg. 20. 58., non male. *consequuntur* 68. — *ne illud*] *nec illud* Gu. 1. ed. pr. —

si anguste et exiliter dicere est Atticorum, sint sane Attici: sed in comitium veniant, ad stantem iudicem dicant. subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant. 290. Volo hoc oratori contingat, ut, cum auditum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur compleatur tribunal gratiosi scribae sint in dando et cedendo loco corona multiplex iudex erectus: cum surgat is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium; deinde crebrae assensiones multae admirationes; risus, cum velit, cum velit, fletus: ut, qui haec procul videat, etiam si quid agatur nesciat, at placere tamen et in scena esse Roscium intellegat. Haec cui contingant, eum scito Attice dicere, ut de Pericle audimus, ut de Hyperide, ut de Aeschine, de ipso quidem Demosthene maxume. 291. Sin autem acutum prudens et idem sincerum et solidum et exsiccatum genus orationis probant nec illo graviore ornatu

290. *surgat*] surgit. — *audimus*] audivimus.

intellegunt] Lg. 8, 35. 39. 51. Ottob. — *ad stantem*] *adstantem* et *astantem* Lg. 8. 39 mg. †. 51. 53.

290. *cum surgat is*] vulgo *surgit*. Quod olim correxi nunc praebet ed. pr. Lg. 20. concinit 8., in quo est *surgatis*, et Par. D. Gu. 1., in quibus *consurgat* (pro *cum s.)*. Gu. 1. *ereptus* p. *erectus*. — *significetur*] *significet* ed. pr. — *admirationes*] *admurmurationes* Or.; sed recepta scriptura plane defenditur loco de Or. I. 33, 152. — *intellegat*] sic Lg. 8. 39. 51. 68. — *de Pericle*] *de plerique* Gu. 1. — *audimus*] sic Lg. omnes, Gu. 1. 2. Ven. 1. Vat. Ott. Sed Orellius ex Aldina cum aliis *audivimus*, quod non dicitur de fama perpetua et pervagata, sed de re ex alicuius ore accepta, ut dudum recte praecepit Heusingerus ad Off. I. 6, 5. — *ut de Aeschine*] *ut* om. ed. pr., *ut de* om. Lg. omnes. — *maxume*] sic Ven. 1. Vat. Ott.

291. *graviore ornatu*] *grandiore* coni. Orell., probat Meyerus. „Praestat *graviorem ornatum* memorari, qui versaretur in animis (non *coronae*, sed *iudicum*, etsi illud vult B.) tractandis et quovis motu perturbandis; nam Calvus subtilitatem Lysiae se-

oratorio utuntur et hoc proprium esse Atticorum volunt: recte laudant. est enim in arte tanta tamque varia etiam huic minutae subtilitati locus. Ita fiet, ut non omnes, qui Attice, eidem bene; sed ut omnes, qui bene, eidem etiam Attice dicant. Sed redeamus rursus ad Hortensium.

LXXXV. 292. Sane quidem, inquit Brutus, quanquam ista mihi tua fuit periucunda a proposita oratione digressio. Tum Atticus, Aliquotiens sum, inquit, conatus, sed interpellare nolui. Nunc, quoniam ad perorandum spectare videtur sermo tuus, dicam, opinor, quod sentio. Tu vero, inquam, Tite. Tum ille, Ego, inquit, ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis et Xenophontis et Aeschini libris utitur, facetam et elegantem puto. est enim et minime inepti hominis et eiusdem etiam faceti, cum de sapientia disceptetur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant: ut apud Platonem Socrates

292. *Aeschini*] Aeschinis. — *quorsus*] quorsum.

cutus quam simplicissima demonstratione et quasi innocentia voluntatis utendum putavit. Locos *gravitatis*, quos ibi dicit c. 31., quasi silvam eloquentiae, recenset Cic. Or. 40. Aliorsum spectat *grandior ornatus* sive magnificus apparatus, quem convenit in genere sublimi collocari." *Bernhardy*. — *eidem*] *idem* utrobique Lg. praeter 35. 39. 68.

LXXXV. 292. *digressio*] sic Lg. omnes (modo 35. 51. *diggressio)*, Ven. 1. 2. Ott. Vat. Gu. 1. 2.; Lamb. Meyer. *degressio*. — *aliquotiens*] sic codd. nostri omnes. — *inquit*] *aliquid* Gu. 1. — *quoniam*] *iam* addunt ed. pr. Lg. omnes, Gu. 1. Ven. 2. Vat. — *Tite*] *Attice* Nor. — *Aeschini*] sic ed. pr. et codd. mei omnes praeter Lg. 35. 68. 70. — *disceptetur*] *disceptatur* Par. D. Gu. 1. 2. At *disceptetur*, ut est in ed. pr., Lg. omnes, Veneti, Romani. — *sibi*] om. Gu. 1. — *arrogant*] Ern. *arrogent*. Verba ab *hominis* ad *cum* om. Gu. 1. — *caelum*] Lg. 8. 51. 56. 58. — *Gorgiam*] *Gorgian* Lg. 8. 51. 53. 68. 70. non profecto peius vulgato, dum ne proximum esset et sine omni diversitate scripturae *Protagoram*. — *quo modo*] divisim ed. pr. Lg. 53. Ott. — *qui id*] *qui illud* ed. pr.

in caelum effert laudibus Protagoram Hippiam Prodicum Gorgiam ceteros, se autem omnium rerum inscium fingit et rudem. Decet hoc nescio quo modo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior. Sed in historia, qua tu es usus in omni sermone, cum qualis quisque orator fuisset exponeres, vide, quaeso, inquit, ne tam reprehendenda sit ironia quam in testimonio. 293. Quorsus, inquam, istuc? non enim intellego. Quia primum, inquit, ita laudavisti quosdam oratores, ut imperitos posses in errorem inducere. Equidem in quibusdam risum vix tenebam, cum Attico Lysiae Catonem nostrum comparabas, magnum, me Hercule, hominem vel potius summum et singularem virum: nemo dicet secus; sed oratorem? sed etiam Lysiae similem? quo nihil potest esse pictius. Bella ironia, si iocaremur; sin asseveramus, vide ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium diceremus. 294. Ego enim Catonem tuum ut civem, ut

293. *diceremus*] dicamus.

293. *quorsus*] antiquius hoc et rarius apud Ciceronem, sed praeferendum, quia ed. pr. et codd. nostri in eo conspirant. *Quorsum* soli Gu. 1. 2. et fortasse Par. D. exhibent, libri cum Ven. 1. & Lg. 8. 51. haudquaquam conferendi. — *intellego*] sic Lg. 8. 35. 51. Ott. — *laudavisti*] *laudasti* Lg. 20. 35. 58. ed. pr. — *posses*] *possis* olim praeferebam. Nunc aliter sentio, sed non quia *possis* significet id egisse Ciceronem, ut lecturos in errorem induceret, quod Orellio visum; sed quia *possis* tempus illud spectet, quo Atticus loquitur, quasi nunc quoque aliqui in errorem induci possint. — *tenebam, cum*] *ut cum* Ernesto placebat. Sed negligentius loquitur pro colloquii indole Cicero et σχετλιάζοντα Atticum facit. — *me Hercule*] sic Lg. 39. 53. 58. 70. — *sed oratorem*] *sin or.* Lg. 8. 56., eidemque mox *sin etiam*. — *quo nihil*] *quod n.* Lg. 8 corr. 35 corr. 39. 51. 53. 68. 70. — *pictius*] *perfectius* placuit Sarpio Qu. Phil. p. 48. et Meyero; defendunt vulgatam Ern. Lex. Rhet. Lat. p. 285. Frotscherus ad Quintil. X. 1, 78., Orellius. — *vide, ne*] *vide ut* Gu. 1. — *diceremus*] *dicamus* Ern. ignorans imperfectum con-

senatorem, ut imperatorem, ut virum denique cum prudentia et diligentia tum omni virtute excellentem probo; orationes autem eius ut illis temporibus valde laudo: significant enim formam quandam ingeni, sed admodum impolitam et plane rudem. Origines vero cum omnibus oratoriis laudibus refertas diceres et Catonem cum Philisto et Thucydide comparares, Brutone te id censebas an mihi probaturum? Quos enim ne e Graecis quidem quisquam imitari potest, his tu comparas hominem Tusculanum non dum suspicantem quale esset copiose et ornate dicere.

LXXXVI. 295. Galbam laudas. Si ut illius aetatis principem, assentior: sic enim accepimus: sin ut oratorem, cedo, quaeso, orationes (sunt enim) et dic hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes. Paulum hic tibi assentior, modo ita laudes, ut antiquas: quod item de Africano, de Laelio, cuius tu oratione negas fieri quicquam posse dulcius: addis etiam, nescio quid augustius. nomine nos capis summi viri vitaeque elegantissumae verissumis laudibus. Remove haec: nae ista dulcis oratio ita sit abiecta, ut eam aspicere nemo velit. 296. Carbonem in summis oratoribus habitum scio: sed cum in ceteris rebus tum in dicendo semper, quo nihil est melius, id laudari, qualecunque est, solet. Dico idem de Gracchis: etsi de eis ea sunt a te dicta, quibus ego assentior. Omitto ceteros: venio ad eos, in quibus iam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audivi sine controversia magnos oratores, Crassum et Antonium. De horum laudibus tibi prorsus assentior: sed tamen non isto modo, ut Polycliti Doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse. haec germana ironia est. cur ita sentiam non dicam, ne me tibi assentari putes. 297. Omitto igitur quae de his ipsis, quae de Cotta, quae de Sulpicio, quae modo de Caelio dixeris. hi enim fuerunt certe oratores; quanti autem et quales tu videris. Nam illud minus curo, quod con-

294. *oratoriis*] oratoris. — *his*] iis.

297. *de his*] de iis. — *hi enim*] ii enim.

ditionale praesentis vim habere, ut tamen res ficta dicatur. Iure defendit Heusingerus hac explicatione: *vide ne religio nobis tam adhibenda sit, quam adhibenda esset, si testimonium diceremus.*

294. *orationes autem*] iniuria *autem* suspectat Orellius. Idem est, ac si dicatur: orationes autem eius, cum pro temporibus illis valde laudabiles videantur, ingenium tamen incultum ac rude significant. — *formam quandam*] sic Lg. omnes, Ven. Rom. ed. pr.; vulgo inv. — *ingeni*] sic Lg. 8. 51. 53. Ven. 1. — *oratoriis*] codd. et ed. pr. *oratoris;* sed *oratoris* laudes non possunt tribui *orationibus.* Correxit Manutius. — *Brutone te*] *te* om. edd. pleraeque ante Lambinum; certe Nor. Vict. Ald. — *his tu*] vulgo *iis tu;* illud ex ed. pr. recepit Meyerus, quia vim sententiae habet; et sic Ven. 1. Ottob. Lg. praeter 20. 35. — *non dum*] divisim Lg. 8. 53. 56. 70. Ott. — *quale*] *que* Gu. 1.

LXXXVI. 295. *accepimus*] sic libri; ed. pr. *accipimus,* contra usum latinitatis. — *quod item*] *quod idem* ed. pr. probatum Meyero minus recte interpretato. Si verum esset, supplendum esset ita: *quod idem tibi assentior.* — *fieri quicquam*] inv. Lg. 20. 35. — *augustius*] *angustius* Lg. praeter 20. 35. 56. 68.; item Gu. 1. — *capis*] *capi* Aldus, unde *capi volens* Hervagius. — *ut eam*] *autem* Lg. 56. 58. 68. 70. ita var. 39. *ita dulcis oratio ista* ed. pr., Lg. 35. 51. 53. 56. 68. 70. — *eam*] om. Gu. 1. Lg. 20. 35. 39. 51. 53. — *aspicere*] sine *d* codd.

296. *quo*] *quoniam* Lg. 8. 20 corr. 35. inscr. *quom.* 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Gu. 1. 2. *cum* ed. pr. — *solet*] om. Gu. 1. — *de eis*] sic codd. omnes et ed. pr. *de iis* vulgo. — *venio*] *venis* Lg. omnes, Gu. 1. ed. pr. Sed *venio,* quod unice aptum, Ott. — *Polycliti*] sic aut *i* pro *y* Lg. 8. 20. 35. 39. 51. 53. 68. 70. Gu. 1. Ven. 1. 2. Ott. V. Comm. Cr. in de Or. I. 21, 98.

297. *de his*] sic Lg. praeter 20. 35. 39., Ven. 1. Ott. Gu. 1. ed. pr. Rell. *de iis.* — *Caelio*] Lg. 8. 35. 51. 56. 58. Lamb. — *dixeris*] Sch. corr. *dixisti.* — *hi enim*] Lg. quos modo dixi, Ven. 1.

gessisti operarios omnis: ut mihi videantur mori voluisse non nulli, ut a te in oratorum numerum referrentur.

LXXXVII. Haec cum ille dixisset, Longi sermonis initium pepulisti, inquam, Attice, remque commovisti nova disputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. 298. Volvendi enim sunt libri cum aliorum, tum in primis Catonis. intelleges nihil illius lineamentis nisi eorum pigmentorum, quae inventa non dum erant, florem et colorem defuisse. Nam de Crassi oratione sic existumo ipsum fortasse melius potuisse scribere; alium, ut arbitror, neminem. Nec in hoc ironiam dixeris esse, quod eam orationem mihi magistram fuisse dixerim. nam etsi tu melius existumare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate, tamen adolescentes quid in Latinis potius imitaremur non habebamus. 299. Quod autem plures

Ott. Gu. 1. ed. pr. — *omnis*] sic Lg. omnes, Ven. 1. Ott. ed. pr. — *non nulli*] divisim Lg. 8. 39. 56. 70.

LXXXVII. *pepulisti*] ab Asc. 2. et Vict. profectum. Codd. plerique, certe Lg. praeter 39., Ven. 1. Ott. Vat. Gu. 2. ed. pr. *depulisti;* Lg. 39. Ven. 2. *daepulisti*. *detulisti* Man. Lamb.; om. plane Gu. 1. eumque Meyerus sequitur. *posuisti* coni. Spitznerus.

298. *in primis*] iunctim Lg. 58. *imprimis* 20. 53. — *non dum*] divisim Lg. 39. 53. 56. 70. — *existumo*] ita Lg. 8. 35. 51. 53. 68. Ott. — *dixeris*] hoc meorum soli Lg. 68 corr. *duxeris*, Ott., ed. pr. *eduxeris* Lg. 8. 20. 35 corr. et in mg. ut 68., 51. 56. 58. *aeduxeris* 39. *duxeris* Gu. 1. *edixeris* Gu. 2. et olim Orellius. — *fuisse*] *esse* ed. pr. — *tu*] *ut tu* Lg. praeter 20. 56. — *facultate*] *facultatem* attractionis figura, nescio an rectius, Lg. praeter 20. 58. — *habebamus*] *habeamus* Ven. 1.

299. *intellegi*] sic Lg. 8. 51. Ott. *intelligere* Gu. 1. — *εἴρωνα*] latinis literis libri collati, omnes autem *ironia* s. *yr.* et nonnulli coniunctim cum sqq. *ironiamenesi;* alii certe *menesi* coniungunt, ut Lg. 39. 51. 58. Ott.; haec ultima om. Lg. 56. — *existumari*] sic Lg. 8. 39. 51. 68. Ott. — *velim*] *non* ante *existumari* inserit ed. pr. *nolim* R. Steph. — *et in*] *et* om. Gu. 1.

300. *vero*] *ego vero* ed. pr. Lamb. „*Vero* in responsionis

a nobis nominati sunt, eo pertinuit, ut paulo ante dixi, quod intellegi volui in eo, cuius omnes cupidissumi essent, quam pauci digni nomine evaderent. Quare εἴρωνα me, ne si Africanus quidem fuit, ut ait in historia sua C. Fannius, existumari velim. Ut voles, inquit Atticus. ego enim non alienum a te putabam quod et in Africano fuisset et in Socrate. 300. Tum Brutus, De isto postea: sed tu, inquit me intuens, orationes nobis veteres explicabis? Vero, inquam, Brute: sed in Cumano aut in Tusculano aliquando, si modo licebit: quoniam utroque in loco vicini sumus. Sed iam ad id, unde digressi sumus, revertamur.

LXXXVIII. 301. Hortensius igitur, cum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores causas adhiberi coeptus est † et, quanquam in-

301. *coeptus est et quanquam*] coeptus est. Quanquam.

initio cum asseveratione dici post alios (velut Gruterus h. l. contulerat Tusc. II. 21. Divin. I. 46. Mur. 31.) observat Heinrich. in Cic. Rp. I. p. 200.“ *Meyer*. *inquam vero* Lg. 56. *vere* 70. — *digressi*] per *i* mei libri omnes, sed *digessimus* aut *digressimus* s. *diggr.* Lg. 8 corr. 35. 39. 51. 53. 58. 70. Ven. 1. *degressimus* ed. pr.

LXXXVIII. 301. *coeptus est et, quanquam*] *et* coniectura addidi, ne sententiae nexu carerent; perfacile excidit propter praegressum *est*. Bernhardy ipse quoque sententiae vinculum requirens proposuit *qui quanquam;* sed cum Hortensii persona prioribus satis definita sit, *is* s. *qui* inferri consentaneum non est; desideratur potius quo sententia haec cum praegressa *celeriter ad maiores causas adhiberi coeptus est* coniungatur. Orellius ex Crevieri et Schuetzii coniectura dedit *comparabantur;* sed ex c. 57. discitur Sulpicium et Cottam haudquaquam cum Crasso et Antonio esse comparatos; Meyerus eiecto *est* ipse quoque *et* scripsit; cui recte obiecit Bernhardy minime probabilem esse hanc sententiarum iuncturam: *adhiberi coeptus et comparabatur*. In nostra scriptura *coeptus est* rem semel factam et uno quasi impetu celeriter peractam significat: statim enim in principum numerum pervenit Hor-

ciderat in Cottae et Sulpici aetatem, qui annis decem maiores excellente tum Crasso et Antonio dein Philippo post Iulio cum his ipsis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror; ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. hoc adiumento ille tanto sic utebatur, ut sua et commentata et scripta et nullo referente omnia adversariorum dicta meminisset. 302. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim. nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret aut meditaretur extra forum. saepissume autem eodem die utrumque faciebat. attuleratque minime vulgare genus dicendi; duas quidem res, quas nemo alius: partitiones quibus de rebus dicturus esset, et collectiones, memor et quae essent dicta contra quaeque ipse dixisset. 303. Erat in verborum splendore elegans compositione aptus facultate

301. *dein*] deinde. — *his*] iis.

tensius; *comparabatur* indicat per omnem aequalium aetatem fieri solitum. — *Sulpici*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 58. Ott. Vat. — *dein*] sic pro vulgato *deinde* Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 68. Ven. 1. ed. pr. Nor. — *cum his*] ita Or. ex ed. pr.; addo Lg. 8. 39. 51. 53. 56. 58. 70. Ott. Ven. 1. — *in nullo*] scripsit primus Manutius; nunc idem monstrarunt Lg. 53. 68. 70. Ott. Rell. *ullo*. — *redderet*] om. Gu. 1. *redoleret* ed. pr. — *cogitavisset*] *excog.* Asc. 2. RSteph. Lamb. — *sua et*] sic codd. et ed. pr. *et* om. Par. D. Lamb.

302. *in nullo*] *in ullo* Lg. 20. — *enim*] om. Gu. 1. — *saepissume* sic Lg. 8. 51. Ott. — *collectiones*] *coniectiones* Lg. omnes, Veneti, Romani, Gudiani, omnino quicquid librorum accurate collatum est. Id cum ex scriptura *conlectiones* ortum esse manifestum sit, simul etiam vitiosae scripturae *coniunctiones* in ed. Med. originem aperit. — *memor*] *memoriter* ed. pr. Deinde pro *et quae* Orellius in ed. mai. coniecit *eorum quae;* probavitque Hand. Tursell. II. p. 528. Sed ex exemplis ab eo prolatis ipsis clarum est *et* — *que* apud Ciceronem recte inter se opponi.

copiosus; eaque erat cum summo ingenio tum exercitationibus maxumis consecutus. Rem complectebatur memoriter dividebat acute nec praetermittebat fere quicquam, quod esset in causa aut ad confirmandum aut ad refellendum. Vox canora et suavis: motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis. Hoc igitur florescente Crassus est mortuus Cotta pulsus iudicia intermissa bello; nos in forum venimus.

LXXXIX. 304. Erat Hortensius in bello primo anno miles, altero tribunus militum; Sulpicius legatus aberat, etiam Antonius; exercebatur una lege iudicium Varia ceteris propter bellum intermissis: cui frequens aderam, quanquam pro se ipsi dicebant oratores non illi quidem principes L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen teste diserto uterque Philippo, cuius in testimonio contentio et vim accusatoris habebat et copiam. 305. Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus

304. *cui frequens aderam*] qui frequentes aderant.

303. *cum summo*] *tum s.* Lg. 39. — *maxumis*] sic Lg. 8. 35. 51. 58. Ott. — *erat oratori*] *erat* om. ed. pr.

LXXXIX. 304. *Antonius*] *M.* praefixum omisi: v. Expl. de Or. III. 1, 4. — *cui frequens aderam*] haec ed. pr. scriptura recte explicata ab Orellio suppeditatur etiam plurimis libris. Ab Aldo inde traditum erat *qui frequentes aderant*, sententia nulla; Lambinus praeterea *tantum* dedit pro *quanquam*. Sed *cui* pro *qui* Lg. 53. 68. 70. Ott. *frequens* Lg. omnes praeter 8., item Ven. 1. Gu. 1. 2. Ott. *aderam* Lg. omnes praeter 20. (is *aderat*), item Ven. 1. Gu. 1. Ott. Schneiderus *frequenter* scripturus erat, ignarus sermonis; Schuetzius cetera ut codd. illi, sed *quanquam* in *cum* mutavit, Buttmannus coniecit *teste diserto utentes uterque Philippo*, quod etiam in nostra scriptura inest. Ceterum *uterque teste dis. Phil.* Lg. 51. *utroque* 20. — *cuius in*] *in* om. Ven. 2. ed. pr.

305. *tum*] *tunc* ed. pr. — *numerabantur*] *nominab.* Lg. 39. — *in magistratibus*] *in* om. Gu. 1. — *cotidieque*] Lg. 53. Ott. idem

erant cotidieque fere a nobis in contionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum C. Curio: quanquam is quidem silebat, ut erat semel a contione universa relictus; Q. Metellus Celer non ille quidem orator, sed tamen non infans; diserti autem Q. Varius C. Carbo Cn. Pomponius, et hi quidem habitabant in rostris. C. etiam Iulius aedilis curulis cotidie fere accuratas contiones habebat. Sed me cupidissumum audiendi primus dolor percussit, Cotta cum est expulsus. Reliquos frequenter audiens acerrumo studio tenebar cotidieque et scribens et legens et commentans oratoriis tantum exercitationibus contentus non eram. Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat. **306.** Ego autem iuris civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae Q. F., qui, quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proxumus Sulla consule et Pompeio fuit. Tum P. Sulpici in tribunatu cotidie contionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. eodemque tempore

mox. — *contionibus*] sic Lg. plerique, Ven. 1. Ott.; ita *contione* mox eidem et Gu. 1. — *et hi*] sic Lg. praeter 20. 35., item Ven. 1. Ott. Gu. 1. ed. pr. Orell.; vulgo *et ii.* — *acerrumo*] sic Lg. 8. 51. 58. 68. 70. Ott. — *oratoriis*] *oratoris* Lg. 8. 20. 51. 56. 58. — *tantum*] Corrado placuit *tamen*, Orellius *non* eiecit idque Bernhardyo placet, quod non constet Ciceronem philosophiae operam dedisse ante, quam in Philonis notitiam pervenisset, quod annis demum duobus post factum docet §. 306. Verum etsi non constat, potuit tamen initia discere alio magistro ignobiliore; ego autem literas et carmina intelligenda puto, quibus et multis annis postea operam dedisse Ciceronem scimus.

306. *Q. F.*] *P. F.* libri omnes. — *proxumus*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 68. 70. Vat. Ott. — *Sulla*] sic hic, quod rarum in libris, Ott. Gu. 1. Lg. praeter 39. 56.; *silla* Ven. 1. — *Sulpici*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 70. Ven. 1. — *cotidie*] Lg. 51. 53. Gu. 1. Ott. —

cum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optumatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus: in quo hoc etiam commorabar attentius, quod, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. **307.** occiderat Sulpicius illo anno tresque proxumo trium aetatum oratores erant crudelissume interfecti Q. Catulus M. Antonius C. Iulius. Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam et actori summo causarum et magistro.

XC. Haec etsi videntur esse a proposita ratione diversa, tamen idcirco a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere, quoniam voluisti, Brute, possis (nam Attico haec nota sunt) et videre quem ad modum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti. **308.** Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu aut discessu aut fuga (nam aberant etiam adolescentes M.

contionantis] *t* Lg. omnes, Ven. 1. Ott. Gu. 1., quidam autem *contionibus.* — *optumatibus*] sic Lg. 8. 51. 53. 58. 68. 70 (is *optumacibus).* — *quod, etsi*] *quod* om. Lg. praeter 53. 68., item Gu. 1. Ven. 1. — *tamen*] *sed tamen* Lg. praeter 35.

307. *proxumo*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. Ott. Vat. — *crudelissume*] sic Lg. 8. 51. Ott. — *Catulus*] *Catullus* Lg. 39. Ott. Gu. 1., qui sic ubique. — *Moloni*] *miloni* Gu. 1. Lg. 53.

XC. *proposita ratione*] *pr. oratione* Asc. Lamb.; illud recte habet *τέλος λόγου* significans; est enim *ratio huic disputationi proposita.* — *spatio*] *stadio* Orellius. *Spatium* significat cursum sive certaminibus sive confabulationi literariae destinatum; notavit Bernhardy, idem indicans Huschkii Ep. Crit. in Propertium p. 73 sqq. — *ipsius*] quippe ut eum in sua arte aequaremus. *ipsis* Lamb., quasi de pedisequo.

Crassus et Lentuli duo) primas in causis agebat Hortensius; magis magisque cotidie probabatur Antistius; Piso saepe dicebat, minus saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. 309. Eram cum Stoico Diodoto, qui, cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus. a quo cum in aliis rebus tum studiosissume in dialectica exercebar, quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est: sine qua etiam tu, Brute, iudicavisti te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse putant, consequi non posse. Huic ego doctori et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. 310. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo cotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem neque doceri. 311. Tu-

308. *cotidie*] sic Lg. 51. 53. 70. Ott. om. ed. pr. — *probabatur*] *probatur* ed. pr.

309. *Diodoto*] *diodoro* Lg. 20. 35. 53. 56. 68. 70. ed. pr. — *apud me mecumque*] *apud me: cum Quinto* ed. pr.; Lg. praeter 51. 53. 70. *me* alterum omittunt. — *astricta*] sine *d* Lg. omnes, Ven. 1. 2. Gu. 1. Ott. Vat. — *dilatatam*] *dilatam* Lg. omnes, ed. pr. *dilactam* Gu. 1. In Lg. 39 corr. *esse dilatatam;* ita Lamb. Meyer. — *eram tamen*] *eram tum* Asc.

310. *loquuntur*] *locuntur* Lg. 20. 35. *loquimur* Gu. 1. haud inepte. — *aliquo*] *alio* Hervag. — *cotidie*] sic Lg. 53. 56. Ottob. — *afferebat*] *afferret* voluit Ern., propter coniunctivos sequentes; sed hi sui iuris sunt et conditionali nexu inter se continentur. — *possem*] Lg. omnes et Gu. 1. 2. *possim;* in 35 corr. *possem.*

311. *pro recuperanda*] *pro* om. Lg. omnes, Veneti, Romani

multus interim pro recuperanda republica et crudelis interitus oratorum trium Scaevolae Carbonis Antisti; reditus Cottae Curionis Crassi Lentulorum Pompei; leges et iudicia constituta; recuperata respublica; ex numero autem oratorum Pomponius Censorinus Murena sublati. Tum primum nos ad causas et privatas et publicas adire coepimus, non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus. 312. Eodem tempore Moloni dedimus operam: dictatore enim Sulla legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat. Itaque prima causa publica pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna nostro patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas non minus diligenter elaboratas et tanquam elucubratas afferebamus.

XCI. 313. Nunc quoniam totum me, non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni videris velle cognoscere, complectar non nulla etiam, quae fortasse videantur minus necessaria. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum; qui habitus et quae figura non procul abesse putatur

Gudiani, puto quicquid collatum adhuc est; hinc non levis nascitur suspicio corrigendum esse *tumultus recuperandae rei publicae.* — *Antisti*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Ven. 1. eidemque praeter 56. mox *Pompei.* — *Murena*] nullus liber *ae; et murena* Lg. 39.

312. *Sulla*] *sylla* Lg. 39 corr. u. t. 56. 68. Rell. recte. — *habuit*] *habui* Lg. praeter 35., item Gu. 1. et Gruteri codd. duo. — *ut non ulla*] *ut nonnulla* Lg. 53 corr. *ut nulla* 20 corr. — *quas nos*] sic ed. pr. Lg. omnes, Ven. 1. Gu. 1. 2. Ott. Vat. *quas non* ed. Ven. *quas non minus* vulgo inde ab Asc. 1. — *et tanquam*] Lg. 70. om. *et tanquam elucubratas.* *etiam quam* Par. D. Lg. praeter 8. 35. 51., etiam Ven. 1. Ott. Gu. 1. Facile erat *tan* s. *tam* et *iam* confundere.

XCI. 313. *non nulla*] sic divisim Lg. 8. 39. 56. 70. Ven. 1. —

a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebam. **314.** Itaque cum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem, quodvis potius periculum mihi adeundum quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi. Sed cum censerem remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi me et periculum vitare posse et temperatius dicere, ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque cum essem biennium versatus in causis et iam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. **315.** Cum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho veteris Academiae nobilissumo et prudentissumo philosopho fui studiumque philosophiae nunquam intermissum a primaque adolescentia cultum et semper auctum hoc rursus summo auctore et doctore renovavi. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum veterem et non ignobilem dicendi magistrum studiose exerceri solebam. Post a me Asia tota peragrata est cum summis quidem

accedit] sic ed. pr. et libri plerique; *accidit* Lg. 8 corr. 70. Gu. 1.; *accedat*, ut Lamb. a. 1584., Lg. 20.

314. *a sperata*] *aspera* Gu. 1. — *discedendum*] *discendum* Gu. 1. *desciscendum* proposuit Ern.; satis infeliciter. — *temperatius*] *temperantius* Lg. 53. — *mutarem*] *mutarim* Lg. 8. 39. 51. 56. 58. Ven. 1. — *biennium*] *biennio* Lg. 20. — *et iam*] *etiam* ed. pr. *etiam et* Gu. 1. — *nomen*] om. Gu. 1.

315. *nobilissumo*] sic Lg. 8. 51. 53. Ott. iidem *prudentissumo*. — *Syrum*] *Syrium* Lamb. a. 1584 et placet Orellio; qui cum Asianos rhetores probet, non video quidni etiam Syrum. — *lubentibus*] *libentibus* ed. pr. *iubentibus* Ven. 1.; scriptura memorabilis. — *nec ineptiarum*] *et inept.* Nor.

316. *Cnidius*] *gnidius* ed. pr. Lg. omnes, Ven. 1. 2. Vat. et a pr. m. Ottob. *ovidius* Gu. 1. — *scriptoremque*] *scriptoque*

oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus; quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio tota Asia illis temporibus disertissumus: et, si nihil habere molestiarum nec ineptiarum Atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. **316.** Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes. erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramyttenus Xenocles. hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus Rhodum veni meque ad eundem, quem Romae audiveram, Molonem applicavi, cum actorem in veris causis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissumum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit), ut nimis redundantis nos et superfluentis iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentis coerceret. Ita recepi me biennio post non modo exercitatior, sed prope mutatus. nam et contentio nimia vocis resederat et quasi deferverat oratio, lateribusque vires et corpori mediocris habitus accesserat.

XCII. **317.** Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius: quorum

316. *resederat — deferverat*] reciderat — referverat.

ed. pr. — *redundantis*] hoc et *superfluentis* etiam sine libris dedi, quia unicum in Bruto. Ceterum *suprafluentes* Gu. 1. 2. Lg. 8. 20. (divisim) 51. 68. *supraffluentes* ed. pr. Sch. pro interpretatione vocis praecedentis habet; nec improbat hoc Orell. — *diffluentis*] sic Lg. 20. 35. 39. 53. 68. Ven. 1. ed. pr. *diffluenti* ... Lg. 8. sine lacuna 51. 56. 58. Ott. *defluentes* Ven. 2. *diffluentem* Orellius mavult; quasi quis *ripas diffluentes* iuncturus sit. — *resederat*] sic Lamb.; libri *reciderat*, quod sic non videtur dici. *residerat* Orell. — *deferverat*] sic primus Aldus; nec credo in Par. D. reperiri. Lg. enim, Veneti, Romani, Gudiani omnes *referverat*; in Ven. 1. supra *v* scriptum *b*; *referbuerat* ed. pr. — *corpori*] sic, ut Ern., Gu. 1. Ott. Ceteri, ut vulgo, *corporis*.

alter remissus et lenis et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam; alter ornatus acer et non talis, qualem tu eum, Brute, iam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et aetate coniunctior. Et enim videram in eisdem causis, ut pro M. Canuleio pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partis Hortensium. acrem enim oratorem incensum et agentem et canorum concursus hominum forique strepitus desiderat. 318. Unum igitur annum, cum rediissemus ex Asia, causas nobilis egimus, cum quaesturam nos consulatum Cotta aedilitatem peteret Hortensius. Interim me quaestorem Siciliensis excepit annus, Cotta ex consulatu est profectus in Galliam; princeps et erat et habebatur Hortensius. Cum autem anno post ex Sicilia me recepissem, iam videbatur illud in me, quicquid esset, esse perfectum et habere maturitatem quandam suam. Nimis multa videor de me, ipse praesertim: sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longe

318. *ex Sicilia*] e Sicilia.

XCII. 317. *et enim*] Lg. 39. 56. 58. Ven. 1. ed. pr. — *Canuleio*] *Canulegio* Gu. 1. sueto vitio. — *partis*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 70. Ven. 1.

318. *rediissemus*] *redissemus* Lg. 20. ed. pr. — *nobilis*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Ott. — *ex Sicilia*] sic Lg. quos modo diximus et ed. pr.; Meyerus *e.* — *quicquid*] sic Lg. omnes, Ven. 1. Ott. Vat.

319. *plurumis*] sic Lg. 8. 51. Ott. mox *maxume* hi et 35. 53. 58. 68. 70.

XCIII. *oratoriam*] *oratorum* Lamb. secundum Corradum, Sch., non dissentiente Meyero. Iure improbat Bernhardy. —

absum, sed ut laborem et industriam. 319. Cum igitur essem in plurumis causis et in principibus patronis quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxume in certamen veni designatus aedilis cum designato consule Hortensio.

XCIII. Sed quoniam omnis hic sermo noster non solum enumerationem oratoriam, verum etiam praecepta quaedam desiderat: quid tanquam notandum et animadvertendum sit in Hortensio breviter licet dicere. 320. Nam is post consulatum, credo, quod videret ex consularibus neminem esse secum comparandum, neglegeret autem eos, qui consules non fuissent, summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Primus et secundus annus et tertius tantum quasi de picturae veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existumator doctus et intellegens posset cognoscere. Longius autem procedens, ut in ceteris eloquentiae partibus, tum maxume in celeritate et continuatione verborum adhaerescens sui dissimilior videbatur fieri cotidie. 321. Nos autem non

320. *ut in ceteris*] et in ceteris.

320. *videret*] *viderit* Lg. plerique et ed. pr. — *neglegeret*] sic Lg. 8. 35. 51. 58. Ott. — *quasi*] om. ed. pr., et est sane rarum *quasi* pro *fere* dictum, ad modum Graeci ὡς s. ὡςεί. — *existumator*] *aestumator* Lg. 8. 35. 51. Ven. 1. *extumator* Ott. *estimator* Lg. 39. 70. *estumator* 53. 58. 68. *extimator* 20. 56. ed. pr. — *intellegens*] sic Lg. 8. 51. Ott. — *posset cognoscere*] *posset magnum scelus* Gu. 1. 2. Lg. praeter 8. 35. 51. Nam falsum est *cognoscere* in Gu. 1. legi, ut dicit Meyerus. — *ut in ceteris*] sic Lg. omnes, Ven. 1. Ott. Vat. Gu. 1. ed. pr. Nor. Orell. Meyer.; probat Hand. Tursell. II. p. 538. *et in ceteris* vulgo inde ab Aldo. *et cum in ceteris* Lamb. — *maxume*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Ott. — *cotidie*] Lg. 53. Ott.

alter remissus et lenis et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam; alter ornatus acer et non talis, qualem tu eum, Brute, iam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et aetate coniunctior. Et enim videram in eisdem causis, ut pro M. Canuleio pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partis Hortensium. acrem enim oratorem incensum et agentem et canorum concursus hominum forique strepitus desiderat. **318.** Unum igitur annum, cum rediissemus ex Asia, causas nobilis egimus, cum quaesturam nos consulatum Cotta aedilitatem peteret Hortensius. Interim me quaestorem Siciliensis excepit annus, Cotta ex consulatu est profectus in Galliam; princeps et erat et habebatur Hortensius. Cum autem anno post ex Sicilia me recepissem, iam videbatur illud in me, quicquid esset, esse perfectum et habere maturitatem quandam suam. Nimis multa videor de me, ipse praesertim: sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longe

318. *ex Sicilia*] e Sicilia.

XCII. 317. *et enim*] Lg. 39. 56. 58. Ven. 1. ed. pr. — *Canuleio*] *Canulegio* Gu. 1. sueto vitio. — *partis*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 70. Ven. 1.

318. *rediissemus*] *redissemus* Lg. 20. ed. pr. — *nobilis*] sic Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. 58. 68. 70. Ott. — *ex Sicilia*] sic Lg. quos modo diximus et ed. pr.; Meyerus *e*. — *quicquid*] sic Lg. omnes, Ven. 1. Ott. Vat.

319. *plurumis*] sic Lg. 8. 51. Ott. mox *maxume* hi et 35. 53. 58. 68. 70.

XCIII. *oratoriam*] *oratorum* Lamb. secundum Corradum, Sch., non dissentiente Meyero. Iure improbat Bernhardy. —

absum, sed ut laborem et industriam. **319.** Cum igitur essem in plurumis causis et in principibus patronis quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxume in certamen veni designatus aedilis cum designato consule Hortensio.

XCIII. Sed quoniam omnis hic sermo noster non solum enumerationem oratoriam, verum etiam praecepta quaedam desiderat: quid tanquam notandum et animadvertendum sit in Hortensio breviter licet dicere. **320.** Nam is post consulatum, credo, quod videret ex consularibus neminem esse secum comparandum, neglegeret autem eos, qui consules non fuissent, summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Primus et secundus annus et tertius tantum quasi de picturae veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existumator doctus et intellegens posset cognoscere. Longius autem procedens, ut in ceteris eloquentiae partibus, tum maxume in celeritate et continuatione verborum adhaerescens sui dissimilior videbatur fieri cotidie. **321.** Nos autem non

320. *ut in ceteris*] et in ceteris.

320. *videret*] *viderit* Lg. plerique et ed. pr. — *neglegeret*] sic Lg. 8. 35. 51. 58. Ott. — *quasi*] om. ed. pr., et est sane rarum *quasi* pro *fere* dictum, ad modum Graeci *ὡς* s. *ὡςεί*. — *existumator*] *aestumator* Lg. 8. 35. 51. Ven. 1. *extumator* Ott. *estimator* Lg. 39. 70. *estumator* 53. 58. 68. *extimator* 20. 56. ed. pr. — *intellegens*] sic Lg. 8. 51. Ott. — *posset cognoscere*] *posset magnum scelus* Gu. 1. 2. Lg. praeter 8. 35. 51. Nam falsum est *cognoscere* in Gu. 1. legi, ut dicit Meyerus. — *ut in ceteris*] sic Lg. omnes, Ven. 1. Ott. Vat. Gu. 1. ed. pr. Nor. Orell. Meyer.; probat Hand. Tursell. II. p. 538. *et in ceteris* vulgo inde ab Aldo. *et cum in ceteris* Lamb. — *maxume*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Ott. — *cotidie*] Lg. 53. Ott.

desistebamus cum omni genere exercitationis tum maxume stilo nostrum illud, quod erat, augere, quantumcunque erat. Atque, ut multa omittam in hoc spatio [et in his post aedilitatem annis] et praetor primus et incredibili populi voluntate sum factus. nam cum propter assiduitatem in causis et industriam tum propter exquisitius et minime volgare orationis genus animos hominum ad me dicendi novitate converteram. 322. Nihil de me dicam: dicam de ceteris, quorum nemo erat, qui videretur exquisitius quam volgus hominum studuisse literis, quibus fons perfectae eloquentiae continetur; nemo, qui philosophiam complexus esset matrem omnium bene factorum beneque dictorum: nemo, qui ius civile didicisset rem ad privatas causas et ad oratoris prudentiam maxume necessariam; nemo, qui memoriam rerum Romanorum teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissumos testis excitaret; nemo, qui breviter arguteque incluso adversario laxaret iudicum animos atque a severitate paulisper ad hilaritatem risumque traduceret; nemo,

321. [*et in his — annis*] sine uncis; praeterea *iis* pro *his*. — *populi*] populari.

321. *maxume*] sic Lg. 8. 51. 68. Ott. — *quod erat*] om. Nor. — *et in his — annis*] *his* hic soli Lg. 56. Gu. 1. ed. pr. Ceteri *iis*. Sed maneo in illa sententia, ut inanem hanc *ταυτολογίαν* a Cicerone proficisci potuisse non credam. Distinctionem illam, qua ascita, cum olim *ut multa omittam παρενθέτως* scriberentur, omnia sana videri pronuntiat Meyerus, dudum ego praeceperam. — *et praetor primus*] *ut p. r. primus* ed. pr. *praetor et primus* Lamb. — *populi*] est Lambini coniectura; libri *populari*. Orellius *populi Romani*, quod gravius, quam pro natura colloquii familiaris. — *volgare*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. Ott. *volgaris* 70. Eidem et Vat. Ven. 2. §. 322. *volgus*.

322. *maxume*] sic Lg. 8. 51. 68. Ott. — *incluso*] *concluso* Lg. 35. — *ad communem*] *ad* om. Lg. 8. 20. 35 add. 39. 51,

qui dilatare posset atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis orationem traducere; nemo, qui delectandi gratia digredi parumper a causa, nemo, qui ad iracundiam magno opere iudicem, nemo, qui ad fletum posset adducere; nemo, qui animum eius, quod unum est oratoris maxume proprium, quocunque res postularet impellere.

XCIV. 323. Itaque cum iam paene evanuisset Hortensius et ego anno meo, sexto autem post illum consulem consul factus essem, revocare se ad industriam coepit, ne, cum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maxumis causis, cum ego mihi illum, sibi me ille anteferret, coniunctissume versati sumus; consulatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat. 324. Maxume vero perspecta est utriusque nostrum exercitatio paulo ante, quam perterritum armis

322. *traducere — impellere*] traduceret — impelleret.

56. 58. Ven. 1. Ott. — *orationem traducere*] plerique codd. et ed. pr. *or. traduceret*, quippe quae verbi forma modo affuisset. Sed nostram scripturam, quam suasit Ernestus, clare exhibent Lg. 53. 58. 70. *traducere::et* 8. — *digredi*] *diggredi* Lg. 35. *degredi* Lamb. — *magno opere*] sic Lg. 8. 39. 51. 70. — *maxume*] sic Lg. 8. 51. 53. 68. 70. — *impellere*] hic infinitivum solus habet Ottob., ut voluit post Manutium Ernestus.

XCIV. 323. *maxumis*] sic Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. 70. Ott. — *cum ego*] *tum ego* Gu. 1. — *sibi me ille*] *ille* om. Ven. 1. — *coniunctissume*] scripsi sine libris, quia *i* superlativorum in Bruto plane solitarium. — *leviter*] *leniter* Lg. pr. eter 39., item Ven. 1. 2. id hic non ineptum; quod raro fit.

324. *maxume*] ita Lg. praeter 20. 39. 56., item Ott. — *ob-*

hoc studium, Brute, nostrum conticuit subito et obmutuit: cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillumas inter se vel potius easdem novi veniebamus cotidie. 'quibus quidem causis tu etiam, Brute, praesto fuisti, complurisque et nobiscum et solus egisti: ut qui non satis diu vixerit Hortensius tamen hunc cursum confecerit. Annis ante decem causas agere coepit, quam tu es natus; idem quarto et sexagesimo anno perpaucis ante mortem diebus una tecum socerum tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in utroque orationes utriusque etiam posteris nostris indicabunt.

XCV. 325. Sed; si quaerimus cur adolescens magis floruerit dicendo quam senior Hortensius, causas reperiemus verissumas duas. Primum quod genus erat orationis Asiaticum, adolescentiae magis concessum quam senectuti. Genera autem Asiaticae dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis; qualis in historia Timaeus, in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles frater eius fuit: quorum

mutuit] *commutuit* Lg. 20. 51 corr. ut 8., in quo et quibusdam aliis est *ommutuit*. — *ternis*] *tertiis* Gu. 1. — *simillumas*] sic Lg. 8. 51. Ott., eidem *cotidie*. — *complurisque*] sic Lg. omnes praeter 56., Gu. 1. Ven. 1. 2. ed. pr. — *ut, qui*] *ut* om. Gu. 1. — *confecerit*] *cum fecerit* Gu. 1. — *idem*] *idemque* ed. pr. Meyerus; quo debilitatur oratio sublata vi antitheti. — *quarto et*] *et* om. Lg. 8. 35. 39. 51. 53. 56. Ven. 1. 2. Ott. Gu. 1. ed. pr. — *sexagesimo*] *sexagesimo umo* Lg. 8 corr. ut 51.; hinc fortasse scribendum per *u*.

XCV. 325. *verissumas*] sic Lg. 8. 51. 53. 68. om. 20. — *primum*] *primam* coni. Ern. inutiliter. — *et severis, quam concinnis*] *et si* s. *etsi veris nunquam c.* ed pr. Lg. 8. 35. 39. 51. 56. corr. *non nunquam*, 58. Vat. Ven. 1. *et si veris quam conc.* 53. 68. 70. Verum est in meorum solis Lg. 20., alias saepe interpolato, et Ott. Nam ex Gu. 1. nihil enotavi, sed puto con-

utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum, quali est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum: in quo fuit Aeschylus Cnidius et meus aequalis Milesius Aeschines. in his erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. 326. Haec autem, ut dixi, genera dicendi aptiora sunt adolescentibus; in senibus gravitatem non habent. Itaque Hortensius utroque genere florens clamores faciebat adolescens. habebat enim et Meneclium illud studium crebrarum venustarumque sententiarum; in quibus, ut in illo Graeco, sic in hoc erant quaedam magis venustae dulcesque sententiae quam aut necessariae aut interdum utiles; et erat oratio cum incitata et vibrans tum etiam accurata et polita. Non probabantur haec senibus: saepe videbam cum irridentem tum etiam irascentem et stomachantem Philippum; sed mirabantur adolescentes, multitudo movebatur; erat excellens iudicio volgi et facile primas tenebat [adolescens]. 327. etsi

325. *in his*] in iis.
326. *movebatur; erat*] movebatur. Erat. — [*adolescens*] sine uncis.

spirare hunc cum ed. pr. — *qualis*] *quali* Iunt. Crat. Man. Lamb. Sch. Hoc significat *quo dicendi genere utitur*, ut post legitur de Asianis omnibus; illud autem *quanam natura et voluntate est*. — *et faceto*] om. ed. pr. — *Menecles*] *Menocles* ed. pr., ut §. 326. *Menoclium*. — *Cnidius*] omnes Lg., Veneti, Romani, ed. pr. *Gnidius*; per *c* Gu. 1. — *in his*] sic Lg. praeter 20., item Gu. 1. Ven. 1. Ott. ed. pr. Ernestus *in iis*.

326. *venustae*] *venustatum* Gu. 1. — *dulcesque*] *crebreque* Lg. 20. — *probabantur*] libri omnes et edd. vett. *probantur*; correxit Ern., quia non quid senibus universe, sed quid senibus aequalibus in Hortensio improbandum visum sit refertur. — *cum irridentem*] *tum irr.* ed. pr. — *erat excellens — adolescens*]

enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum esse aetati videbatur: et certe, quod et ingeni quaedam forma lucebat et exercitatio perfecta erat verborumque astricta comprehensio, summam hominum admirationem excitabat. Sed cum iam honores et illa senior auctoritas gravius quiddam requireret, remanebat idem nec decebat idem; quodque exercitationem studiumque dimiserat, quod in eo fuerat acerrumum, concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consuerat, ornata non erat. Hoc tibi ille, Brute, minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio et florentem facultate audire potuisses.

XCVI. 328. Tum Brutus, Ego vero, inquit, et ista, quae dicis, video qualia sint et Hortensium magnum ora-

haec pluribus displicuerunt nec desiderarentur, si abessent. Sed bene intellexit Bernhardy retineri posse, dum superioribus adiungantur et vocabulum *adolescens* subtrahatur. Sic igitur feci et simul paulo longius produxi §. 326, ne divideretur sententia. — *volgi*] sic Lg. 58. 70. Ottob.

327. *et ingeni*] *et* om. Gu. 1. *ingeni* Lg. 8. 35. 51. 53. 70. Ven. 1. 2. — *lucebat*] *elucebat* Lamb. Illud gravius; quasi lumine quodam suo exsplendescebat. — *exercitatione perfectum*] *exercitatio perf.* ed. pr., quod recepit Bernhardy editionis Meyerianae moderator perperam immissum *et* post *lucebat* arbitratus. At nemo nescit *et* minime semper connectere membra pari dignitate composita *(coordinirte Glieder);* quin duo *et* saepe deinceps ponuntur, quorum prius inferiora subiungit, alterum sententiae antecedenti ex duobus membris compositae novam addit. Supra 91, 314: *sed cum censerem remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi me — vitare posse* &c. Opponuntur inter se *sed — vocis* et *et — dicendi;* prius autem membrum alio *et* in duo incisa divisum est. De Or. II. 21, 88: *oratione autem celeri et concitata, quod erat ingeni, et verbis effervescentibus et paulo nimium redundantibus, quod erat aetatis.* Sententiae sunt *oratione — ingenii,* et *et verbis — aetatis;* sunt autem

torem semper putavi; maxumeque probavi pro Messalla dicentem, cum tu afuisti. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, scripta verbis oratio. Ergo ille a Crasso consule et Scaevola usque ad Paullum et Marcellum consules floruit; nos in eodem cursu fuimus a Sulla dictatore ad eosdem fere consules. Sic Q. Hortensi vox exstincta suo fato est, nostra publico. 329. Melius, quaeso, ominare, inquit Brutus. Sit sane ut vis, inquam, et id non tam mea causa quam tua: sed fortunatus illius exitus, qui ea non vidit, cum fierent, quae providit futura. saepe enim inter nos impendentis casus deflevimus, cum belli civilis causas in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus. Sed illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis, quae consecutae

eadem particula *et,* quae coniungendis ipsis constituta est, in bina membra distributae. Talia centena Cicero. *Et* autem et *que* recte inter se opponi ipsis exemplis efficitur, quae Handius ex contrario iudicat Turs. vol. II. p. 527 sqq. Deinde Bernhardy dicit iniuria tribui Hortensio iuveni formam splendidam exercitatione perfectam: quod quid sibi velit non assequor. — *verborumque astricta*] *verb. eratque astr.* Lg. praeter 68., item Gu. 1. — *comprehensio*] *compressio* Ven. 2. *comprensio* Lg. 8. 35. 51. 53. 58. 68. — *senior*] *sanior* Lg. 20. — *decebat*] *dicebat* Lg. 53. 70. Gu. 1. ed. pr. — *acerrumum*] Lg. 51. Ott. — *consuerat*] sic contracte Lg. praeter 20. 53., item Ven. 1. Ott. Vat. — *facultate*] *aetate* suspicio Ernesti haud sane probabilis.

XCVI. 328. *qualia sint*] *qu. sunt* Gu. 1. 2. Par. D. — *maxumeque*] sic Lg. praeter 20. 39. 56., item Ott. — *Messalla*] codicum sic solus Gu. 1. et ed. pr. v. ad 70, 246. — *afuisti*] Lg. sine *b; affuisses* Gu. 1. ed. pr. — *fuimus*] *sumus* Gu. 1. — *Hortensi*] sic Lg. praeter 20. 56., item Ven. 1. Vat. — *fato suo*] inv. ed. pr. sequente Meyero.

329. *ominare*] *omire* Lg. 8. 51. 58. *o mire* 39 corr. ut 8. *mire* Gu. 1. — *providit*] *praevidit* Lamb. Illud sollicitam curam

sunt, morte vindicavisse. 330. Nos autem, Brute, quoniam post Hortensi clarissumi oratoris mortem orbae eloquentiae quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam saeptam liberali custodia et hos ignotos atque impudentis procos repudiemus; tueamurque ut adultam virginem caste et ab amatorum impetu quantum possumus prohibeamus. Equidem, etsi doleo me in vitam paulo serius tanquam in viam ingressum, prius quam confectum iter sit, in hanc rei publicae noctem incidisse: tamen ea consolatione sustentor, quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissumis literis; quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quae de me etiam me tacente ipsa loquerentur mortuo viverentque; quae, si recte esset, salute rei publicae, sin secus, interitu ipso testimonium meorum de re publica consiliorum darent.

XCVII. 331. Sed in te intuens, Brute, doleo, cuius in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem transversa incurrit misera fortuna rei publicae. Hic me dolor tangit, haec cura sollicitat, et hunc mecum, socium eiusdem et amoris et iudicii. Tibi favemus, te

330. *mortuo viverentque*] mortuoque viverent.

praevidentis significat; recte sic Meyerus. — *vindicavisse*] sic Lg. praeter 20. 35 pr. m., item Gu. 1. Ven. 1. Ott. Vat. ed. pr. Vulgo *vindicasse*.

330. *Hortensi*] v. §. 328. — *saeptam*] sic Lg. 8. 51. 58. — *et hos*] *et eos* Gu. 1. — *amatorum*] sic clare scriptum in Lg. 20. 56. Gu. 1., de quo errant qui *armatorum* exhibere dicunt, ut est in codd. plerisque et ed. pr. — *prius, quam*] Lg. omnes divisim praeter 35. 70. — *gessissem*] *egissem* Lg. 20. — *mortuo viverentque*] sic Meyerus ex ed. pr.; itaque Gu. 1. Ven. 1. Ott. Vat. Lg. 8. 20. 35. 53. 56. 58. 68. *mortuoque viverent* rell. Certe dicendum erat *mortuoque me viverent*, ut coniecit Ern.; illud Tacitinum est, Ciceronem non decet. — *salute*] *saluti* ed. pr. Lg. omnes, Ven. 1. 2.

tua frui virtute cupimus, tibi optamus eam rem publicam, in qua duorum generum amplissumorum renovare memoriam atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento et eisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisses. 332. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse re publica careas et illa te. Tu tamen, etsi cursum ingeni tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis et effice id, quod iam propemodum vel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. nec enim decet te ornatum uberrumis artibus, quas cum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quae domus est semper habita doctrinae, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissumus Graeciae? quid illa vetus Academia atque eius heres Aristus hospes et familiaris meus, si quidem simi-

331. *haec cura*] haec me cura.

XCVII. 331. *vehentem*] *volantem* Lamb. — *transversa*] *traversa* Lg. 8. 51. 53. 58. 70. Gu. 1. — *tangit*] *angit* ex Corradi coniectura Lamb. Wetzel. — *haec cura*] *haec me cura* vulgo. Sed *me* om. Sch. Meyer. secundum Gu. 1. 2. ed. pr.; addicunt Lg. praeter 53. 68. 70., item Ven. Ott. — *amplissumorum*] sic Lg. 8. 35. 51. 70. Ott. — *sed et ipsam*] *sed ut ipsam* Gu. 2. — *laude iunxisses*] *de vinxisses* s. *de iunxisses* Gu. 1., nam haec divisim scripta, ut sunt, distingui nequeunt.

332. *perennibus*] *peremnibus* Lg. 8. ut edd. quaedam vett. *perenbus* Gu. 1. — *nec enim decet te*] *nec te enim decet* Par. D. — *uberrumis*] sic Lg. 8. 51. Ott. Vat. — *domo*] *domi* ed. pr. — *nam quid*] *nam qui* Lg. 8. 20. 51. 56. 58. 70. Ven. 1. Gu. 1. — *eloquentissumus*] sic Lg. 51. Ott.

les maioris partis oratorum futuri sumus? 333. Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabilis constitisse? Galba fuit inter tot aequalis unus excellens, cui, quem ad modum accepimus, et Cato cedebat senior et qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt; Lepidus postea, deinde Carbo: nam Gracchi in contionibus multo faciliore et liberiore genere dicendi, quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit; Antonius Crassus; post Cotta Sulpicius Hortensius; nihil dico amplius: tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, si operosa est concursatio, magis optimorum — — —.

333. *optimorum*] opportunorum.

333. *laudabilis*] sic Lg. praeter 20. 56., item Ven. 1. Ott., eidemque *aequalis*. — *constitisse*] *exstitisse* coniectura Rivii a Lambino probata. Rectam scripturam mirabiliter explicat Meyerus, quasi significet *una exstare*. Veriora me puto dixisse in Explic. ad de Or. II. 22, 93. — *contionibus*] sic Lg. praeter 20. — *non dum*] sic divisim Lg. 8. 70. — *tantum dico*] *tanto dico* Lg. 20. *tamen dico* Gu. 1. — *concursatio*] *a concursatio* Lg. 8. 35 in mg. †. 51. 53. 58. 68. 70. Vat. *acocursatio* 20. *acconcursatio* 39. 56. — *optimorum*] sic ed. pr., quod probant Meyerus & Bernhardy; vulgo *opportunorum*. Quibus ego si assentior, non tamen id mihi sumo, ut mentem scriptoris coniectando restituam.

EXPLICATIONES

AD

M. TULLI CICERONIS

BRUTUM.

INTRODUCTIO.

In praefatione libri Cicero primum Q. Hortensii mortem deplorat, sed quae opportuno ipsi tempore acciderit; deinde causam colloquii perscribendi exponit. Venerant enim ad eum M. Brutus et T. Pomponius Atticus eumque rogaverant, ut quem nuper in Tusculano inchoasset sermonem de oratoribus nunc plenius exponeret (c. 1—5).

Orditur igitur ab Atticis oratoribus simul rem omnium difficillimam esse eloquentiam demonstrans. Nam etiam Athenis omnes artes ante inventae perfectaeque sunt, quam eloquentia ad suam quandam maturitatem pervenit et, cum iam satis cultorum reperisset, tum demum ad artis formulam revocata est (c. 6—13).

Transit ad oratores Romanos, quorum primum antiquiores enumerat, de quorum eloquentia nihil certi sciri possit, L. Brutum M. Valerium Maximum L. Valerium Potitum Ap. Claudium Caecum C. Fabricium Ti. Coruncanium M' Curium M. Popilium C. Flaminium Q. Fabium Maximum Verrucosum Q. Metellum (c. 14).

Sequuntur illi, de quibus certior memoria constabat, in eisque primus M. Cornelius Cethegus (c. 15). Deinde M. Catonis Censorii laudes commendantur egregie et defensio paratur ad sequentis aetatis iudicia iniquiora: comparatur enim cum Lysia et cur hic plures habeat amatores exponitur (c. 16—19).

Cato, cum longissimam vitam habuerit, et cum grandioribus natu vixit C. Flaminio Q. Maximo C. Varrone Q. Metello P. Lentulo P. Crasso P. Scipione Africano Maiore eiusque filio, et cum minoribus C. Sulpicio Gallo Ti. Gracco P. F. P. Scipione Nasica Corculo Q. et M. Nobilioribus T. Annio Lusco L. Paulo Macedonico; rursum his aetate minores erant A. Albinus Ser. Fabius Pictor Q. Fabius Labeo Q. Metellus L. Cotta. Sed longe clarissimi C. Laelius P. Africanus Minor Ser. Galba (c. 19—24).

Aetate sequuntur L. et Sp. Mummii fratres Sp. Albinus L. et C. Aurelii Orestae P. & C. Popilii C. Tuditanus M. Octavius M. Lepidus Porcina ceteris illis cultior, ut adeo lenitatem Graecorum exprimere in se videretur, Q. Pompeius L. Cassius Cn. et Q. Caepiones P. Crassus Fannii duo L. Caelius Antipater (c. 25—26).

Iam nova aetas oratorum exstitit, in qua ordinem ducunt Ti. Gracchus et C. Carbo, quibuscum vixerunt laude minore ornati D. Brutus Q. Maximus P. Scipio Serapio Q. Lentulus L. Furius Philus P. Scaevola M' Manilius Ap. Claudius M. Fulvius Flaccus C. Cato P. Decius M. Drusus M. Pennus (c. 27. 28). His adiunguntur M. Scaurus et P. Rutilius: qua occasione cum universe de Stoicis oratoribus, tum de M. Catone Bruti avunculo disputatur (c. 29—31). Commemoratur haud ignobilis orator C. Curio (c. 32), sed omnibus aequalibus praefertur ingenio et studio C. Gracchus (c. 33); cui adduntur aequales aut paulo inferiores C. Galba P. Scipio C. Nerva C. Fimbria C. Calvinus M. Brutus accusator L. Caesulenus T. Albucius (c. 34); paulo clariores Q. Catulus Q. Metellus Numidicus M. Silanus M. Aurelius Scaurus A. Albinus Q. Caepio C. et L. Memmii Sp. Thorius M. Marcellus P. Lentulus L. Cotta (c. 35).

Sed ad summam praestantiam eloquentia Romana pervenit in M. Antonio & L. Crasso primis Graecorum laudes aequantibus; interponitur digressio de Q. Scaevola iuris consulto eloquentissimo, qui cum Ser. Sulpicio Ciceronis aequali comparatur (c. 36—44). Cum his vixerunt Cn. Domitius C. Caelius M. Herennius C. Clodius C. Titius Q. Rubrius Varro M. Gratidius (c. 45).

Deinde colliguntur non nulli ex sociis et Latinis, quibus, cum oratores essent non spernendi, color tamen urbanitatis defuerit: Q. Vettius Q. et D. Valerii Sorani C. Rusticelius T. Betucius Barrus et antiquiorum C. Papirius Fregellanus (c. 46).

Redit ad oratores Romanos illius aetatis, quorum L. Philippus secundum principes illos maxime expetebatur; cui adiunguntur L. Gellius D. Brutus L. Scipio Cn. Pompeius Strabo M. Brutus C. Bellienus Cn. Octavius (c. 47); item paulo inferiores aetate C. Iulius Caesar P. Cethegus Q. Lucretius Vespillo Q. Ofella T. Annius T. Iuventius P. Orbius T. Aufidius eiusque frater M. Virgilius P. Magius Q. Sertorius C. Gargonius T. Iunius (c. 48).

Iam narratio ad quartam oratorum aetatem procedit, Cicerone quidem antiquiorum, sed quibuscum vixerit. Horum primas tulerunt C. Cotta et P. Sulpicius. Additur digressio, qua ostenditur in probando improbandove oratore peritos a multitudine audientium nunquam dissensisse (c. 49—55).

Post Cottam commemorantur eius sodalis L. Aelius Cn. Pomponius C. Curio; qui cum magis verborum bonitate domi accepta quam aliis virtutibus oratoriis valuerit, connectitur digressio de bonis institutionis domesticae (c. 56—61). Sequuntur C. Carbo Q. Varius C. Fufius aliis transmissis aut in turbulentas contiones relegatis, velut L. Saturnino et C. Glaucia (c. 62). Brevissime deinde iudicantur Q. Antistius C. Sisenna Q. Hortensius, ad quem postea redit oratio, M. Crassus C. Fimbria Cn. & P. Lentuli M. Piso P. Murena C. Censorinus L. Turius C. Licinius Macer C. Piso L. Torquatus Cn. Pompeius Magnus D. Silanus Q. Pompeius P. Autronius L. Octavius C. Staienus C. et L. Caepasii C. Cosconius Q. Arrius, quorum pars Ciceronis erant aequales

(c. 63—69). Adduntur iam paulo minores natu L. Torquatus M. Messalla Metelli duo Celer & Nepos Cn. Lentulus C. Memmius (c. 70).

Tum Cicero a Bruto rogatus, ut de M. Marcello et C. Caesare utroque vivo iudicium suum exponat, Marcellum quidem ipse laudat, Caesaris autem laudes ad Atticum remittit, ita tamen, ut ipse iis non minus quam Brutus assentiatur (c. 71—75).

Post illos recensentur qui vita excesserant, C. Sicinius C. Visellius Varro L. Torquatus C. Triarius M. Bibulus Ap. Claudius L. Domitius P. et L. Lentuli T. Postumius P. Cominius T. Accius C. Piso (c. 76—78). Addit se horum recensu id egisse, ut demonstraret quam pauci eorum, qui dicere publice ausi sint, laude digni fuerint. Sed praetermittendi non erant ingenio insignes viri M. Caelius (c. 79) M. Calidius (c. 80) C. Curio & C. Licinius Calvus (c. 81. 82); a cuius studiose quaesita exilitate occasionem sumit de Attico dicendi genere disputandi (c. 83). Deinde Attici ore quaestionem occupat num forte de oratoribus Romanis praesertim veteribus vere iudicaverit, an laudes eorum ambitiosius auxerit (c. 84—87).

Iam enarrantur Q. Hortensii studia eloquentiae, cum quibus suum cursum comparat Cicero, ut ostendat quomodo illum aemulatus sit (c. 88—94); et respondetur ad quaestionem cur Hortensius magis adolescens quam aetate provectior laude eloquendi floruerit (c. 95. 96).

In peroratione Brutus admonetur, ut quanquam iniquis rei publicae temporibus tamen in eloquentiae studio perseveret, cum praesertim Graecorum artibus omnibus ornatus sit (c. 97).

Conscriptus Brutus est principio anni 708 (46 a. C.) Caesare tertium consule. Nam qui a. 707 exstincti erant, L. Torquatus C. Triarius P. Lentulus M. Calidius C. Licinius Calvus, inter mortuos commemorantur, M. autem Cato, qui mense Aprili a. 708 Uticae sese interfecit, inter vivos nominatur. Deinde etiam Brutus, cum dialogus scriberetur, nuper ex Asia dicitur in urbem rediisse; id autem mense Septembre a. 707 factum esse constat: v. Henr. Clintonis Fastos in hoc anno. Paulo post ad Brutum tunc in Gallia versantem et ipso quidem rogante Oratorem scripsit: v. Or. 7, 23. cf. 10, 35. Is enim eo missus est a Caesare ad bellum in Africa contra Scipionem et regem Iubam gerendum profecturo a. 708 initio: v. Cic. Divers. VI. 6, 20. Tunc res publica in potestate Caesaris erat, iudicia nulla, senatoria auctoritas exstincta, populus serviebat: nihil igitur reliquum, in quo Ciceronis ingenium exsplendesceret, nec quicquam excogitare ad animum solandum poterat, quam ut in literas sese absconderet librisque scribendis daret operam. Hinc Brutus totus animi maesti et rei publicae clade saucii signa manifesta prae se fert, sed eiusdem magni et virtutum suarum egregie memoris.

Elaboratus et omni rerum et verborum diligentia perfectus dialogus haberi non potest eaque re multum cedit libris de Oratore et de Re publica, in quibus omnia rotunda et absolutissima cura perfecta sunt. Sunt enim loci multi structura incondita et abruptiore, alia magis acervata quam curiose secundum ordinem disposita, ut limam et quasi extremam manum operi admotam non esse intelligas. Tamen insigni quadam laude liber nobilitatur nec ulli dialogorum philosophicorum propria, sed cum dialogis de Oratore et de Re publica communis. Illi enim de philosophia dialogi ita instituti sunt, ut hominum colloquentium nominibus et dictis perpaucis subtractis utrum colloquium an continuam rerum disputationem legas minime animum advertas. Cicero igitur, si forma eorum librorum Platonem exprimere voluit, vix quicquam praeter externam speciem et quasi cutem sine nervis & sanguine consecutus est. In Bruto autem et qui huic similes sunt dialogis, etsi divinum illum Graeci hominis spiritum repraesentare non potuit, ausus tamen est ad illius exemplum

mores ingenium sentiendi rationem colloquentium vivida quadam imagine effingere. Huc refer de Bruto causam instituendi dialogi cum argumento aptissime coniunctam; deinde oratoris et historici de rerum Graecarum capite quodam festivam dissensionem (c. 11); tum Attici interpellationes cum quadam reprehensione coniunctas (c. 69. 77. 85 sqq.), quae eo consilio institutae sunt, ut quae Cicero rerum Romanarum admirator de popularium laudibus dixisse videretur ambitiosius ab altera parte reprehensa quodam temperamento deprimerentur, et studiosis quidem, sed minus peritis lectioribus facilior ad verum inveniendum via patefieret; postremo ne de vivis et potentibus captandae gratiae causa honestius iudicasse videretur, Attico mandat provinciam de Caesare existimandi, cuius decretis tamen plenissime assentiatur (c. 72). Insunt praeterea digressiones utiles et festivae: velut de urbanitatis sono (c. 46), de populi et peritorum in iudicandis oratoribus consensu (c. 49—52), de Attico genere dicendi (c. 82). Denique liber finitur gravi et honesta peroratione eximiarum Bruti laudum plena. Itaque, si a paucis verborum poliendorum et componendorum labeculis discesseris, hoc genere scribendi vix ullum Ciceronis librum admirabiliorem habere videmur.

EXPLICATIONES.

I. 1. *e Cilicia — de Q. Hortensi morte*] Decesserat Cicero Cilicia provincia per annum fere administrata a. 704 medio, C. Marcello L. Paulo consulibus, quibus mortuus est Q. Hortensius. Ad sententiam totius prooemii comparari potest illud, quod tertio libro de Oratore praefixit, quo L. Crassi mors ante bellum sociale et Marianum opportuna similiter, sed longe eloquentius deploratur. *Rhodum* autem adiit Ciceronum puerorum causa, ut scripsit ipse ad Divers. II. 17.

cepi dolorem] eadem locutio est in epp. ad Att. XI. 21. et 24., quibus adde Sylvium ad Cic. p. Sulla p. 13. ed. Frotscher.

cooptatum] nominatus Cicero erat, ut a collegio cooptaretur, a Pompeio et Hortensio: v. Phil. II. 2.; cooptatio autem sanciebatur tributis comitiis secundum legem Domitiam latam a. 649; ante hanc res tota in sacerdotum erat potestate. Cooptatus est Cicero in locum P. Crassi M. F., qui bello Parthico interierat a. 701. Erat autem et nominatio et cooptatio testimonium amicitiae; v. ad Divers. III. 10, 29.: *amplissimi sacerdotii collegium, in quo non modo amicitiam violari apud maiores fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuipiam ex collegio esset inimicus.*

2. *augebam*] respondet huic quod sequitur verbum *dolebamque;* et longe lectius dicitur *augebam*, id est multum cogitando auctam sensi molestiam, quam *augebat*. De malo item fortuito et extrinsecus illato similiter dixit Plinius Epp.

IV. 22, 5: *addiderat ingenio saevo mala caecitatis*: desideres *accesserant*. Et ipse Cicero c. 76, 266: *sileamus de istis, ne augeamus dolorem;* quanquam interest aliquid inter dolorem et molestiam.

socium — laboris] post consulatum Cicero cum Hortensio consiliorum et laborum consortium habuit, cum antea multum dissedissent: v. Brut. c. 94.

3. *leviorum artium*] mire explicat Meyerus quasi de feliciore poëtarum sorte dictum. Sed nihil certius, quam Romanos, cum non colerent artes, nisi ad rem publicam gerendam graves, satis iactanter despexisse quicquid ingenium hominum quasi in privatam oblectationem exerceret, maxime poësin et pingendi fingendique artificium. Eadem studia *minora* dicuntur c. 18, 70., *mediocres artes* de Or. I. 2, 6. Paulo aliter *leviora* dicuntur carmen vel orationem scribere aut legere, Fin. II. 33, 107.; quippe comparata cum studio sapientiae et virtutis. Ceterum Sophocles et Io Euripidis decessu doluisse feruntur, Virgilius a multis, Tibullus ab Ovidio longo carmine (Amor. III. 9.) defletus.

4. *cessit e vita*] ἅπαξ εἰρημένον dixit Orellius; refutat Meyerus Ciceronis auctoritate Tusc. I. 15, 35. et Taciti Hist. II. 55. Non dixerim id figura convivii vel deversorii niti, ut visum Bernhardyo: nam quae is exempla contulit Horatii Serm. I. 1. extr. coll. Cic. Cat. 23., ea non prohibent, quo minus de bonis amittendis recte dici videatur; et sic Horatius Carm. II. 3, 17.

II. 6. *forum — orbatum*] cum libera republica erat, oratores contiones regebant, in senatu dominabantur, iudicum sententias sua voce temperabant. Tunc vero Caesar ius dicebat ipse, eiusque nutu etiam in iudiciis capitis rei absolvebantur vel condemnabantur. Similia queritur de republica c. 6. Epp. ad Div. X. 1. XII. 18.

quasi theatrum] eadem translatione Graeci utuntur: v. Wyttenbachium ad Plut. Apophth. Reg. et Duc. p. 178, A. *Illud* ingenium est illud, quod omnes norunt propter praestantiam, i. e. magnum: male explicant Matthiae ad Cic. Rosc. 34, 95. et Baumstarkius p. 19.

7. *patrocinium pacis*] pacem enim semper ille suaserat; v. Epp. ad Div. VI. 6. VII. 3. XVI. 12. De *errore hominum* haec perite ascripsit Bernhardy: „*errorem* dicit lenissime consilia civium fatali quadam vi corrupta, quo refertur Graecorum θεοβλάβεια. Sententiam illam antiquitatis explicavit Ruhnk. in Vell. II. 57. *Errorem* vero, quod nos dicimus *Verblendung*, similiter Virgilius in clarissimis versibus: *Di meliora piis erroremque hostibus illum &c.*"

8. *cumque ipsa oratio — canesceret*] respexit haec Quintilianus XI. 1, 131. singulis aetatibus suum quoddam dicendi genus convenire affirmans. Quod Bernhardy dicit mirum esse, quod orationis color et gradus cum civilibus armis coniungatur, non assequor. Nihil dicit nisi hoc: cum oratio ipsius una cum aetate maturuisset, quo tempore viri annis et ingenio principes in civitate bene instituta plurimum valere soleant, eo ad arma itum esse et ingenium illud a tuenda salute publica exclusum.

III. 10. *xysto*] xystus Romanis erat ambulatio subdialis ante porticum (*Terrasse*): v. Schneider. ad Varr. III. 5. p. 509.

homines — inter se coniuncti] de Bruti cum Attico necessitate exstat testimonium Nepotis in Attico 8.

11. *vestris literis*] quam Brutus ex Asia epistolam ad Ciceronem dederat, cum Caesarem eo secutus esset a. 707, ea memoratur etiam c. 96, 330. Sed eodem *literarum* nomine, quod vel ἐπιστολήν vel σύγγραμμα significet, Attici annales designat. His solas Romanorum res gestas fuisse consignatas Meyerus pluribus studuit probare; convincitur autem erroris iam uno loco Or. 34, 120: *Cognoscat*, inquit Cicero, *etiam* (orator) *rerum gestarum & memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis, sed etiam imperiosorum populorum et regum illustrium. Quem laborem nobis Attici nostri levavit labor, qui conservatis notatisque temporibus, nihil cum illustre praetermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit.* Nam quem ad modum oratoris interest, Romanorum potissimum historiam perdiscere, ut tamen rerum ab aliis gentibus gestarum ignarus esse non debeat, ita Attici

diligentia oratoris in utroque genere adiutrix dicitur; ut is, cum in rebus Romanis colligendis exquisitissimam diligentiam poneret, ne ceteras quidem neglexerit. Ita intelligenda sunt quae Cicero in Bruto 11, 44. et Nepos in Attico c. 18. tradiderunt.

12. *rerum nostrarum*] intellige de morte Tulliae et tot amicorum, Dolabellaeque generi moliminibus; *communes* autem de Pharsalico praelio et interitu libertatis. „Breviter in eandem sententiam ad Div. IV. 14: *nisi in reditu meo meliores res domesticas quam rem publicam offendissem.*“ *Bernhardy.*

IV. 15. *sumerem aliquid*] ex munere a te oblato causam sumerem me reficiendi; quo facto etiam animus foret par pari reddendi. *Quae* consequens et assumptum, non colligatum et natura par significat; est *et hinc etiam* (*und danach*). Hesiodium illud legitur ἔργ. 347. — „Iterum usus est ad Att. XIII. 12: *ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut* αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, *si modo potuissem; nam hoc etiam Hesiodus ascribit,* αἴ κε δύνηαι.“ *Meyer.*

16. *ex novis*] sumpta locutio a frugibus novis deo libandis, quod ἀπάρξασθαι Graecis est: v. Tibull. I. 1, 13. Censorinus ad h. l. ab Heynio allatus c. 1.: *cum perceperant fruges, antequam vescerentur, dis libare instituerunt.*

exustusque flos — exaruit] *sitis* cum de siccitate interpretandum esse videatur, Lambinus transposuit, ut coniungeretur *flos siti exustus.* Sed *sitim* interpretare *desiderium:* est enim, ut cruciatus sitientis gravissimus, ita bibendi summa cupiditas; *ubertatem* autem *proventus* intellige, qua translatione tempora priora scribenti laetiora cum eo caelo comparantur, quo recte temperatis calore et humore omnia ubertim succrescunt. Componenda igitur *flos exustus siti veteris ubertatis*, i. e. veterem ubertatem sitiens, *exaruit. Exuri* autem, ut Graecis ἀποκαίεσθαι, ἐντύφεσθαι, Romanis est frigore caloreve laedi, ut vis vitalis exstinguatur: v. Valckenar. ad Adoniaz. p. 224., cuius auctoritatem attulit Bernhardy.

ex conditis] *conduntur* fruges in futurorum annorum usus vel necessitates. Cic. Accus. in Verr. II. 2, 5: *itaque Sicilia provincia semper usi sumus, ut quicquid ex sese posset proferre, id non apud eos nasci, sed domi nostrae conditum putaremus.* Hinc tralate Vegetius a Meyero allatus Veterinar. VI. 11: *adversum omnia genera morborum salutaris confectio praeparanda est, ut inter ipsa initia ex conditis possit occurri.* Ciceronem *conditos fructus* dixisse orationes suas olim habitas, sed nondum expolitas editasque, quae Schuetzii sententia est, propter additum *paene* probari non potest; verius de literis, maxime philosophiae studiis intelligitur, ad quam cum *aditus paene soli patuisset*, quippe quam nemo fere Romanorum praeter ipsum tractaret, libris eam explicandi animum abiecerat propter mala rei publicae; neque prius ad id studium rediit, quam absolutis scriptis rhetoricis: v. de Divin. II. 1. sqq.

17. *voluntarius procurator*] „facete dixit et praeter exspectationem, si quidem procuratores ex mandato res privatas agebant. Nam differunt negotia publica, quae hominis eiusdem cura et procuratione, id est opera tam legitima quam sequestri poterant administrari: v. Cic. Acad. I. 3. Hinc continua pendent; nimirum procurator de rato cavere et adversario satisdare cogebatur. V. Cuiacii Obss. VII. 27.“ *Bernhardy.*

V. 19. *illos de re publica libros*] confecit hos a. 700; v. Cic. Att. IV. 16. Q. Fr. II. 14. III. 5. Clinton Fast. Hell. ad a. 700. Libri de legibus, etsi dudum compositi, tamen nondum editi fuisse, cum Brutum scripsit, videntur.

ut possis] Meyerus errare videtur iungenda affirmans *cum poteris atque ut possis* i. e. quemadmodum. Scripsisset Cicero, opinor, *atque ut poteris.* Sed *ut possis* videtur significare *ut a te impetres, ut velis; id quod certe potes.* Rogat Ciceronem Atticus, ut ne detrectet, cuius rei faciendae copia suppetat. Hinc medie distinguendum fuit post *poteris.*

21. *causam Deiotari*] *fidelissimus* dicitur Pompeio, quem bello civili iuvit, *optimus* propter mentem in rem publicam.

Hinc causam apud Caesarem dicere iussus Nicaeae a Bruto defensus est a. 707. V. Cic. Att. XIV. 1. Sic veri simile est Brutum ex eis hospitibus et amicis Deiotari fuisse, quorum precibus motus Caesar regi ignovisse narratur B. Alex. 68, 3.; sed tamen parte tetrarchiae multatus est.

VI. *iudiciorum vastitatem*] Caesar enim et iudicia aut ipse aut per amicos exercebat et accurate administrandis provinciis cavebat ab exactionibus praesidum; ambitus autem, quae altera erat eaque uberrima accusationum causa, cum dictatura perpetua sublatus erat. Silebant igitur oratores.

22. *in maximis causis*] praeter Deiotari causam nota est Ap. Claudii soceri defensio: prolegg. §. 52.

23. *istuc*] rem, quam dicis. Huius pronominis in Bruto perfrequentis exempla Meyerus collegit 3, 13. 49, 183. 74, 260. 78, 270. 80, 278. 81, 280. 85, 292. Miror in libris de Oratore in simili et argumenti natura et tractandi genere tam raro exstare.

te praesertim tam studioso] Orellius explicat *mei studioso.* Sed dubitari non potest spectari Ciceronis in adolescentium egregiae spei ingeniis erudiendis industriam, de qua egimus prolegg. §. 39.

24. *tam humilis*] perstringit Caesarianos, qui devictis partibus senatoriis ad summos honores sublati sunt, Vatinium, Fufium Calenum, Caninium Rebilum et his similes alios. Senatum his purgavit Augustus: v. Suet. Aug. 35.

25. *arte pariatur — sive natura*] paulo aliter quaestionem inde a Platonico illo *ῥητορικὴν εἶναι ἢ τέχνην ἢ ἄτεχνον τριβήν* multum agitatam tractavit libro primo de Oratore, ubi Antonio naturae, Crasso artis patrocinium pro utriusque ingenio aptissime demandavit; naturae autem tanquam necessarium adiumentum Antonius adiungit exercitationem. In Bruto imitatur Aristotelem Metaph. VI. 7. p. 139., quem locum indicavit Bernhardy: *τῶν δὲ γιγνομένων τὰ μὲν φύσει γίγνεται, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ ἀπὸ ταὐτομάτου*, et mox: *πᾶσαι δ' εἰσὶν αἱ ποιήσεις ἢ ἀπὸ τέχνης ἢ ἀπὸ δυνάμεως ἢ ἀπὸ διανοίας.*

ex quinque rebus] inventione, dispositione, elocutione, memoria, actione: v. de Or. I. 31, 142. II. 19, 79. Quintil. III. 3, 7.

VII. 26. *monumentis et literis*] Bernhardy hendyadyn etiam post Lobeckii curas ad Ai. 145. nullam esse pronuntians explicat orationem *literis et usibus publicis* esse traditam. Quid sit *usibus publicis tradita oratio* non intelligo; si intelligerem, *usum* vocabulo *monumentorum* significari posse negarem. Vellem hoc exemplum addidissem illis, quae de vera hendyadye apud Ciceronem exposui Expl. in de Or. I. 21, 94.

27. *Periclem*] Quintilianus III. 1, 12. XII. 2, 22. 10, 49., cum negat vera Periclis scripta ad posteritatem pervenisse, minime pugnat cum Cicerone, cuius prudens orationis temperandae artificium satis indicat fidem scriptorum, quae Periclis nomine circumferebantur, illi dubitabilem visam. Aliter iudicavit Spengelius Artt. Scriptt. p. 61., sed, quam is opposuit Periclis quandam sententiam ab Aristotele servatam, ea populari memoria retenta videtur. Nec ex oratione funebri apud Thucydidem lecta II. 35 sqq. aliquid de Pericle scriptore suspicatum Ciceronem Bernhardyo assentior. Confer etiam Ruhnk. Hist. Crit. Or. Gr. p. XXXIX.

Pisistratum] eius eloquentia laudatur de Or. III. 34, 137., maxime quod ingenium literis instructissimum habuerit.

28. *temporibus illis*] saepe idem est atque *ut temporibus illis*, i. e. pro temporum illorum natura et condicione: v. Expl. ad de Or. II. 1, 1.; de uberiore formula *ut temporibus illis*, de qua primus, sed parum distincte egit De Monte in Latio restituto vol. III. p. 1182., bene Kritzius exposuit ad Sall. Iug. p. 579 sqq. Hoc autem loco nihil indicatur, nisi aequalem fere atque supparem Pericli fuisse Cleonem, eaque vi dicitur etiam de Or. II. 23, 98.

VIII. 30. *facta — oratio*] ab argento auroque facto i. e. vasis aureis argenteisque, quae Wetzelii et Bernhardyi sententia est, translatum non putaverim; significat autem ornatam secundum praecepta artis, v. Ernesti Lex. techn. Lat. v. *facere.* Sed *factus* proprie significat *perfectum*, quippe

ad quem, qualis est, efficiendum omnia collata sunt, primum a natura, deinde etiam ab arte. Sic dicuntur *facti* imperatores, Cic. Acad. II. 1, 2.; *factus* ad aliquid *intelligendum faciendumque* Mil. 4. 10.; *ad dicendum factus* Brut. 45, 168.; *natus educatus factus animo et corpore* Verr. Accus. III. 57, 137.; hinc et dolo subornatum et institutum ad aliquid ementiendum: *qui illuc factus et institutus venisset* Att. II. 24. A prima vocabuli vi deflexum est, quod politum et arte cultum significat, ut in *versibus factis* Hor. Serm. I. 50, 58., *artificibus domi natis domique factis* Nep. Att. 13., *oratione facta et polita quodam modo* de Or. III. 48, 184. Erravit Heindorfius in Hor. l. c. participio soli eam vim vindicaturus. Nam legitur *facere et polire orationem* de Or. I. 14, 63. *facere et ornare* Or. 51, 172.

Leontinus Gorgias] in huius et Demetrii Phalerei nomine mos est Ciceronis praeponere gentile illud proprio; quippe, cum nomina ipsa Graecis usitatissima essent, duo illi viri cognomines suos claritudine ita superarunt, ut saepe gentili nomine solo dicerentur, *ὁ Λεοντῖνος*, *ὁ Φαληρεύς*. Raro Cicero alia sic, velut *Eleum Hippiam* de Or. III. 32, 127. De sophistis illis dicendi magistris similia praedicat, qui Ciceronem ante oculos habuit, Quintilianus III. 1, 8. *Causa inferior ut superior videretur* tanquam suam quandam provinciam docendi sibi sumpsit Protagoras, Aristot. Rhet. II. 24. Gell. V. 3. Gorgias autem et Hippias de omni re, quaecunque ad disputationem proponeretur, ex tempore se dicturos profitebantur, quanquam in Gorgia certe easdem illos fallendi argutias vituperat Plato Phaedr. p. 267. A.

Abderites] Formam *Abderita* recte videtur a Cicerone abiudicare Madvig. in Fin. p. 306.

31. *refellere solebat* [*verbis*] „*Instituta*, hoc est *praecepta* Sophistarum *verbis* Socratis referri eo minus credibile videtur, quod illorum disputationes ipsae verbis continebantur, sed oratione perpetua diductis; eorumque *λόγους* vel *λόγους μακροὺς* Plato distinguere solet ab magistri sui *ἐρωτήσεσιν*. Quod si tutamur *verbis*, debet id ad colloquia Socratis referri, qui coram omnes quaestiones transigeret nec literis quicquam mandaret." *Bernhardy*. Bene vir doctus adversus Klotzium illa disputans in Tusc. III. 20, 48. Ipsum tamen illud non *verbis* sed *sermonibus* dicturum fuisse Ciceronem puto.

non illa de natura] *φυσικήν*, quam nos metaphysicam vocamus, veterrimi illi explicare studuerunt. De Socratis illa laude Bernhardy testimonium Aristotelis excitavit Metaph. I. 6. p. 20: *Σωκράτους δὲ περὶ μὲν τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου, περὶ δὲ τῆς ὅλης φύσεως οὐθέν, ἐν μέντοι τούτοις τὸ καθόλου ζητοῦντος καὶ περὶ ὁρισμῶν ἐπιστήσαντος πρώτου τὴν διάνοιαν.* His adde Ciceroniana Acad. I. 4, 15. Tusc. V. 4, 10. *Haec* vocatur ethica, in qua pertractanda et libentius Cicero versaretur, et qua cognoscenda oratori inprimis esset opus.

32. *Isocrates*] de huius docendi laude similia Cic. Or. 13, 40. de Or. II. 22, 94. Eam exornavit Dionysius Hal. iud. de Isocr. 1. *Officina* autem tanquam proprium est de ludo oratorio spatiisque philosophorum s. umbraculis (Brut. 9, 37.), qui ambulantes docebant, opponitur, Or. 3, 12.; cf. Or. 13, 40.

primus intellexit] ex eius *τέχνῃ ῥητορικῇ* ipse ille locus, quem hic tangit Cicero, servatus est ab Ioanne Siceliota Rhett. Gr. t. VI. p. 166: *ὅλως δὲ ὁ λόγος μὴ λόγος ἔστω· ξηρὸν γάρ· μηδὲ ἔμμετρος· καταφανὲς γάρ· ἀλλὰ μεμίχθω παντὶ ῥυθμῷ, ἰαμβικῷ μάλιστα ἢ τροχαϊκῷ.* Indicavit Bernhardy. Similia de Isocrate Cicero posuit de Or. III. 44, 173. Or. 52, 174. 61, 207.; non dissimulans artem illam Isocratis ipsis suis numeris ad dicendi genus concitatius adhiberi non posse. Praeiverat autem viam Thrasymachus, sed is insulse et sine iudicio: cf. de Or. III. 16, 59. Or. 52, 175.

dum versum effugeres] de versibus contra legem tamen aliquando orationi immixtis egimus in Expll. ad de Or. III. 5, 20.

33. *dedita opera esse quaesitam*] *dedita opera* damnabat Schneiderus, quod inesse videretur in *quaesito*. „Nimirum huic tribuebat notionem *tentandi*, cum deberet significatum

elaborandi conficiendique cura sollicita, quam vocis proprietatem illustravit Broukhus. in Prop. III. 16, 5." *Bernhardy*.

34. *ipsa enim natura*] de aurium iudicio periodi et verborum numerose conclusorum indice et quasi auctore v. Or. 53, 177.

defici — laborare] utrumque proprie de voce ac spiritu deficiente dictum, deinde ad orationem hiulcam et parum numerosam translatum. Concursu vocalium *hiare* et *laborare* dicitur oratio, quippe eo quoque vitio non satis numerosa futura, Quintil. IX. 4, 33.

IX. 35. *nihil admodum*] formulam explicui Explic. in de Or. II. 2, 8.

verborum gravitate] Lambinus hoc recte dici negans proposuit *verborum granditate vel sententiarum gravitate* eumque modo paulo aliter collocatis verbis sequitur Orellius. Sed *gravitas verborum* Ciceroni *dignitas* est; v. de Or. III. 8, 31. Brut. 62, 221. 76, 265. Ne scriptura mutetur, prohibet etiam Charisius p. 179. hoc loco usus. Ceterum hanc de Demosthene laudem imitando expressit Quintilianus XII. 10, 23. Illud miror imparilitatem temporum, propter quam Schneiderus olim *fieri posset* scribendum iudicavit, ne Bernhardyo quidem offensioni fuisse; certe non excusatur eo, quod *nihil fieri potest* hic significat *nihil cogitari potest*. Etiam Matthiae, cum de hoc loco ageret ad or. p. Sulla 16, 46., a re tangenda abstinuit. Nobis certe scribendum videtur *sit elatius* pro *esset*, nisi forte res eo excusatur, quod Cicero pluribus interiectis priorum oblitus sit, id quod in sermonem Bruti minus limatum sane convenit.

36. *Demades*] etiam Quintilianus negat esse Demadis scripta II. 17, 13. XII. 10, 49.

37. *quam palaestra*] Lambinus *palaestrae* suadebat, quod similiter Cicero loquitur de Or. I. 18, 81. Or. 13, 42. cf. de Or. III. 52, 200. Sed utroque modo dici posse ostendit Bernhardy maxime comparato loco Or. 56, 186. ubi est *palaestram afferre* i. e. quasi palaestram didicisse; igitur *institutus* significabit *cultum & instructum* arte quasi palaestrica i. e. umbratica, cuius et aciei pugnae clamoris solis, quae

a discrimine armorum sumpta sunt, perpetua est oppositio. Ita *palaestricam exercitationem* Quintilianus *commissioni* opposuit, qui ἀγών i. e. verum discrimen Graecis dicitur, X. 1, 26. cf. 31. *Concurrere* et *in acie stare*, quae item militaria vocabula sunt, idem dixit X. 7, 8. 1, 29.; *umbram* et *verum discrimen* inter se contulit X. 5, 17.

umbraculis] utitur Macrobius Sat. VI. 4: *Cicero similiter in Bruto: sed ut e Theophrasti doctissimi hominis umbraculis.*

38. *inflexit orationem*] mutavit; quae mutatio qualis fuerit statim ostenditur additis *et eam mollem teneramque reddidit*. Hoc pariter atque *inclinare* a flexionibus vocis i. e. sonis in muliebrem mollitiem detortis sumptum: v. Expl. ad de Or. III. 25, 98. *Inclinare* proprie dictum et cum *ululando* coniunctum habet Cicero Or. 8, 27., translatum ad eandem vim, qua hic *inflectere* dicitur, et de eodem homine Quintilianus X. 1, 80. Ceterum iure dubitat Bernhardy rectene oratoribus veris Phalereus annumeretur: videri enim id apud Ciceronem fieri propter admirationem Peripateticorum, ex quorum ille schola profectus umbraticas dictiones ita illustraverit flosculis, ut meras Athenas redolere viderentur.

perfunderet — perfringeret] maneo in sententia *perfringere* aptius dici, quam *perstringere*, quod nunc a Meyero explicatur *pungere* et *excitare*. Voluptatem *pungentem* ignoro; nec dubito, quin Ernestus *perfringi* recte interpretatus sit *cogi ad voluntatem dicentis*, idque de sublimi genere orationis apte dici puto. Quid? Pericles cum vi dicendi Athenienses, ut se sequerentur, cogeret, non idem delectatione mulcebat? Hoc genus delectandi sublimius respicit Cic. Or. 28, 97: *haec* (eloquentia) *modo perfringit, modo irrepit in animos.* Ut hic, ita *refringere* et *restringere* in libris permutantur: v. Intpp. ad Plin. Epp. III. 15, 3. De *perfundendo* conferes Graevium et Matthiae ad Cic. Rosc. Am. 29, 80.

aculeos] tangit versus Eupolidis apud schol. Arist. Acham. 529:

οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

His usus Cic. de Or. III. 34, 138.; copiosius tractat Plinius Epp. I. 20, 17.

X. 39. *alta*] formam Ciceronis aetati vindicavit Garatonus Excursu XIV. ad Plancianam.

senes — adolescentes] similis ab aetatis humanae progressu ad aequalium aut antiquiorum aetatem translatio fit c. 7, 27: *qui non nascentibus Athenis, sed iam adultis fuerunt.* Rep. I. 37: *ista vero* (aetas) *adulta vix;* opponitur valde longae.

viguerunt — erant] locum cum aliis quibusdam dissimilibus contendit Kritz. ad Sall. Catil. 10, 1.; erravit autem in eo, quod *viguerunt* non dicitur *ἀορίστως*, ut *ἐβίωσαν*, sed definite ad tempus, quo loquitur, relatum, ut significetur iam praeterisse tempus, quo viguerint, *βεβιώκασιν*. Additur *erant*, ut indicetur res praeteriti illius temporis aequalis, et sententia sic supplenda: *etsi Servio Tullio regnante viguerunt, tamen multo diutius Athenae erant tum, cum vigebant, quam est Roma ad hodiernum diem.*

40. *Ulixi — Nestori*] nota veterum sententia est, tria dicendi genera tenue medium elatum Homero cognita eorumque imagines in Menelao Nestore Ulixe expressas: v. Quintil. XII. 10, 64. Gell. VII. 14. Scholiasta Iliadis *γ*. 212: *ἀπολελυμένος Μενέλαος Λυσίας, πυκνὸς Ὀδυσσεὺς Δημοσθένης, πιθανὸς Νέστωρ Ἰσοκράτης.* Addit Bernhardy Schol. Hermog. vol. IV. p. 43. Obversabatur autem Ciceroni Iliadis *γ*. 221., quo loco Quintilianus utitur. Hinc heroibus illius aetatis comparantur ab ignoto laudatore, quem Tibullum ferebant, Messalla Corvinus Carm. IV. 1. 48., a Statio pater Silv. V. 3, 114. a Saleio Basso sive quis alius id carmen scripsit, Piso Paneg. in Pis. v. 57., cf. Wernsdorf. p. 248.; quin ab Ausonio professores Burdegalenses, carm. 21.

incerta sunt tempora] similia de temporum ordine dicuntur Rep. II. 10. Tusc. V. 3, 7. Lycurgum autem *superiorem* appellari vidit Wetzelius propter oratorem Atheniensem, de quo mentio paulo ante illata c. 9, 36.

41. *Coriolanus exsul*] vide Niebuhrium in Hist. Rom. t. II. p. 272.

XI. 42. *rhetoribus*] non significari *oratores*, ut Heindorfio olim visum in Hor. Serm. I. 10, 12. docuimus Expll. in de Or. II. 3, 10. De perversa illa, quae ex Isocratis schola progressa est, historiam tractandi ratione v. Wolfium praef. ad Marcellianam p. XXXI sqq. Ceterum Clitarchus notus est scriptor rerum Alexandri non inepto ingenio, sed tumidus simul et fabulis refertus; Stratoclem historicum nemo novit. Non absurda est Bernhardyi suspicio ipsum Ciceronem alicubi usum tralaticia illa fama de Coriolani morte Themistoclis simili eaque de causa in Attici reprehensionem incidisse.

43. *Thucydides*] I. 138.

44. *ab Anaxagora physico*] rei auctor Plato Phaedro p. 269. e., eiusque nomine Cicero in eadem re utitur Or. 4, 15.

suavitate hilaratae sunt Athenae — terroremque] *suavitatem* spectat in primis illud, quod comicis dictus auditores dicendi delectatione demulcere, *κηλεῖν*: v. ad 9, 38. Ea delectatio cum summa dignitate sentiendi loquendi et agendi coniuncta erat: nec repugnat igitur haec sententia dictis in Officiorum I. 30, 108: nam a facetiis et iocando alienissimum Periclem fuisse constat. Plutarchus Pericl. 5: *οὐ μόνον τὸν λόγον ὑψηλὸν εἶχε καὶ καθαρὸν ὀχλικῆς καὶ πανούργου βωμολοχίας, ἀλλὰ καὶ προςώπου σύστασις ἄθρυπτος εἰς γέλωτα.* Simile ingenium viri quamvis minoris L. Crassi describitur c. 40, 148: *Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis.* *Terror* est impetus et vehementia dicendi, quibus animi audientium moventur, *δεινότης*; v. c. 77, 268. Fontei. 11. De Periclis vehementia notum Aristophanis testimonium Acharn. 531. quo *ἀστράψαι* et *βροντῆσαι* dicitur: quo usus Cicero Or. 9, 29: *Pericles, si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poëta fulgere tonare permiscere Graeciam dictus esset.* Eodem spectant Thucydidis verba II. 65: *ὁπότε γοῦν αἴσθοιτό τι αὐτοὺς παρὰ καιρὸν ὕβρει θαρσοῦντας, λέγων κατέπλησσεν ἐπὶ τὸ φοβεῖσθαι, καὶ δεδιότας αὖ ἀλόγως ἀντικαθίστη πάλιν ἐπὶ τὸ θαρσεῖν.*

XII. 45. *nec enim in constituentibus*] recte iudicat. At in Inv. I. 1. et de Or. I. 4, 14. hoc ipsum civitates condi-

disse legibusque devinxisse oratoribus tanquam provinciam tribuit.

46. *ait Aristoteles*] rem exposuerat in τεχνῶν συναγωγῇ, quam commemorat Cic. de Or. II. 38, 116; copiosius argumentum libri persequitur Inv. II. 2. Et hic quidem Tisiam artis rhetoricae inventorem vocat, qui non solum in Bruto & libris de Oratore (I. 21, 91. cf. III. 21, 81.), sed etiam a Quintiliano II. 17, 7. III. 1, 8. cum Corace coniungitur, cuius τέχνην commemoravit Aristoteles Rhet. II. 24: quin antiquior Corax eiusque discipulus Tisias dicitur Luciano Pseudologista 30. p. 187. t. III. ed. Reitz.

res privatae iudiciis repeterentur] Meyerus de bonis interpretatur, quae privata tyranni per vim possederint; sed nec traditum illud est et *rerum privatarum* nomine nimis obscure diceretur. Nihil dicit nisi iudicia restituta esse, ut in liberis civitatibus solet, cum ante pro libidine tyrannorum agitaretur.

communes loci] de horum scriptoribus Gorgia et Protagora v. Spengel. Art. Scriptt. p. 24. Welcker. Mus. Rhen. vol. I. p. 564. Ciceronis verba ante oculos fuerunt Quintiliano III. 1, 12.

controversa] vix credibile videtur *controversum* dici nisi de quo alii litigant; qui secus statuit, Meyerus, sententiam vellem probasset. Fateor tamen simile quid excidisse Plinio, cum *virum dispositum* eum dicit, qui inventa bene disponere sciret, Epp. II. 11, 17.

47. *huic Antiphontem*] de genere loquendi v. Expll. in de Or. I. 4, 15. Graecorum similia tractavit Schaeferus Mel. Cr. p. 58. De Antiphonte Thucydidis testimonium exstat VIII. 68.; cf. Quintil. III. 1, 11.

48. *Theodorus*] „propter subtilitatem λογοδαίδαλος Platoni dictus: v. Spengel. p. 101 sqq., eundemque de Isocratis Arte p. 154 sqq.“ *Bernhardy*. Nam Plutarchus in Isocrate p. 838. ait alios tradere eum non μεθόδῳ, sed ἀσκήσει usum esse, alios autem eum τέχνας συγγεγραφέναι. Similem de Isocrate famam statim tangit Cicero, idem Artem Isocratis exstare negans Inv. II. 2. Hinc eam, quae a veteribus terebatur, Isocratis iunioris Apolloniatae esse disputavit Manutius ad Cic. Divers. I. 9.; cf. Ruhnk. hist. Cr. Or. Gr. p. LXXXIV.; Pfundius ad discipuli certe fabricam, ut Bernhardyi verbis utar, refert: de Isocr. vita et scriptis p. 22.

quia quasi committeret] Ernestus non intellecto *quasi*, quod nihil est nisi *quodam modo*, explicat: *quasi quid fecisset, per quod aliquis iudicio circumveniretur.* Sed recte iudicat Meyerus Ciceronem quod acciderit in Graecia lege Romana illustrare, sicut Lysiam a Timaeo quasi lege Licinia Mucia Syracusas repeti dicit c. 16, 63.; ubi quod scriptor Graecus fecerit, item lege Romana explicatur. Exstabat enim lex Sempronia *ne quis iudicio circumveniretur.* Verba igitur illa tanquam principium legis apponuntur, quasi talis fuerit: *quo quis iudicio circumvenitur* &c. Cetera autem a Cicerone narrata tota auctoribus ascribenda sunt Attici moris ignaris: nec enim vetitum fuisse scribere orationes aliis vel unus Quintiliani locus II. 15, 30. demonstrat, nec usquam Isocratem in iudicium vocatum esse legitur.

XIII. 49. *partus atque fontes*] exemplo quidem alio ostendere non possum *partus* dictos de *originibus;* sed non video cur de aptissima translatione iure dubitetur. Pluralis numerus, qui Meyerum tantopere offendit, propter significatum figuratum non minus necessario dictus, quam in *Originibus* i. e. historia antiquissima, et *Initiis* i. e. prima institutione; praeterea parilitate postulatur propter adiunctum *fontes.* Nec πρωθύστερον est, de quo cum vero tum specioso apud Ciceronem egi Expll. ad de Or. I. 3, 10. Significantur enim initia artis oratoriae qualia fuerint et quos fontes habuerint. Parum probabilis est Bernhardyi suspicio *partus* explicantis quasi *prolem;* quippe alumnos significari et discipulos. Mirum enim non ipsorum oratorum, quasi artis parentum, sed familiae eorum mentionem fieri.

50. *quis enim aut Argivum*] hunc locum imitatus est Velleius I. 18. v. Ruhnk. p. 77. De Epaminonda Thebano testis Nepos c. 5. Quippe oratorem fuisse puta, ut Thebanum, satis probabilem; quod de alio dixit Thucydides IV. 84: οὐκ ἀδύνατος, ὡς Λακεδαιμόνιοι, εἰπεῖν. De

Menelai facundia Homeri verba sunt Il. III. 213. v. Quintil. XII. 10, 64. Gell. XII. 2.

51. *e Piraeeo*] tangitur Aeschinis voluntarium exsilium, quem post litem de corona amissam Rhodum navigasse ferunt ibique scholam oratoriam instituisse. Asiani autem post Alexandrum M. literis et sermoni Graecis assueverant. Quod *paene loqui dedidicisse* dicuntur oratores Asiatici, noli cum Meyero referre ad vocem inclinatam quasi canentis et ululantis, quod sane illis tribuitur Or. 8, 27., sed ad sermonem inani verborum sonitu repletum, quem et statim significat Cicero et c. 95, 325. Hoc dicendi genus Asianis familiare Atheniensibus maxime peregrinum et a Graecorum consuetudine abhorrens videbatur, quasi sic loquentes ne sermone quidem Graeco uterentur. De *celeritate* confer Or. 16, 53., unde disces nihil esse nisi cursum et flumen. *Salubritas* autem et *sanitas* coniuncta nihil habent offensionis. Illud ad res externas refertur, quibus vita recte constat; quam ob rem saepe *utilitatem* significat sive *commodum*. Ita *salubritas* saluti opponitur Cic. Mur. 14, 29.; *salubriter emere* i. e. vili pretio, *saluberrime reficere aedes* et *saluberrimam navigationem* dixit Plinius Epp. I. 24. VI. 30. X. 28, 1. Hinc in oratione videtur rectum quoddam iudicium significare omnia apta tractandi ratione temperans (*Angemessenheit*). *Sanitas* autem a corporis habitu a morbo et infirmitate alienissimo sumptum quasi cumulum laudi addit, incorruptum et virili firmitate plenum dicendi genus indicans. Locum de Asiaticis oratoribus expressit Quintilianus XII. 10, 18.

52. *ex monumentis*] ex historia. c. 49, 181: *quid est enim, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur nec aliorum nec ipsorum?*

XIV. 53. *L. Bruto*] plebeium fuisse probavit argumentis Niebuhrius Hist. Rom. vol. I. p. 579.; v. de gentis Iuniae originibus disputantem Drumannum Hist. Rom. vol. IV. p. 2 sqq.

potentissimum — clarissimi] saepe Cicero cumulandis superlativis vim sententiae auget. Infra c. 25, 95: *civis in optimis rebus constantissimus M. Octavius.* Inv. II. 8, 25: *quam lenissime quietissimam ad partem explicanda.* p. Milone 15, 40: *cum — gravissimam adolescens nobilissimus rei publicae partem fortissime suscepisset.* In Verr. Accus. II. 5, 14: *ut — levissimi quidam ex miserrimis desertissimisque oppidis invenirentur.*

54. *M. Valerium*] apud Livium Sigonius scripsit M'; sed alterum praenomen defendit Niebuhrius vol. I. p. 666. Res M. Valerii tangit titulus Arretinus apud Orellium vol. I. p. 146. n. 535. De *L. Valerii Potiti* rebus gestis consule eundem Niebuhrium vol. II. p. 404 sqq.

55. *missus orator*] ex hac quidem re suspicari recte nihil potest; ludit Cicero in ambiguitate vocabuli, quod in Fabricio nihil significare potest nisi legatum.

Ti. Coruncanium] plurimum is ingenio potuisse dicitur, quod iuris pontificii primus auctor fuit: hi sunt enim *commentarii pontificum*, non annales, ut Meyero visum, v. Liv. IV. 3.; et quod primus ius profiteri coepit: v. Pompon. de orig. iur. c. 3.; id quod iuris consulti nostrates ad responsa pertinere docuerunt, non ad doctrinam aliquam: v. Zimmern *Gesch. d. R. Privatr.* I. p. 193. 249. Monuit Bernhardy.

M' Curium] idem est, qui Pyrrhum in campis Arusinis victum Italia cedere coëgit. Tribunus a. 298, cum Ap. Claudius interrex candidati plebeii rationem habendam negaret contra legem Liciniam, *patres* i. e. patricios curiatis comitiis in incertum eventum eos magistratus confirmare coëgit, quos populus centuriatis comitiis creaturus esset: quae deinde lex perlata est a C. Maenio tribuno a. 286. Consulem *non accipere* Niebuhrius explicuit vol. II. p. 479., legem Maeniam et patres auctores idem vol. I. p. 374. III. p. 493., res M' Curii vol. III. p. 482.

56. *M. Popilii*] v. Liv. VII. 12. Niebuhr. vol. III. p. 53.

57. *C. Flaminius*] cos. primum a. 531, iterum a. 537; apud Trasimenum lacum interiit. Legem agrariam Polybius anno 522 ponit II. 21.; alios annales secutus Cicero Catone 4, 11. Q. Maximum in consulatu a. 526 ei legi adversatum dicit.

ad populum] apud populum; v. Heinsium in Ovid. Fast. IV. 310. Davisium in Cic. Tusc. III. 21. Hand. Tursell. vol. I. p. 94. Cicero infra c. 20, 80: *cum* (Cato) — *ad populum summa contentione dixisset.* 84, 289: *in comitium veniant, ad stantem iudicem dicant.*

Q. Maximus] de huius laude oratoria v. Plutarchum in Vita c. 1.; de hoc et Q. Metello consule a. 548 nos in prolegg. §. 7.

XV. *exstet*] i. e. testatum est; v. Expll. ad de Or. II. 22, 93. Explicatius dixit *literis exstare* i. e. in monumentis literarum scriptum esse Tusc. I. 16, 38.

M. Cornelius Cethegus] consul cum P. Sempronio Tuditano a. 550; mortuus a. 558, teste Livio XXXII. 4.

58. *non tam*] „comparationis vim (nam apertum obscurius intelligi *quam velles crederesve*) paulo melius agnoscimus in Divin. II. 37: *atque haec in bello plura et maiora videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace.*“ *Bernhardy.* Melius Madvigius in Cic. Fin. p. 5: „significat non tam esse suaviloquentiam nunc in oratoribus, quam ipsam laudandam et requirendam esse.“ Verba igitur illa *sed est ea laus κ. τ. λ.* respondent praegresso *tam.*

flos delibatus populi] Meyerus explicat florem ex omnibus floribus decerptum, florem omnium florum maxime delectum; Gesnerus Columnam Ennii editorem secutus incorruptum illibatumque vult intelligi, sequitur Bernhardy comparans Graecorum poëtarum ἄνθος ἀκήρατον, κῆπον χαρίτων ἐξαίρετον. Vellem doceri quomodo id in vocabulo *delibatus* inesse possit. *Delibare* est γεύεσθαι: *flos delibatus populi* est, quem populus libenter degustat, i. e. probat et diligit.

59. *ut enim hominis ingenium*] ad sermonem confer c. 21, 83: *de ipsius Laeli et Scipionis quanquam ea est iam, ut plurumum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior;* ubi *laus* ad membrum prius *quanquam ea est* retrahendum. Indicavit Meyerus.

Suadaeque medulla] ante oculos habuit Quintilianus II. 15, 4.

eius autem — vult] „ex necessitate Tullius interposuit. Nam qui Cethegum voluit cum Periclis eloquentia contendere iusta conclusione debuit efficere, ut homo Romanus moderator et princeps Suadae haberetur item, ut Pericles πειθοῦς arbiter Athenas rexisset.“ *Bernhardy.*

in Pericli labris] locus Eupolidis Δήμων ab scholiasta Aristophanis Acharn. 529. servatus, cuius partem usurpavimus ad 9, 38: maxime hic versus tangitur:

Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.

Hoc quomodo post Platonem Phaedone p. 91. c. scriptores usi sint, docent Berglerus in Alciphr. I. 38. p. 236 Wagn., Toupius in Longinum p. 351., Wyttenbachius in Plut. de Sera Num. Vind. p. 8.; quibus nunc addi potest Raspius de Eupolidis Demis p. 19. Ciceronis verba obversabantur Quintiliano X. 1, 82.

60. *ante me consulem*] in Bruto Varronianas rationes sequitur Cicero; secundam has a Catone quaestore a. 550. ad 690. anni sunt centum et quadràginta; anno post s. 691. Cicero consul fuit. Sic si locum intelligimus, errorem scriptoris nullum videbimus fuisse.

in veteribus commentariis] Meyerum de annalibus pontificiis cogitantem refutat Bernhardy; aut aliquem annalium scriptorem, velut Claudium Quadrigarium esse intelligendum aut Accii Didascalica; his enim Ciceronem post uti c. 18, 72. 64, 229. et Gellii testimonio III. 3. intelligi Accium paulo curiosius in fata literarum latinarum inquisivisse.

vitam Naevii producit longius] Plautus enim et Naevius aequales feruntur; cum igitur Plautus mortuus sit anno demum 570, Naevium, quem senem demum bellum Punicum scripsisse constet (Cic. Cat. 14, 50.) non videri iam viginti annis ante decessisse. Ceterum Varro de Naevio exposuerat libro de poëtis; eius disputationis particulam Gellius servavit XVII. 21. Notavit Meyerus.

XVI. 61. *Ap. Caeci*] v. prolegg. §. 7.

laudationes] de his auctores sunt Polybius VI. 53. Dion. Hal. Ant. R. v. 17. Liv. IV. 16, 4. VIII. 40. et de eis tanquam historiae Romanae fontibus Niebuhr. vol. II. p. 5.

Wachsmuth. Hist. R. p. 14. Ab oratoriae artis praestantia alienissimas fuisse si Ciceroni concedimus (v. de Or. II. 84. 341.), cum Polybio tamen efficacissimum virtutis incitamentum fuisse fatebimur.

62. *ad plebem transitiones*] qui maluerunt *a plebe*, velut Ernestus, id spectabant, quod transeundo a gente nobili in ignobilem illustrari nemo solet. Tamen a patribus ad plebem quosdam transisse et testatum est, velut de gente Minucia, v. Liv. IV. 16. Plin. H. N. XVIII. 4. cf. intpp. Livii XLII. 49, 9., et in eos cadit, qui erant patriciarum quidem, sed ignobiliorum gentium; velut Claudiorum Marcellos, qui plebeii erant, longe nobiliores fuisse Pulchris et Centonibus notum est: quod si igitur quis patricius Claudius sese in Marcellorum stirpem insinuaret, suam ignobilitatem alienis laudibus illustraturus erat. Hinc propter Augusti imperium adulatores finxerunt Octavios a Ser. Tullio in patricios allectos post ad plebem transisse: v. Suet. Octav. 2. De plebeiis *Corneliis*, in quibus Dolabellae erânt, et *Furiis* velut Purpureonibus, *Maeniis*, *Maeliis*, *Publiliis* (hae gentes patriciae apud Liv. V. 12. dicuntur, cum plebeias etiam fuisse notissimum sit), *Atiliis* (Liv. IV. 7.), *Virginiis*, *Cassiis*, *Genuciis*, *Curtiis*, *Siciniis*, *Semproniis*, quorum Atratini patricii fuerunt, *Sulpiciis*, quorum Galbae patricii, Rufi plebeii, incertum est num stirpes harum gentium impari cum plebeiis connubio ortae sint an transierint ad plebem. Legendus etiam Niebuhrius vol. I. p. 367. Sententia haec est, ut ignobilis posterioris aetatis homines ignobilitatem suam splendidis gentium patriciarum cognominum nominibus praetexuerint, quas olim ad plebem transisse dicerent.

a M' Tullio] consul cum Ser. Sulpicio a. 254 fuit. Quod Tusc. I. 16, 38. eum suum gentilem vocat, neque iocatur Cicero, ut Orellio Klotzioque visum, neque id cum hoc de ignobilitate sua testimonio pugnat; id quod satis ex definitione *gentilitatis* constat, quam dedit Top. 6, 29.

63. *Catonis*] De M. Catone dictum in prolegg. §. 13.

cuius arbitror plurimas esse] ferebantur Lysiae orationes CCCCXXV., quarum genuinae a Dionysio agnoscebantur

CCXXX: vere igitur Cicero; v. Westermann Hist. Eloq. Gr. p. 281. sqq.

certe Athenis natus] „id arguit criticos de sede natali Lysiae dissensisse; nec praeter Ciceronem et Dionysium Iudic. de Lys. 1. exstare videtur qui diserte hunc Athenis natum prodiderit.“ *Bernhardy.*

functus omni civium munere] Schneiderus & Niebuhrius vol. II. p. 60. de ἰσοτελείᾳ s. *municipio* interpretantur, Meyerus de partibus Lysiae in restituenda ex triginta virorum dominatione re publica; non definio.

quasi Licinia et Mucia lege] Crassus et Scaevola consules a. 659 lege sua cavebant ne quis se pro cive gereret, qui civis non esset; qua lege magnus sociorum numerus in suas civitates remissus est. Similiter Timaeus Lysiam quasi in patriam suam revocabat, i. e. Syracusanum esse iudicabat, cum eius pater Cephalus auctore Pericle Athenas immigravisset ibique inquilini iure viveret.

64. *habet — studiosos*] his praeludit disputationi de falsa Atticorum imitatione, quam uberius persecutus est c. 82.; eandem leniter tangit in Orat. 9. Hinc minime absurda est Bernhardyi sententia factum id esse a Cicerone propter iniquissimam illam litem de principatu eloquentiae, quam cum Calvo eiusque aemulis tenuioris atticismi sectatoribus habuerit.

lacerti] cum proprie significent musculos brachiorum expressos roboris signum, maxime exercitorum dicuntur, ut militum: *tori* autem i. e. musculi tomentorum instar de cute eminentes athletarum, qui dedita opera non corpus totum, sed vim brachiorum et crurum exercitabant: cf. Gesner. ad Quintil. VIII. prooem. 19. Ruhnk. ad Rutil. I. p. 6. Wernsdorf. in eleg. in Maecen. poët. Lat. min. vol. III. p. 167. Ernest. in Plin. Epp. V. 8, 9. *Lacertos* militum *toris* athletarum opposuit Quintil. X. 1, 33. Quanquam etiam tori pro lacertis dicuntur eidem VIII. 3, 10. Tralate *lacerti* vim ac robur dicendi virile significant. Hic, cum vehemens et movendo auditori intentus orator Lysias non sit, referendum est ad sermonis proprietatem et maturitatem. Rursus *caro* quasi nimia pinguedo lacertis contraria est; quare Quintiliano X.

1, 77. ad opimum orationis habitum transfertur, quem ille Aeschini tribuit, quem ad modum Cicero Or. 8, 25. Asiaticis oratoribus *opimum et adipale* genus dicendi; quippe verbis ornatum et copiosum, vi sententiarum inferius.

habet tamen — gaudeant] haec Bernhardy cum vi posita dicit, ut admiratores Lysiae eidemque Catonis contemptores pungantur; sed suspecta videntur. Tenuiter enim hic et proprie dicuntur eadem, quae paulo ante elegantissima figura.

XVII. 65. *gravior in laudando*] huius rei testimonium ex reliquiis Catonis petere non licet, nec veri similis est, cum ille pro acerbitate ingenii minime propensus esset ad laudandum; ita hoc propter contrarium illud de acerbitate vituperandi appositum videtur. Cetera autem in Catonis laudem dicta illis scriptorum particulis, quae adhuc exstant, confirmantur.

66. *Philisto*] scripsit res Siculas et gesta Dionysii maioris et minoris. Dionysius ep. ad Pompeium c. 5. ei tribuit vim et densas vibratasque sententias: *τὸ στρογγύλον καὶ πυκνὸν καὶ εὔτονον καὶ ἐναγώνιον*; eximias eius laudes habet Cicero ad Q. Fr. II. 13. V. quae collegi Expll. ad de Or. II. 13, 57.

quod item Lysiae] improbabat haec Schuetzius et quodam modo etiam Bernhardy, nec breviorem nec acutiorem esse Lysiam dicens, ut posteriores eum potuerint obscurare. Sed *officere* cum Demosthenes Lysiae dicitur, apud lectores et studiosos dicitur officere: quippe effecit ille vi et ornatu orationum, ut Lysias apud pauciores probaretur.

67. *Catones*] de hoc schemate dixi ad de Or. I. 48, 210.; ante me Lambinus ad Bruti locum, ed. Klein. p. 66.

68. *sanguinem*] figuram multis illustrat Goellerus ad Cic. Orat. p. 183.

amatur] „singularem numerum praestare, quod Hyperidis et Lysiae nomina quasi unam in notionem coëant, docet observatio Goerenzii in Acad. II. 1. p. 2., cui locupletandae profuerint Bentleius in Hor. Carm. IV. 11, 9. et Burmannus in Virg. Aen. IV. 651.“ *Bernhardy.*

et ut aptior sit oratio] haec sic, ut solebant, *ἀσυνδέτως* composita neminem offendisse utique miror. Nec seiungi

debebat *oratio aptior* et *verba composita et quasi coagmentata*; nam recta compositione *apta* i. e. rotunda et comprehensione sive *περιόδῳ* vincta oratio nascitur. Cic. Or. 71, 235: *facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere.* 70, 233. *efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens et solutum.* Hinc Thucydides scriptor *verbis aptus* vocatur de Or. II. 13, 56. et medius dicendi modus *compositione aptus* Quintiliano XII. 10, 60. Plane diversa est oratio *numerosa* Cic. Or. 54, 181: *deinde, quod dicitur in oratione numerosum, id utrum numero* (i. e. pedibus numerose cadentibus coniunctis v. Or. 49, 164.) *solo efficiatur, an etiam vel compositione quadam vel genere verborum.* Ab *apta oratione* distinguitur etiam *apte cadens* i. e. numerose finita. Quintil. IX. 4, 32: *qui* (ordo verborum) *si vitiosus est, licet et vincta sit et apte cadens oratio, tamen merito incomposita dicatur.* Hinc *numerosam* i. e. sonantem, et *aptam* i. e. comprehensione vinctam orationem Cicero componit Or. 50, 168: *ergo et hi numeri sint cogniti* (pedes suaviter cadentes) *et genus illud tertium explicetur quale sit, numerosae et aptae orationis;* i. e. orationis ita aptae, ut comprehensiones numerose finiantur, ne hiulcae sint, ne claudicent; et Quintilianus IX. 4, 17. felicissimum sermonem dicit, cui *et rectus ordo et apta iunctura et cum his numerus opportune cadens* contigerit. Componendi artem a veteribus Graecis i. e. qui ante Isocratem fuerunt, Cicero abiudicat non hic modo, sed etiam in Oratore c. 50. 168.; numerum ibidem 55, 186.; utrumque dissentiente Quintiliano IX. 4, 16.

69. *formis*] Graecum *σχήματα* latine reddidit. Nam *figuras* dixit aetas posterior, non Cicero: v. C. F. Hermann. ad Lucian. de Hist. Conscr. p. 272.

XVIII. 70. *Canachi*] Canachus Sicyonius floruit circa ol. 70.; rudis eius ars in simulacro Apollinis Didymaei spectabatur; *Calamis* circa ol. 80. vixit: v. Muell. Archaeol. §. 92. 112. & Sillig. in catal. artif. l. c. Quanquam Canachum Plinius H. N. XXXIV. 8. olympiadi 59. assignat. Ciceronis haec imitatus Quintilianus XII. 10, 7. Callonem tamen pro Canacho nominat, aut consulto aut memoriae vitio.

Myronis] naturae imitandae veritatem in hoc in primis laudat Plinius. „Cicero tamen voluit, quod Plinius tradit, corporum quam animorum species et varietatem eum peritius expressisse." *Bernhardy.*

quattuor coloribus] albo flavo rubro atro: v. Mueller. Archaeol. §. 319.; qui quo modo pingentibus suffecerint eo magis mirere, quod in antiquissimo statuarum et templorum pingendorum artificio crebro alii colores, velut caeruleus, comparent.

71. *simul inventum*] „proprietas vocis *simul*, ut celeritatem actionis depingat ab ipsis initiis ad perfectionem provectae. c. 64, 228: *adolescentis ingenium — simul aspectum et probatum est.* Tac. Hist. I. 89: *Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coërcita.*" *Bernhardy.* Idem cavet ne quis comparet Graecorum ἅμα — καί, quod accidit Kritzio ad Sall. Iug. p. 516.

quos olim Fauni] hos versus, qui Ennii sunt ex prooemio Annalium, iterum tangit in Oratore 51, 171. *Hic*, quem dicit, ipse Ennius est, qui omnes ante se versus facere ausos despiciebat.

sic tanquam] „*sic tanquam, sic quasi*, quae dirimi solent, accurate copulari docent vel exempla Cat. 8. ad Fam. XIII. 69." *Bernhardy.* Recte de loco Bruti et eis, quae ex Catone et epistolis afferuntur; non universe. Nam cum aliquid soni inest in *sic*, non iniuria virgula distinguitur a sequentibus; plane ut *is*, *qui* distinguitur ἐκεῖνον, ὅς significans, non distinguitur, cum pronomen alterum vi debilitatum est, ut *is qui* vix differat a *qui* solo. V. Comm. Cr. ad Cic. de Or. I. 14, 62.

opus aliquod Daedali] ad Daedalum artis patrem referebatur quicquid signorum extremam antiquitatem rigiditate sua monstraret: v. *Thierschii Epochen der Kunst* p. 17.

Livianae fabulae] libertinus M. Livii natione Graecus primus tragoediam de Graeco expressam docuit a. u. 514. Eius fabulae ad Horatii usque aetatem cum pueris tractari solebant, cum non solum obsoleto sermone scriptae essent, sed ne intelligi quidem totae possent propter robiginem antiquitatis. V. Weichertum in Poett. Rell. p. 25. Cum Cicero *iterata lectione vix dignas* dicit, lenitate sententiae indicat omnino eas culto lectori placere non posse. De tempore carminis primum in scenam prolati apud Romanos similia dicuntur Tusc. I. 1., etsi annum fere quingentesimum decimum ibi tradidit eosdem fontes secutus, quos Livius XXXI. 1., cum finem belli Punici secundi anno urbis DLI. assignat; vide etiam Gellium XVII. 21.

72. *Accius*] in Didascalicis; de quibus docta est Madvigii disputatio in Opusculis p. 87 sqq.

73. *Senensi praelio*] ad Metaurum fluvium a. 547: v. Liv. XXVII. 47 sqq. Aedem Iuventatis Livius sedecim annis post censor dedicavit: v. Liv. XXXVI. 36.

error Acci] captus Livius Tarenti a C. Papirio a. 482, non a Q. Maximo a. 545. Accii ratio si vera esset, Livius non antiquissimus poëtarum foret, sed Ennii aequalis, qui natus est a. 515, minor autem Naevio, qui primam fabulam docuit a. 519, et fortasse etiam Plauto, quem fabulas edidisse ante a. 538 veri simile est.

XIX. 74. *quasi notatione*] „modestiam simulans interposuit *quasi*, quo notationem innueret non ad severitatem et compositos doctorum calculos exigendam esse." *Bernhardy.* Rem potius ἐν παρέργῳ institutam significat.

75. *illa carmina*] *axamenta* s. *assamenta* vocabantur ab *assando* i. e. canendo. Similia leguntur Tusc. I. 2, 3. et IV. 2, 3.; ex quibus tibicinibus discimus datam provinciam, quam lyra utentes Graeci convivae sibi sumebant ipsi, v. de Or. III. 51, 197.; maxime autem Varronis verba respicienda apud Nonium v. *assa voce* p. 77. et summus vir Niebuhrius Hist. vol. I. p. 283—86. Quanquam is antiquissimam Romanorum historiam ex his carminibus conflatam esse paulo calidius contendit. Carminum enim aliquas in ea partes fuisse totus illius historiae habitus satis docet; sed assamenta illa fuisse quo minus putemus, natura cantuum convivalium prohibet.

in vatibus et Faunis] cantoribus antiquissimis. Marciorum vatum duo volumina carminum fuisse Macrobius dicit

Saturn. I. 17.; de Faunorum oraculis Meyerus antestatur Hartungum *die Religion der Römer* t. II. p. 186.

annumerat] vim verbi bene exposuit Bernhardy haec annotans: „significat ea structura locum inferiorem et secundarium, quem homini levioris existimationis concedimus. Itaque facili opera refellitur *enumerat* edd. vulg. propagatum, quod ad ordinem et varietatem rerum similium nec diversis gradibus secretarum spectat." Meyerus similia exempla attulit Ciceronis p. Rosc. Am. 32, 82: *ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer*, et Ovidii Trist. V. 4, 20: *se quoque in exemplis annumerare solet.*

76. *reliquisset*] ὑπερβολικῶς Cicero; non enim reliquit, sed sane brevius et multis Naevianis admixtis tractavit Annali septimo. V. Krausium *Röm. Lit.* p. 68. Schneiderus putabat excidisse *intactum*. Sed *relinquere* pro *omittendo* legitur etiam c. 45, 165: *hoc loco ipsum Domitium non relinquo.* Verr. Accus. III. 44, 106: *audistis haec, iudices, quae nunc ego omnia praetereo et relinquo.* Prov. Coss. 2, 4: *caedes relinquo, libidines praetereo.*

77. *P. Lentulus*] cognomento Caudinus, cos. a. 518 sane longe ceteris praeter Q. Maximum antiquior, et maxime P. Crasso, qui ad summum magistratum anno demum 549 pervenit: Liv. XXX. 1.

historia quaedam Graeca] non opus Orellii coniectura, quam ipse postea deseruit, *Graece*; quin molesta illa propter duo adverbia coacervata, *Graece* et *dulcissime.* Historia *Graeca* est Graece scripta, quem morem in narrandis rebus Romanis etiam Fabius Pictor A. Albinus Acilius Glabrio tenuerunt. Ita in Tusculanis dixit V. 38, 112: *Cn. Aufidius Graecam scribebat historiam.*

XX. 78. *numeroque eodem*] de locutione v. Expll. in de Or. III. 9, 33.

Sex. Aelius] *Catus* cognomine, cos. a. 556. Libros eius de iure nomine *Tripertitorum* inscriptos laudat Pomponius de Orig. Iur. c. 3.; quippe legi duodecim tabularum subiungebatur interpretatio et actio legis. In sequentibus *de minoribus autem* referenda sunt ad priora illa *numeroque eodem fuit;* sic non opus *qui* delere cum Ernesto.

unctior quaedam] *lautior* Orellii, *vinctior* Peteri, haec quidem plane barbara coniectura. Recte Ernestus in lex. technol. de eo dicendi genere interpretatur, quod nitorem quandam et elocutionis elegantiam asciverit alienam ab antiquitatis squalore. Addit Bernhardy locum epp. ad Att. II. 1., quo se in ornamenta orationis consumpsisse ait *totum Isocratis μυροθήκιον atque omnes discipulorum arculas.*

hoc praetore] a. 585. De literis Sulpicii Galli v. de Or. I. 53, 227. Annum, quo Ennius mortuus est, accurate definit Cicero Catone 5, 14.; Hieronymus sequenti assignat.

79. *Ti. Gracchus P. F.*] recte codices cum Fastis conspirantes; sed sane dubitatum est de patris praenomine ab eis, qui filium Ti. Gracchi bis consulis bello Hannibalico putabant: v. Intpp. Livii XLI. 8, 1. Ille consul fuit a. 577 et 591, censor a. 585. V. Intpp. ad de Or. I. 9, 38. — *P. Scipio Nasica Corculum* consul fuit a. 592 et 599, censor a. 595. Is de bello Persico, cui interfuit, Graece scripserat *πρός τινα τῶν βασιλέων*, ut ait Plutarchus in Aemilio Paulo c. 15.; ad Ptolemaeum cogita Aegypti vel Eumenem Pergami regem. — *L. Lentulus* princeps senatus consulatum gessit a. 598, *Q. Nobilior* a. 601. Pater eius M. Fulvius cos. 565 cum bellum in Aetolos gereret, poëtam Ennium secum duxit, quod ei acerbe obiecit Cato; idem post triumphum Musis templum dedicavit, cum ex Ambracia Musas a Zeuxi pictas Romam transtulisset: v. Plin. H. N. XXXV. 10., Cic. p. Archia 11.; quin Fastos scripsisse et in illa aede posuisse dicitur Macrobio Sat. I. 12.; librum commemorat etiam Charisius p. 112. De coloniis a Q. Fulvio deductis Potentia & Pisauro v. Liv. XXXIX. 44. — *T. Annius Luscus* cos. a. 601 graviter in Ti. Gracchum contionatus est nullis eius minis commotus: v. Liv. epit. LVIII. Plut. Ti. Graccho 14.; orationis particulam servavit Festus v. *Satura.* Haec pleraque Meyero debentur rerum historicarum investigatori diligentissimo. De *L. Paulo* Persei victore nota sunt omnia.

XXI. 81. *sed vivo Catone*] haec minime supervacanea sunt, sed prope necessaria. Antea enim cum aut maiores Catone aut aequales aut certe principes et honoratos recensuisset, nunc ad iuniores eodem studiorum et laudis consortio commendabiles transit.

A. Albinus] cos. a. 603; res Romanas Graece perscripsit, de qua scriptione Catonis iudicium commemorant Polyb. XI. 6. Plutarchus Cat. M. 12. et Gellius XI. 8. Alius Albinus nomine tenus notus res Romanas Latino sermone persecutus est: v. Macrob. Sat. II. 46., qui quidem Nepotem in viris illustribus secutus est. — *Ser. Fulvius Flaccus* consul fuit a. 619, *Ser. Fabius Pictor* praetor a. 609; distinguendum monet Meyerus a Q. Fabio historicorum Romanorum antiquissimo, idem ad illum referens quae ex Varrone apud Nonium p. 518. 544. 223. Gellium I. 12. X. 15., Festum p. 216. ed. Lind., Servium in Georg. I. 21. et ex libris de iure pontificio apud Macrobium Sat. III. 2. Nonium p. 518. leguntur. — *Q. Fabius Labeo*] consulatum gessit a. 571. Doctum significat Santra apud Sueton. vit. Terent. 4., ab hoc vel Sulpicio Gallo Terentium magis potuisse adiuvari testatus, quam a Scipione Laeliove, qui tunc adolescentuli fuerint.

Q. Metellus] cognomento Macedonicus cos. a. 611, postquam de Pseudophilippo praetorius triumpharat a. 608. Quatuor eius filii consulares fuerunt, Q. Balearicus, L. Diadematus, M. et C. Metelli, cos. a. 631, 637, 639, 641. De Macedonici felicitate multi multa: v. Vell. I. 11, 6. et quae collegimus in Explic. ad de Or. I. 48, 211.

82. *L. Cotta*] cos. a. 610; tribunus male gessit rem publicam a. 600; v. Val. Max. VI. 5, 4. De eo adversus Viriathum mittendo dictum est Africani apud eundem scriptorem VI. 4, 2. — De *Laelio* et *Africano* vide prolegg. §. 14. et 15.

de ingeniis oratorum] iniuria *eorum* pro *oratorum* scribi voluit Ernestus: opposita enim sunt inter se *orationes* et *oratores*; ex illis enim de horum ingenio existimatur.

Ser. Galba] v. prolegg. §. 16.

egrederetur a proposito] Bernhardy *egredi* et *degredi* s. *digredi* diversa esse iudicat; illud significare rei alicuius, quae ad utilitatem causae pertineat, extra ordinem positam tractationem, quae in permovendis affectibus callide versetur; *digressiones* aut intra historicas descriptiones aut expositiones paulo ornatiores subsistere solitas. Hoc quo modo probetur ignoro. Hic enim plane *egredi* dicitur de ornatu ad delectandum, sed cum movendis animis minime coniuncto: nec id ultra apud Ciceronem legi videtur. Sed *digredi* de eodem ornatu dictum videmus c. 93, 322. de Or. II. 77, 312. et in enumeratione figurarum 53, 203. Quintilianus autem, cum libro IV. 3, 12. ceteroqui eam, qua Bernhardy usus est, definitionem posuisset, de affectibus tamen movendis nec addidit nec addere potuit, cum §. 15. omne, quod extra quinque illas orationis partes, exordium, narrationem, confirmationem, refutationem, perorationem esset, *egressionem* dicere sustinuerit; porro §. 16. *egredi* oratorem in omnibus illis significaverit, quibus iudex reficiatur, admoneatur, placetur, rogetur, laudetur; denique fortuitas et ex occasione ab argumento desciscendi causas esse monuerit §. 17.: quam ob rem Ciceronem iam *in prooemio Milonianae digredi fuisse necesse*, quod tamen in movendis affectibus minime versatur. Itaque *digressionem* dicit, cum Cicero abit in laudes Pompeii, IX. 2, 55., contra *egressiones lenes et dulces et remissas* dicit *raptum Proserpinae, Siciliae descriptionem, Pompeii laudem* XI. 3, 164: quibus Cicero in Verrinis et in Corneliana usus est. Quin *egressionem* s. *excessum*, *παρέκβασιν*, post refutationem in partibus orationis male a quibusdam numerari scribit III. 9, 4., quam eandem *digressionem* appellat Cicero Inv. I. 51, 97., *degredi* s. *digredi* de Or. II. 19, 80. 77, 312. Constat igitur ne Quintilianum quidem *egredi* s. *egressionem* a *digrediendo* s. *digressione* distinguere. Eandem rem *declinare* et *deflectere* dicit Cicero Or. 40, 137., *exspatiari* Quintilianus IV. 3, 4., *exire* IV. 3, 17.; *excessum* III. 9, 1. et 4. sua aetate usitatius factum indicat.

exaruerunt] Purgoldi suspicio *evanuerunt* i. e. obsoleverunt, ut non iam legantur, nunc adhuc veri videtur similis.

Meyeri explicatio *exaruerunt* i. e. *rarescunt* non satisfacit; et, cum illam coniecturam inanis verbositatis arcessat, quod sequatur *vix ut appareant*, fortasse etiam eos ineptire iudicabit, qui scripserint *res ita recondita, ut paucis ad eam aditus pateat*, vel similia. Quippe offendit me verbum *exarescendi*, quod id, cum a frugibus ante maturitatem arefactis translatum sit, semper soleat de illis dici, quae iniuria quadam temporum affecta aut usu sperato caruerunt aut ante tempus exstincta sunt. Sic de ingenii fructu Plinius loquitur Epp. V. 9, 5: *quo ille*, inquit, *studiorum amore flagrabat! quantum legit! quantum etiam scripsit! quae nunc omnia cum ipso sine fructu aruerunt:* quippe quae orator ad se erudiendum meditatus erat, praematura morte ad suam perfectionem non venerunt. Cic. ad Div. VII. 31: *vides exaruisse iam veterem urbanitatem.* IX. 18: *facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset.* Scriptor Herennianus IV. 34, 45: *aliquando rationes rei publicae, quae malitia nocentum exaruerant, virtute optimatium reviruerunt.* Ne illud quidem loco Bruti simile, quod legitur Tusc. III. 31, 75., etsi visum Petero in censura ed. Orellianae in Iahnii Ann. vol. XXI. 3. p. 300 (a. 1837): *quae* (opinio) *tum denique non appellatur recens, cum vetustate exaruit.* Sumptum enim est, cum de lugente dicatur, ab arescentibus lacrimis, nec significat ex usu et manibus hominum sublatum, sed desuetudine exstinctum. Accedit, quod de orationibus *evanescere* in hoc ipso libro dictum exstat. c. 27, 106: *orationes reliquit, quae iam evanuerunt*; et de oratore ipso, cuius homines obliti sunt, μετωνυμικῶς c. 94, 323: *cum iam paene evanuisset Hortensius.*

83. *de multis quam voles*] quamlibet ex multis. Comparat Meyerus illud Oratoris 70, 233: *age sume de Gracchi apud censores illud*, quippe oratione. In *quam voles* erravit Matthiae in Roscianam 16, 47., *quam* adverbium, non pronomen esse ratus.

variae voluntates] neque *Gedanken* neque *Richtungen*, quae comparavit Bernhardy, veram significationem tangunt; comparandum erat nostrum *Streben* s. *Bestrebung*. Dicuntur

enim quae oratores efficienda sibi proposuerunt; velut alii ad persuasionem solam sese instruunt, ut Calvus faciebat, alii movendis auditoribus intenti sunt, ut Cicero; alii tenuiter pleraque, alii elate multa dicunt; alii verborum summam curam, ut Crassus, alii nullam gerunt, ut Antonius.

XXII. 85. *Smyrnae*] cum Sulla dictatore in Asiam profectus esset a. 676, Rufum Smyrnae convenit exsulantem ibi ab anno 662.

in silva Sila] sic vocabatur Apennini extrema pars, quae Bruttios peragrans ad fretum Siculum deficit. Nobilis erat propter silvas pinuum et abietum; unde ex *picariis* reditus magni in aerarium redigebantur: v. Dion. Hal. fragm. Maiana XX. 5. Plin. H. N. XVI. 11. Sed etiam greges in illis silvis pascebantur, ut per totam Italiam mos erat, quam ob rem *pecuarias*, ut Corrado scribi placebat, Bruttiorum commemorat Varro R. R. II. 1.

87. *quasi comperendinatus*] diem comperendinationis inter primam et alteram actionem medium fuisse Ernestus putabat. „Vetere re publica tametsi tempora dilationum erant libera poteratque iudex lege sua comperendinatum adimere (v. Verr. Acc. I. 9, 26.), duabus actionibus ut causa perficeretur: tamen, si causa comperendinaretur, dies debebat una et certa definiri. Itaque nec de dierum numero dubitationi locus est relictus nec video, si dies habebantur incerti, quo pacto concedamus aliquem fuisse medium. Immo fuit tertius s. *perendinus*, quo iudicium oporteret transigi.“ *Bernhardy.* *Medius* igitur ille dies est ille, qui inter secundam et tertiam actionem interiectus erat, qui *dies quasi comperendinatus* vocatur, quia non vere comperendinata, sed ampliata fuerat et in diem forte tertium reiecta: v. 19, 74.

testudine] Varro de L. L. V. p. 161. a Meyero allatus docet cavaedium s. mediam aedium partem, cum sub divo esset, *impluvium* dictum, cum esset contecta desuper, *testudinem.* Lucem igitur accipiebat ex foramine tecti.

male mulcatos] quippe cum dictantis voluntatem celeritate scribendi non aequassent. *Ex quo significabat* bene explicat Bernhardy: ex quo indicio tanquam fonte ducebat obser-

vationem de studio Galbae singulari. Addit testimonium Ciceronis ad Att. XVI. 7: *aliud nihil habeo, quod ex iis a te verbis significari putem.*

silentio praeteriretur] plausum et clamores admirantium significat, quae commemorantur a Cicerone in Bruto 44, 164. 95, 326. Orat. 30, 107. 31, 111. de Or. I. 33, 152.; a Plinio epp. IV. 5, 1.; a Quintiliano denique IV. 2, 37. silentio attentorum et erectorum opponuntur.

quaestione] Schuetzius vestigia codd. Gu. 1. 2. secutus *disquisitione* scribendum proposuit, quod pro *quaestione* legatur in oratione p. Sulla 28, 79.: *in magnis disquisitionibus repentinisque periculis vitam uniuscuiusque esse testem.* Sed rem accuratius considerantibus apparebit *quaestionem* dici universe, *ζήτησιν, κρίσιν*, unde ducuntur formulae in *quaestionem venire, quaestionem habere, quaestione absolvi; disquisitionem* autem quaestionem de veritate eius, cuius quis insimuletur. Livius XXVI. 31: *in disquisitionem venit quid ego fecerim.* Nam veniebat *in quaestionem* quid Marcellus fecisset: querebantur enim, non accusabant eius atrocitatem Syracusani; sed, ut querelis eorum senatus mederetur, quaerendum erat num iure quererentur, et hoc est *in disquisitionem venire, κρίνεσθαι περὶ ἀληθείας.* Cic. Harusp. Resp. 7, 13: *quanquam ad facinoris disquisitionem interest adesse quam plurimos;* i. e. ut recte quaeri de veritate criminis possit. *Quaestionem* hic ne verborum quidem tenor dici patiebatur.

XXIII. 89. *rogationem — privilegi similem*] privilegium est rogatio privum i. e. unum hominem spectans, talis maxime, qua capiti eius poena irrogatur: v. Gell. X. 20.

diebus an mensibus] uno *an* opus erat, ut significaretur sententia dubia et incerta: v. Zumpt. Gr. §. 354. Madvig. in Cic. Fin. p. 320. Huius usus Bernhardy excitat exempla Ciceroniana haec: ad Att. II. 7: *illa opima — Druso, ut opinor, Pisaurensi an epuloni Vatinio reservatur.* VII. extr.: *ex Epiro an Athenis.* Fin. II. 32: *cum ei Simonides an quis alius artem memoriae polliceretur.* Non simillimos iure dicit alios locos a Meyero comparatos, Brut. 44, 162. 85, 294.

ad Divers. XIII. 29., in quibus et *aut* et *an* pari iure diversa vi dicuntur: v. ad §. 294.

90. *isque se tum eripuit flamma*] damnationem evasit; ut *sese iudicio eripere* dictum est Accus. Verr. II. 31, 77. De *eripiendi* verbo hoc aut consimili significatu varie dicto vide Expll. in de Or. I. 52, 225., quibus addi potest Herzog. in Caes. B. G. p. 17.

91. *inquit, est causae, Brutus*] de verbo *inquit* a dicentis nomine interpositis aliis vocibus dirempto dixi in Expll. in de Or. II. 17, 71.; de Graecis, apud quos idem mos, Heindorfius in Plat. Phaed. p. 98. et Bornemannus in Xen. Mem. p. 187.

XXIV. *scribuntur orationes habitae*] rem exsecuti sumus in Prolegg. §. 42.

92. *existumantium*] *κριτῶν*, quos nos vocamus *Kunstrichter.* Hac vi et verbum & nomen in Bruto perfrequens; velut *existumator metuendus* c. 39, 146. *intellegens* 54, 200. *doctus* 93, 320. *prudens in existumando* 68, 239. *Existumator* e regione *magistri* ponitur in Oratore 31, 112. Male *aestimatore* dedit Manutius c. 72, 252.; v. Goerenz. in Fin. III. 2, 6.

93. *naturalis quidam dolor*] in oratore *dolor* s. *naturalis dolor* is animi habitus dicitur, quo dicentes alienis calamitatibus augendis ita incenduntur, ut eas tanquam suas sentiant. Rem oratori pernecessariam exsequitur Cic. de Or. II. 46, 189 ad 47, 197. Conferri etiam possunt de Or. II. 17, 73. 45, 188. III. 25, 96. Or. 38, 130. *Calor* hoc, unde egressi sumus, loco Schneidero placuit, *ardor* Billerbeckio. Ut hoc magis ad vehementiam orationis, quam ad miserationis movendae artificium pertinet, ita illud plane absurdum, quia *naturalem calorem* nemo intelligeret, nisi corporis et membrorum.

XXV. 94. *L. et Sp. Mummii*] ille consul a. 608, censor cum Scipione Minore graviter dissentiens a. 612, ab Achaeis victis et Corintho excisa cognomen *Achaici* traxit. *Sp. Mummium* fratris legatum in Graecia fuisse nec philosophiae solum, sed etiam poëseos studiis deditum significat Cicero ad Att. XIII. 6. Sed qui apud Charisium et Macrobium

Mummius vocatur Atellanarum scriptor, praesertim cum apud Macrobium post L. Pomponium Bononiensem Sullae aequalem ponatur, *C. Memmium* esse, qui cum Lucretio vixit, dudum docti viderunt: etsi minime veri simile esse eundem atque C. Memmium Gemellum praetorium, qui commemoratur c. 70, 247: is enim *fastidiosus literarum Latinarum* dicitur.

astrictior] parcior verborum, *bündiger*. Id erat in primis Stoicorum; v. Brut. 31, 120. „Haud multum distat, quod perplacuit Ciceroni, *pressus*, aptum illud orationi, quae nihil pronuntiet, quin ad ipsam rem pertineat. Utrumque iunxit Plinius Epp. III. 18, 10.; qui alibi opposuit *effusum stilum* I. 20, 20." *Bernhardy.*

Sp. Albini] propter coniunctos homines eum esse oportet, qui consulatum gessit a. 606, non eum, qui a. 644, et post lege Mamilia sublatus est cum ceteris, qui Iugurthae favisse videbantur. Sic enim aetates horum habent: L. Mummius cos. a. 608; Q. Pompeius a. 613; M. Lepidus a. 617; C. Popilius a. 622; C. Tuditanus a. 625; L. Aurelius Orestes a. 628. Horum postremus Sardos rebelles subegit: v. Liv. epit. LX.

95. *P. Popilius*] civis egregius vocatur, quod socios Ti. Gracchi proximo anno interfecti crudeliter oppressit; quam ob rem C. Gracchus legem suam Semproniam quasi privilegium maxime in hunc tulit effecitque, ut sponte abiret in exsilium. — *C. Sempronius Tuditanus* rerum Romanorum libros composuit, item magistratuum libros, quorum Macrobius et Gellius meminerunt. Notavit Meyerus. — *M. Octavius* Ti. Gracchi in tribunatu collega eam *iniuriam accepit*, ut intercedenti Gracchanis legibus magistratus per tribus abrogaretur: hoc autem ipsum, neglecta potestas sacrosancta tribunorum, Gracchum *fregit* i. e. vim eius debilitavit. V. Asconium in Corn. p. 71. — De *M. Lepido Porcina* dictum in prolegg. §. 17.

96. *verborum comprehensio*] structura et concinnitas periodorum; eam tamen ipsam ab illa aetate alienam saepe iudicat Cicero. *Artifex stilus* paulo obscurius explicatur a Bernhardyo, spectare eum ad diligentiam Lepidi gravissimas eloquentiae partes ad aequabilem normam et quasi ordinem disciplinae revocantis. Ferri hoc non potest, quia *stilus*, cum primum sit *instrumentum scribendi*, dein *scriptio* et *usus scribendi*, ad inveniendi et disponendi omnisque materiae oratoriae dispensandae industriam non refertur. *Artifex* est ἔντεχνος, *cultus; artifex* igitur *stilus* elocutionem paulo elaboratiorem, quam antiquorum solebat esse, significat. Hunc ne ab illa aetate abiudicemus, Gracchos eorumque aequales Punicis temporibus et Catone haud paulo nitidiores et elegantiores fuisse meminerimus. *Lenitas* autem asperitati veterum contraria est; χάριν Graeci vocitant: v. Explic. in de Or. III. 52, 201.

Q. enim Pompeius] consul a. 613, censor a. 623, novus homo et e Pompeiis consul primus: Vell. II. 1.

97. *L. Cassius*] tribunus a. 617 legem tulit de suffragio in comitiis per tabellam ferendo: schol. Bob. or. p. Sestio p. 303. Cicero Lael. 12. Legg. III. 16, 35.; quae Meyerus collegit. Sanctissimus omnium iudex est habitus, ex quo *scopulus reorum* vocatus est et iudices eius similes *Cassiani:* Cic. p. Roscio 30, 84. Asconius in Milonianam p. 46. Or.

non liberalitate] Ernestus malebat *hilaritate; sed liberalitati*, quae non in dando modo et pollicendo, sed etiam in animo et moribus cernitur φιλανθρωπίαν significans, severitatem recte opponi animadvertit Schuetzius.

duo Caepiones] Cn. Caepio cos. a. 613 et Q. Caepio cos. a. 614, quorum hic turpiter finito per caedem et insidias Viriathico bello notus est.

XXVI. 98. *P. Crassum*] Mucianum, adoptatum ex gente Mucia a P. Crasso, P. illius, qui cos. fuit a. 549, filio. Ab Asellione apud Gellium I. 13. quinque maxima bona habuisse dictum est, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iuris consultissimus, quod pontifex maximus. Quanquam Ser. Galbae par orator nullo modo fuit: v. Cic. de Or. I. 56, 240. Post consulatum a. 623 gestum anno sequente bello Aristonici periit: v. Vell. II. 4. Haec Meyerus.

domesticas disciplinas] iuris prudentiam hereditarium Muciae gentis bonum.

P. Scaevolam] is cos. a. 621 in Ti. Graccho mitissimus, pontifex maximus in locum Muciani fratris creatus; iuris fundator idem cum Bruto et Manilio dicitur Pomponio de Or. Iur. c. 3, 39. Filium habuit Q. Scaevolam cos. cum L. Crasso oratore a. 659 itemque pontificem maximum.

99. *C. Fannii — C. filius*] huius pater C. Strabo cos. cum M. Valerio Messalla a. 593 legis sumptuariae auctor secundum Plinium X. 50. C. Fannius C. F. consul fuit a. 632; quo ipso anno cum C. Gracchus lege sua de civitate cum sociis communicanda omnia misceret, Fannius consul illi adversatus orationem de sociis et nomine Latino habuit, quae statim commemoratur: eius verba quaedam retinuit Cicero de Or. III. 47, 183.

a C. Persio] literato homine et perito earum rerum existimatore, quem vel Lucilius poëta alias lingua procax iudicem verebatur: Cic. de Or. II. 6, 25. Fin. I. 3, 7.

100. *confusa*] ita fusa, ut in unum corpus variae illae partes, ex quibus composita esset, coalescerent: dictum proprie de aeris materia, quae non una est, sed ex duabus colligata. Ita *sermones confundere in unum* i. e. conciliare et colligere Livio dictum VII. 12.

idem stilus] Ernesto, cui stilus pro *genere orationis* dictum videretur, qua vi nostrum *Stil* praeditum est, placebat scribi *filum*, sane usitatum illud Ciceroni de forma orationis. Sed *stilus* est *Manier*, forma quaedam eloquendi certo homini aut aetati propria, ut *stilum Atticum* vel *Ciceronianum* dicimus. *Idem stilus est orationis* significat eum esse totius orationis habitum, ut *uno quasi stilo* i. e. ab uno homine scripta videatur.

Maratheno] Maratho, Phoenices urbe oriundo v. Mannerti Geogr. Orb. Antiq. vol. VI. p. I. p. 394. Notavit Meyerus.

101. *C. Fannius M. filius*] is ultra praeturam non processit. Bello Carthaginiensi et Hispanico fortissime pugnavit; annales reliquit. Res Fanniorum accurate distinxit et exposuit Orellius in Onomastico.

Q. Scaevolam] Q. Scaevola augur praetor a. 633. Asiae praefuit summa integritate: quam ob rem iniuste accusatio ei intentata ab Albucio est; consulatum gessit cum L. Metello a. 637. Ad hunc senem Cicero puer a patre deductus est, ut iuris prudentiae et mori publico discendo daret operam: v. 89, 306. L. Crassi socer erat: quam ob rem primo colloquio de Oratore interfuisse a Cicerone fingitur

instituto Laeli] testis Laelii studiorum Cic. Fin. II. 8, 24. IV. 9, 23. de Scaevola illum imitato de Or. I. 17, 75. De *Panaetii* rebus copiose exposuit *Van Lynden* de Panaetio Rhodio philosopho Stoico; qui liber editus Lugduni Bat. a. 1802.

102. *prudentiae*] ἐμπειρίαν πολιτικήν dicit, quam laudat Crassus apud Ciceronem de Or. I. 49, 214.

L. Caelius Antipater] v. Krausium in Fragm. Histor. Rom. p. 181 sqq. De iuris prudentiae laude etsi aliquantum detrahit Pomponius de Or. Iur. c. 3, 40., tamen ne huius verbis nimium tribuamus insignis imperitia hominis prohibet.

XXVII. 103. *Ti. Graccho*] dictum de hoc est in prolegg. §. 17.; de *C. Papirio Carbone* §. 18.

104. *habemus orationes*] manserunt ad Plinii usque aetatem, etsi ille summus librorum conquisitor non habuit, quippe a consilio suo scribendi alienas, sed mirabundum se vidisse narrat apud poëtam Pomponium Secundum: v. Hist. Nat. XIII. 26. Adversatur Bernhardy praeter Ciceronem Gracchi orationes a nemine inspectas affirmans: quod unde resciverit ambigo. Nam *manus* illae Gracchorum Plinio commemoratae quid aliud fuerint, nisi orationes? Privatas certe literas velut tabulas accepti et expensi superfuisse longissime abest a similitudine veri.

104. *diligentia Corneliae*] de huius epistolis honorificum exstat Ciceronis testimonium Brut. 58, 211. Diligentiam matris in erudiendis filiis secundum Ciceronem etiam Quintilianus agnoscit easdem epistolas antestatus I. 1, 6: *Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque epistolis est traditus.* Quae hodie feruntur epistolae, eas subditicias esse veri simile: v. Langii *Vermischte Schriften* p. 108 sqq.

Diophanem] ῥήτορα vocat Strabo p. 918, exsulem Mytilenaeum Plutarchus Ti. Gracco c. 8. et 20. et post Gracchi mortem interfectum Romae narrat; sine dubio a P. Popilio acerrimo Gracchanorum hoste.

breve tempus] nondum enim triginta annorum erat, cum occisus est: Plut. C. Graccho 1.

105. *suppeditavit*] eodem modo dicitur 32, 124: *cum et vita suppeditavisset.* 70, 245: *cui si vita suppeditavisset.* Vulgari sententiae, quam praeiverat Ruhnk. ad Rutil. p. 117., *suppeditare* dici οὐδετέρως pro *suppetendo*, non iniuria adversatus Bernhardy comparat Graecorum παρέχειν et nostra *gewähren, Spielraum geben.* Facile enim subauditur cuius rei copiam suppeditaverit vita productior.

L. Gellius] num sit idem, qui commemoratur c. 47, 174. admodum incertum et vix veri simile.

atque eundem et vehementem] Corradus et Meyerus transpositionem probantes *acrem et vehementem atque eundem et valde dulcem* &c., scilicet ut vocabula sententiam similem habentia *acer* et *vehemens* colligentur, locum minime perspexerunt. Orator *acer* est verbis gravis; *vehemens*, qui affectus oratione movere scit; *eundem* adverbiascit explicandumque ἅμα. Ita iunguntur illa, Carbonem et *vehementem*, et, quod in vehemente minime exspectes, *dulcem et perfacetum* fuisse.

106. *L. Piso*] tribunus legem de repetundis tulit a. 605, ex qua quaestiones perpetuae exerceri coeperunt: v. Off. II. 21, 75. Consul fuit a. 621, sed quamvis acriter Ti. Graccho adversatus non magis quam P. Scaevola collega sese optimatibus ducem in occidendo illo praebere voluit. Censuram a. 634 cum ea laude gessit, ut etiam Censorii ei cognomen inderetur. Annales eius etsi exiliter scriptos fuisse Ciceroni et Gellio IX. 14. credendum est, summa certe fide et veritatis studio insignes fuerunt. Res eius exposuit *Liebaldt* in commentatione de L. Pisone Annalium scriptore edita Numburgi a. 1836. — Haec partim Meyeri diligentiae debentur.

XXVIII. 107. *D. Brutus*] cos. a. 616 hoc et duobus deinceps annis bellum in Hispania egregie gessit ex eoque

Gallaeci agnomen accepit: v. Liv. epit. LV. LVI. De Accii poëtae cum eo familiaritate aliud testimonium Ciceronis exstat p. Archia 11, 27.

L. Accio] is natus a. 584 parentibus libertinis primam fabulam docuit a. 614 una cum Pacuvio, cum ipse triginta, ille octoginta annos natus esset; quod ipse testatur apud Ciceronem Bruto 64, 229. Tereum tragoediam edidit a. 651: v. Philipp. I. 15. ad Att. XVI. 2, 5. Clintoni Fast. Hell. a. 651. Quin veri simile vixisse eum ad annum usque 670; nam et Cicero eum audivit, isque tunc erat viginti duos annos natus, et Varro natus a. 638 libros ei de orthographia inscripsit. Haec de Meyeri annotatione excerpsi.

Q. Maximo] eius filio, quem Q. Fabius a L. Paulo adoptarat; a devictis gentibus Alpinis dictus est Allobrogicus, cos. a. 633: Liv. epit. LXI. Eius laudationem funebrem Scipionis Africani Cicero commemorat p. Murena 36, 75.

illum Scipionem] P. Scipionem Nasicam Serapionem Corculi filium, Optimi nepotem, consulem a. 616, nulla sermonis comitate, ut ait Cic. Off. I. 30, 109.

108. *P. Lentulus*] consul suffectus a. 592 princeps senatus. Errores Wetzelii in hoc viro olim castigavi; nunc explicata omnia sunt: v. Orellium in Onomastico. — *L. Furius Philus* in Fastis *P.* praenomine vocatur. De eius sive moribus sive literis Cicero loquitur de Or. II. 37, 154. Mur. 31, 66. Lael. 4, 14. 6, 21. Arch. 7, 16.; in primis autem honorificum illud, quod in libris de Re publica huic cum Scipione et Laelio disserendi munus tribuit. De *P. Scaevola* v. in c. 26, 98. — *M' Manilius* cos. a. 605 tres libros de iure civili (Pompon. de Or. Iur. c. 3, 39.) et *venalium vendendorum actiones* composuit: v. Cic. de Or. I. 58, 246. Incertum est, sed vix veri simile eundem Manilium carmina fecisse, cum Varro de L. L. p. 302. tragoediam, p. 315. epigramma Manilii cuiusdam afferat; non certius de Plauto commentatum (Gell. III. 3.) et de antiquitate Romana scripsisse (Fest. p. 259 ed. Lind.).

Ap. Claudii] consulis a. 611; is Salassorum victor idemque princeps senatus et Ti. Gracchi socer et fautor. — *M.*

Fulvius Flaccus cos. a. 629 Gracchorum socius cum C. Graccho occisus est a L. Opimio a. 633. — *C. Porcius Cato* cos. a. 640 lege Mamilia reus et exsul, quod Iugurtham adiuvisse videretur.

etsi Flacci scripta sunt] haec accurate cum proxime praecedentibus cohaerere cogitandum est, ut vis particulae *etsi* intelligatur. Qui ante commemorati sunt oratores plerique sola aequalium existimatione iudicari potuere, quia nihil scripti reliquerant; eodemque modo, inquit Cicero, Flaccum oratorem mediocrem fuisse accepimus; nam, etsi scripta quaedam reliquit, ea literarum studiosum fuisse demonstrant, non oratorem.

P. Decius] praetor a. 640; dubitari non potest, quin sit idem, qui Opimium accusavit defendente Carbone consule a. 634; v. Explicatt. in de Or. I. 31, 135.

109. *C. Drusus*] is de iure civili scripsit: Val. Max. VIII. 7, 4.

M. Pennus] tribunus a. 628 legem de peregrinis urbe pellendis tulit, cui Gracchus adversatus est. Nam falsam Beieri suspicionem apud Cic. Off. III. 11, 47. *Fanni*, qui consul fuit, cum Gracchus tribunus erat, scribentis Walterus in Hist. Iur. Rom. p. 245: refutavit Fanniam legem ad Italicos et Latinos pertinuisse docendo.

facile agitavit — Gracchum] mira de hoc loco Bernhardy disputat: quoniam Pennus Gracchum hominem eloquentissimum dicendo agitare non potuerit, nomen Gracchi cum sequentibus coniungendum (*Gracchum paulo aetate antecedens*), verbum *agitandi* autem quamvis absolute dictum significare facultatem Penni auditores in quamlibet partem pertrahentis et commotos simul ad sensus excelsos erigentis. Nec Gracchum quaestorem tunc Sardiniensem eo tempore iam attigisse rem publicam. Nihil in his probabile, nedum verum. *Agitare* sic a nemine dici potuisse non commemorabo. Sed si Pennus artificium auditores quoquo liberet pertrahendi commovendique callebat, orator profecto erat minime spernendus: vexare igitur etiam Gracchum potuit. Deinde si Gracchus de lege Penni et peregrinis dixit, ut fecit profecto, veri similius est dissuasisse legem, cum ferretur, quam pluribus annis post, cum tribunatum gereret, impugnavisse. Omnino cum a fratre Tiberio lectus esset inter triumviros agri dividundi, iam ante quaesturam attigit rem publicam. Denique luce clarius est sic coniungi sententias: *M. Drusus, qui in tribunatu C. Gracchum fregit —: tuus etiam gentilis M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum.* Igitur *agitare* compositum et collatum cum *frangendo* significat *vexare*, *insectari*, quod et de iniuriis et de irrisione usitatum. Illud vide apud Cic. p. Balbo 25 extr.: *et adoptio Theophani agitata est.* p. Quinctio 2 extr.: *obsecrat, ut multis iniuriis iactatam et agitatam aequitatem — confirmari patiamini.* Quintilianus XII. 8, 9: *agitandus omnibus modis et turbandus* (litigator). Hoc autem exstat de Or. II. 58, 237: *nec rursus miseria insignis agitata videtur.* Similiter, eaque de causa etiam utrumque iunctum modo vidimus, *iactare* dicitur, cuius translationis viam aperit Cic. Accus. Verr. I. 26, 67. Est enim proprie manibus hominum iniuriose proturbari et trudi: transfertur ad maris motum nautis infestum, dein et ad iniurias et ad irrisionem. Hinc Cato dicitur *his undis et tempestatibus ad summam senectutem iactari maluisse* Cic. Rep. I. 1.; in quam sententiam cf. Senecam de Brev. Vit. 5: *Cicero inter Catilinas Clodiosque iactatus.* Et de oratore adversarium agitante Div. in Caec. 14, 45: *te vero — quem ad modum sit elusurus, quam omni ratione iactaturus videre iam videor.* Hinc *iactatos Gracchos* dixit Lucanus Phars. VII. 257., quod *proiectos in Tiberim* male explicat Cortius ad Phars. I. 267. Gronovium secutus Obss. IV. 5. p. 566.

T. Flaminino] consule a. 631.

XXIX. 110. *C. Curio*] v. c. 32. De *M. Scauro* expositum in prolegg. §. 21.; de Rutilio §. 22.

et uterque] *et* pro *sed* dictum esse iure reiecit Hand. Tursell. II. p. 494., non facturus, si quis explicuisset *et tamen*. Concluduntur enim propositis contraria. „Talem usum particulae legitimum esse, sicubi per irrisionem vel affectionem animi res diversissimae contendantur, existimari potest ex Verr. V. 2, 5. Legg. II. 21, 53.“ *Bernhardy.* Hi loci

et a nostro illo sententia diversi sunt, nec ille ex Legibus ullam irrisionem affectionemve animi ostendit.

quid dicendum sit] copiosius haec exsequitur de Or. II. 27, 120: *prudentiae est paene mediocris quid dicendum sit videre: alterum est, in quo oratoris vis illa divina virtusque cernitur, ea, quae dicenda sunt, ornate copiose varieque dicere.*

solute et suaviter] *solute* non significat verborum cursum et volubilitatem, etsi cum facilitate coniungitur c. 81, 280: *facile soluteque verbis volvebat sententias; sed cum libertate quadam ingenii*, ut ingenium dicentis rerum tractandarum volvendorumque verborum quasi impedimenta nulla sentiat, sed in argumento tractando quasi libere dominetur: quam nos dicimus *Freiheit der Behandlung.*

111. *testimonium*] hanc gravitatem maxime ostendit Iphicrateo illo defensionis genere, quo est usus, cum lege Varia ipso Vario accusante in iudicium vocatus esset: v. Quintil. V. 12, 9.

112. *scis*] Orellius coniecit *scitis.* „Solet Tullius, ut par fuit, compellare Brutum, cui librum inscripsit, sicubi consilia quaedam vel admonitiones de oratoria disciplina interponit: cf. c. 24. 31—33. 40—42. 46. et al.“ *Bernhardy.*

L. Fufidium] praetorius fuit, antiquae frugalitatis exemplum, quod utrumque discitur ex Plinii H. N. XXXIII. 1, 6.

vita ipsius acta] longissimum vitae cursum et exactam in labore pro re publica aetatem significari vidit Bernhardy.

Cyri vitam] recte Cicero, quamvis nimius fortasse antiquitatis Romanae laudator. Non id agit, ut Scaurum scriptorem Xenophonti aequet, quod paulo calidius iudicat Meyerus; sed Scaurum Cyro, de quo nec certa multa sciantur et qui barbarus rex fuerit, maxime utilitate civibus suis praestabiliorem videri vult. Quanquam quid in libris illis Xenophontis unquam ab ullo laudari magnopere potuerit non intelligo; ita sunt rebus ieiuni, verbis inaniter loquaces.

XXX. 114. *scis tamen*] recte dicit Bernhardy neminem eorum, quibus placuit *sed tamen*, reputasse efficacem illam in *tamen* brevitatem, cum in protasi aut nomen aut participium praecesserit, non sententia verbo finito conclusa. Apertius hoc Graeci instituunt addito ὄν. Sententia igitur haec: *quorum genus, quamvis sit acutum, exile tamen esse scis.* Confert Acad. I. 1, 3: *ista quidem iam diu exspectans non audeo tamen flagitare.* II. 4, 11: *homo natura lenissimus — stomachari tamen coepit.* Cf. Heindorf. ad Hor. Serm. II. 6, 27. Beier. ad Cic. p. Tullio p. 40. — De exilitate dicendi Stoicorum similiter iudicant Cicero de Or. III. 18, 66. de Fin. IV. 28, 78., Quintilianus X. 1, 84.

philosophorum de se ipsorum] *ipsorum* displicuit Schuetzio de Stoicis solis agi putanti, quorum placitum Cicero tangat etiam de Or. I. 52, 225 sqq. p. Murena 29 sqq. Parad. V. 3. Recte exposuit Bernhardy philosophos iam a principio omnes de se sensisse magnificentius, Stoicos autem eam sententiam dedita opera auxisse. *Ipsorum philosophorum* igitur est τῶν φιλοσόφων αὐτῶν καθ' ἑαυτούς, s. ἀρχῆθεν.

116. *statarios*] c. 68, 239: *C. Piso statarius et sermonis plenus orator.* Sumptum hoc ab actione scenicorum, quorum alii vultu voce motu lenes et quasi temperati, alii agiles et arguti sunt; motus enim ille *difficilis* est quem Graeci ποικίλον vocant, nos *künstlich.* Hoc in pantomimis duobus Demetrio et Stratocle copiosius exsequitur Quintilianus XI. 3, 178. Nam *actores comoediarum*, quos ille dicit, sunt pantomimorum comicorum. *Veritas* Ciceroni est *Naturtreue, molestus* nostrum *ängstlich, peinlich.*

XXXI. 117. *Q. Aelius Tubero*] consul suffectus M. Porcio Catoni M. F. M. N. a. 635, Panaetii auditor et simplicitate victus antiquorum temporum aemulator: v. Lyndeni Panaetium p. 116. Cic. p. Murena 36. Etiam Hecato Stoicus libros suos de officiis huic inscripsit: Cic. Fin. IV. 9, 23.

vacationem augures — non habere] nec Ciceronis aetate aliter erat. Verebatur enim augur Cicero ad Atticum scribens XII. 18. ne sors de suo iudicatu educeretur.

Graccho] contra Orelli in Onomastico sententiam Meyerus docuit C. Gracchum significari, cum dicatur hic absque praenomine; maxime quia C. Gracchi in Tuberonem oratio commemoratur apud Priscianum t. I. p. 108. ed. Krehl.

118. *Catonem*] eloquentiae Catonis laudes sunt apud Plutarchum Cat. c. 5., Ciceronem Paradoxorum prooemio et Legg. III. 18, 40. et Quintilianum XI. 1, 36. Orationum unam de Catilina superstitem fuisse Plutarchus commemorat l. c. c. 23.

Fannio] v. 26, 101.

119. *institutis*] explicuit Madvig. in Cic. Fin. p. 624., quippe *μέθοδον καὶ ἄσκησιν*.

120. *Peripateticorum*] idem de Peripateticis et Academicis iudicium prostat de Or. I. 10, 43. II. 38, 160 sqq. III. 19, 61.

liberior et latior] placebat olim *laetior*. Nunc rem accuratius persecutus sum in Explicatt. in de Or. I. 47, 205.

121. *in quadam epistola*] iterat hoc in Oratore 5, 15., modo quod pluribus Demosthenis epistolis hoc dicit intelligi. Non supersunt autem quas Cicero antestatur; notum est tamen quae nunc Platonis et Demosthenis ferantur epistolae ab illo sine suspicione commemorari.

XXXII. 122. *ut pro Bruto etiam respondeam*] comparat Meyerus Cat. M. 2, 6: *ut etiam pro Scipione pollicear*. Acad. I. 8 extr.: *ut pro Attico etiam respondeam*.

Curio] praetor a. 633. Orationis pro Ser. Fulvio de incestu verba quaedam retinuerunt scriptor Herennianus II. 20. Cic. Inv. I. 43. Marius Victorinus ed. Capperonnerii p. 214.

123. *turbam voluminum*] Or. 30, 108: *nemo enim tam multa orator ne in Graeco quidem otio scripsit, quam multa sunt nostra, eaque hanc ipsam habent, quam probo, varietatem*. Romanos non in iudiciis modo, sed etiam in gerenda re publica occupatissimos cum Graecis comparat, quorum qui deliberativum genus orationis praecipue coluere, ut Demosthenes, raro in iudiciis dicebant, paulo plura scripserunt quibus alii uterentur; qui autem plurima scripserunt, ut Lysias, nec ipsi pro reis dixerunt nec rei publicae curam gesserunt.

124. *multa dixit et illustria*] Schneiderus, cum locum corrigeret, praetervidit *illustria* usitatissimum esse pro *notis* et *hominum ore tritis*; sententias autem quasdam a Curione fusas vulgo retentas docet mentio loci illius apud Ciceronem & rhetorem Herennianum. Monuit Bernhardy.

XXXIII. 125. *C. Gracchus*] v. Prolegg. §. 20.

in manibus] de hac locutione egit Gernhardus ad Cic. Lael. 27, 102.

126. *quam ille facile*] non tam hyperbaton est, quam inversio, qua particula *σχετλιαστική* ab eo vocabulo dirimitur, in quo sonus est minus gravis quidem, sed tamen aliquis: haud enim facile duo verba cum sono pronuntiata iuxta poni solent. Cic. Lael. 3, 10: *quam id recte faciam viderint sapientes*. ib. §. 11: *quam autem civitati carus fuerit*. 17, 63: *quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur quam sint leves*. Ad Div. VII. 31: *quam mihi carus esses*. VIII. 1: *quam omnibus peregrinantibus gratum sit*. IX. 6 m.: *quam illud ingens malum*. XIII. 26: *quam id beneficium bene — positurus esses*.

manus extrema] *summam* manum Quintilianum habet prooem. I. 4. X. 1, 97. coniungens cum verbis *imponere* et *deesse*.

127. *cecidit in cursu*] a cursu *σταδιαίῳ* Graeco magis quam Romanorum more desumptum dicitur: cf. c. 1, 3. 67, 236. Quanquam etiam a navium cursu deflexa similia leguntur, et coniunctum utrumque tralationis genus apud Tullium de Or. III. 2, 7.; quo loco inanes hominum contentiones *in medio spatio saepe frangi et corruere* dicuntur, *aut in ipso cursu obrui, antequam portum conspicere potuerint*.

in collegio sacerdotum] sacerdotes, qui aliquid commisissent, pontificibus, hi autem singuli collegio rationem facti reddidisse olim videntur, cuius rei Meyerus testimonium Dionysii laudavit Ant. R. II. 73: *οἱ ποντίφικές εἰσιν ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες οὔτε δήμῳ*.

XXXIV. 128. *P. Scipio*] Nasicae Serapionis filius, consul cum L. Calpurnio Bestia a. 643. Hunc Bestiam laudat Cicero, ut L. Opimium, quippe optimatium propugnatores: utriusque et crudelem et venalem animum alii rectius notaverunt, velut in Bestia Sallustius, Livius epit. LXIV.

Florus III. 1.; in Opimio Plutarchus C. Graccho 18. De damnatione Opimii mire errat Matthiae ad Cic. p. Sextio 67, 140. *Sp. Albinus* fortasse propter fratris Auli nequitiam non defugit eandem suspicionem: v. Sall. Iug. 36. Consul anno post Bestiam fuit.

129. *C. Fimbria*] consul cum C. Mario a. 650, occisus a Marianis tumultu Cinnano a. 667. Diversus ab hoc Fimbria vita et exitu infamis commemoratur c. 66, 233.

virtute — genere liber] *virtute* cum *orationis* iungi Meyerus vult. Quod hyperbaton ut per se durum est, ita ineptam hic sententiam reddit: quippe *virtus orationis* ipsa quoque *genus* orationis est, contrarium orationi languidae et debili. *Liberum* Bernhardy secundum Cic. Off. III. 19. ostendit virum bonum dici, qui virtute sua fretus ipsa oratione libertatem ingenii prae se ferat.

130. *C. Sextius Calvinus*] praetor a. 655. Non est veri simile esse eundem, qui commemoretur de Or. II. 60, 246. 61, 249.

M. Brutus] a turpitudine vitae *accusatoris* cognomen accepit: Cic. de Or. II. 54, 220. Off. II. 14, 50. Pater eius septem libros de iure civili reliquisse dicitur Pomponio de Or. Iur. 3, 39., sed et doctior et antiquior testis Scaevola tres tantum veros existimabat: v. Cic. de Or. II. 55, 224.

ut Athenis Lycurgus] ut concedam Bernhardyo rigidam illam accusandi severitatem, qua sit Lycurgus usus, ipsis Atheniensibus paulo insolentiorem visam, tamen invidiose fecisse Cicero putandus est, qui hominem nequissimum nec ulla bona arte notum cum viro sanctissimis moribus praedito comparaverit.

131. *lege Aquilia*] de damno iniuria dato fuisse constat; sed nec de auctore nec de tempore.

XXXV. *T. Albucius*] is cum Q. Scaevolam C. Laelii generum ex Asia repetundarum frustra accusasset, ipse post Sardiniam pro praetore administratam a. 651 a C. Caesare Strabone damnatus Athenas concessit in exsilium. Eius fastidium sermonis & literarum Latinarum Scaevolae persona risit

Lucilius; v. Fin. I. 3, 9. de Or. III. 43, 171. Or. 44, 149. Carmina eius arida dixit Fronto p. 171.

minime aptum — genus] clarum est quamvis adversante Bernhardyo hanc esse epexegesin, qua sententia illa tota prioribus accommodetur, ita quidem, ut non unus Albucius, sed tota Epicureorum notetur natio: ea enim solutum et languidum dicendi genus, quo Epicureus quasi αὐτοδίδακτος sese iactabat, imitata minime apta erat ad dictiones forenses. Similiter Quintilianus locutus est I. 1, 10: *si cui multa videor exigere, cogitet oratorem institui, rem arduam.* Et Virgilius seu quis alius versus fecit Aeneidi praefigi solitos: *egressus silvis vicina coëgi, ut quamvis avido parerent arva colono, gratum opus agricolis.*

132. *Q. Catulus*] v. prolegg. §. 24.

A. Furium] „A. Furius Antias Annalium libros undecim (tot enim proferuntur) versibus hexametris condidit, quorum pulcherrimae supersunt particulae apud Gellium XVIII. 11. Nonium p. 133. 145. 148. 188. Macrobium Sat. VI. 1. & 3. In his Annalibus etiam Catuli res per consulatum gestas exstitisse Weichertus Poëtt. Latt. Rell. p. 353. existimat.“ *Meyer.*

133. *appellandarum literarum*] pronuntiatio significatur elegans et nec putida nec obscura. Quintilianus haec Ciceronis verba expressit XI. 3, 35. Eandem de Catulo sententiam proferri videmus c. 74, 259. et hic quidem eodem selectiore usu vocabuli *appellationis;* item Off. I. 37, 133. de Or. III. 11, 42.

134. *sine comparatione*] hanc locutionem et contrarias *in comparatione, ex comp., sub comp.* copiose persecutus est Muetzell in Curtium vol. I. p. 134.

135. *Q. Metellus*] v. prolegg. §. 23. *M. Scaurus* consulatum gessit a. 646; *A. Albinus* cum M. Antonio oratore a. 655. *Q. Servilius Caepio* auctor legis de iudiciis ab equitibus ad senatum transferendis, quam Crassus orator suasit (v. in de Or. I. 52, 225.); eam legem propter summam populi invidiam perferre non potuit. Post consulatum a. 648 gestum, quo anno Cicero natus est, proconsul Galliae

a Cimbris fusus, cum a C. Norbano tribuno maiestatis reus factus esset a. 659, per vim et seditionem damnatus Smyrnam exsul concessit. V. nostra in Expll. in de Or. II. 47, 197.

XXXVI. 136. *C. et L. Memmii*] v. prolegg. §. 24.

Sp. Thorius] eius quae hic commemoratur lex, ea plane ignota est. Nam si lege Thoria vectigal ex agro publico in Italia, quae in aerarium redigi solebat, plebi agris carenti divisum est, quo modo ea lege ager *vectigali levari* dicatur? Ne illud quidem satis probabile, quod Zeissius Vimariensis scripto scholastico a. 1841 edito significari dicit legis caput illud, quo possessiones intra modum Liciniae legis sublatae sunt et is ager privatus factus. Certe sic obscure Cicero locutus est, cui longe planius dicere liceret Thorium agros possessoribus iure quiritario assignavisse.

M. Marcellus] huius filius nomen *Aesernini* inde dicitur traxisse, quod pater bello Marsico post cladem Caesaris consulis, cum Aeserniam coloniam confugisset, oppido capto in Samnitium ditionem venit: Liv. ep. LXXIII. Certe hoc similius veri, quam Aeserniae natum, quae Zumptii sententia fuit ad Verr. p. 745.

137. *L. Cotta*] praetor a. 663. De pronuntiatione eius v. de Or. III. 11, 42. et in Bruto c. 74, 259. *Praetorii* nomen additur, ne confundatur cum alio L. Cotta, qui consulatum gessit a. 689.

non ita multum] non sane multum; copiose usum adverbii illustrat Handius in Tursellino vol. III. p. 490.

138. *spisse*] tarde, sive potius ita, ut progressus artis oratoriae, quos per plures hominum aetates esset persecutus, tardi fuisse viderentur. Primus explicuit Manutius ad epp. ad Div. II. 10 (p. 251.). Principiis tardis opponuntur *exitus spissi et producti* i. e. in quibus oratores tractandis multum morari solent et nec derepente assilire nec festinanter discedere, de Or. II. 53, 213. Varro apud Nonium p. 392: *nascimur spissius, quam morimur*, i. e. et tarde et multo labore.

XXXVII. 139. *Antonio*] v. prolegg. §. 26.

140. *verba ipsa*] de verborum delectu sententiam suam Cicero accurate explicuit de Or. III. 37 sqq. Quatenus in laude oratoris reponendum sit sciatne latine loqui an non sciat idem exposuit de Or. III. 14, 52. et in hoc Bruto 75, 261.

sed illa quae proprie laus] hanc sententiam ἀνακόλουθον Matthiae de Anacol. Cicer. p. 18. post instaurari et absolvi putat verbis *sed tamen Antonius* &c. Beierus autem in Fragm. oratt. Cic. p. 53. existimat post verba *sed illa laus* talem fere sententiarum conformationem desiderari: *in Antonio fuit, ut in verbis et eligendis — dirigeret.* Ferri autem non potest, ut sententia ἀνακόλουθος sic absolvatur, non ut addantur necessaria paulum mutata, sed ut media interponantur. Mihi videtur Cicero ita instituisse orationem, tanquam post *sed illa — in verbis* additurus esset *non caruit*, quod opponeret prioribus *diligenter loquendi laude caruit neque tamen est admodum inquinate locutus.* Ab hac forma sententiae cum descivisset, rem illam, in qua propriam oratoris laudem quaerendam esse dicturus erat, his verbis reddidit: *sed tamen Antonius* &c. Illud recte vidit Bernhardy verba illa *sed illa — verbis* sic esse interpretanda: *sed illa laus* (s. potius *laude*, sc. *non caruit*), *quae proprie laus oratoris est.*

141. *eaque non tam*] mire argutatur in his Bernhardy. Quaenam sint aut cogitari possint figurae, quae in exprimendis sensibus et affectibus versentur, non intelligo, nec quicquam in hanc rem habet, quem antestatur, Quintilianus IX. 1, 19. Artis scriptores omnes in eo conspirant, ut figuras alias sententiarum, alias orationis s. verborum esse dicant: illas autem, quoniam verba rerum ornatum sponte sequuntur, maxime extollit Cicero. *Non tam — quam* est *minus quam.*

XXXVIII. *convertebat*] *convertebatur* Manutii commentum iure vituperavit H. Stephanus in Nitzoliodidascalo p. 36. De usu intransitivo verbi consulendi sunt Garatonus et Orellius ad Plancianam c. 20.

142. *fingit*] pravam Purgoldi suspicionem bene refutat Bernhardy. „*Fingi* mollis materia dicitur, velut cera, quam artifices in formas cogunt. Nos similiter *bearbeiten*, si quando

callidus animorum tractandorum orator sensus in quamlibet partem ducit; Graeci *πλάττειν τὸ σῶμα, τὴν φωνήν, τὰς ψυχάς*, auctore potissimum Platone: vide vel nobilissimum dictum Gorg. p. 483. E. De quorum usu explicaverunt Heindorfius, Astius, Wyttenbachius in Plut. t. VI. p. 83. et 598."

143. *cum gravitate — lepos*] eadem redeunt c. 43, 158. Exempla facetiarum ex Crassi actionibus delibavit Cicero de Or. II. 54—56.

sine molestia] v. ad c. 30 extr.

mira explicatio] copia et perspicuitas iuncta significantur: nos *Gabe der Darstellung* dicimus. Simile est, quod *sermo* tribuitur oratori, cuius oratio pura et simplex quasi colloquium familiare refert: v. c. 68, 239.

similitudinum] *ἀναλογίας* (*verwandte Fälle*) recte explicat Meyerus res potissimum iudicatas significare existimans, quae cum argumentis et documentis causarum una recensentur de Or. II. 27, 116.

XXXIX. 144. *coniectura movenda*] *in* non desideratur, quia vis dicendi, quae in Antonio inerat, maxime eo spectabat, ut coniecturam suspicionemque moveret. De hoc loquendi usu, qui varia genera complecteretur, dixi in Explicatt. ad de Or. I. 3, 12., ubi huius tamen loci immemor fui. Similis est de Or. II. 61, 251: *ore vultu imitandis moribus voce denique corpore ridetur ipso;* similior etiam I. 38, 175: *causae, quibus certatur de iure civili:* sic enim ex bonis libris dedimus. Ceterum *coniecturam movere* ad statum causae coniecturalem refertur, de quo v. scr. Herenn. I. 11. Cic. Inv. II. 8. Quintil. II. 4, 26.

M' Curi causa] v. Brut. 52, 195. de Or. I. 39, 180.

145. *Q. Scaevolam*] P. F., Crassi in consulatu collegam a. 659. Iuris civilis auctor praestantissimus id in XVIII. libros dicitur redegisse Pomponio de Or. Iur. 3, 41., quorum librorum sextum decimum affert Gellius VII. 15.

eloquentium iuris peritissimus] eandem laudem eisdem fere verbis Cicero habet de Or. I. 39, 180.

XL. 147. *Scaevolae nostri*] eum putant esse, qui tribunus fuit a. 700.

149. *quodam modo*] Meyerus interpretatur *ad acutam sententiam captandam, qua color addatur orationi* (nos *des Effects wegen*), diversumque esse ait illud de Or. III. 10, 37. Nihil in his diversum, sed utrique loco adhibenda Bernhardyi explicatio: „*simpliciorem* interpretationem licet inire, ut comparetur Graecis tritissimum *ἁμηγέπη* s. *ἁμωςγέπως ἀποφαίνειν* vel *λέγειν*, v. Ruhnk. in Tim. p. 29.; item quod exstat in Plat. Legg. VII. p. 798: *μηχανὴν δὴ δεῖ τὸν νομοθέτην ἐννοεῖν ἁμόθεν γέ ποθεν, ὅντινα τρόπον τοῦτ' ἔσται τῇ πόλει*, i. e. utcunque fieri potest cum aliqua specie. Similiter de Fin. I. 19, 62: *sed possunt haec dici cum quadam ratione.*" Id est *οὐκ ἀλόγως*.

vestra vetus Academia] Academicis veteribus, a quorum placitis hoc alienissimum erat, tribuit quod rectius Peripateticorum esse dicitur, ut ipse fatetur Off. I. 25, 89. Sed Cicero sibi persuaserat et Academicos veteres cum Peripateticis in fontibus doctrinae morum conspirare nec Stoicorum ab illis aliam quam in verbis dissensionem esse.

150. *Ser. Sulpicio*] v. prolegg. §. 46. Hunc quod alienae oratorum aetati medium interposuit, propter admirationem et amorem fecit, ut viro egregie de se et re publica merito simulque literatissimo amicitiae testimonium daret.

tantum iuris civilis] nam consilium habuit iuris civilis in artis formam redigendi, quod in libris de Oratore Crasso fuisse significat, scilicet quod se illius similem esse vult. De hoc Ciceronis in iure posito periculo v. Quintil. XII. 3, 10. Gell. I. 21. Charis. p. 111.

XLI. 151. *Rhodum*] de Ciceronis itinere Asiano, in quo Rhodi commoratus est, v. Brut. c. 91. *Melior* fieri voluisse Sulpicius dicitur praeceptis Posidonii Stoici: cf. ad Div. IV. 3.

in iure civili esse princeps] iuris peritiae laudes magnificas habet Cicero Off. II. 19, 65., quo loco quod eam artem ante Caesaris dominatum a principibus civitatis custoditam esse dicit sine dubio Sulpicium spectat. Eodem loco comparatis inter se artibus eloquentiae princeps locus, iuris

prudentiae secundus conceditur. In Legibus autem I. 5, 17. Sulpicium palam laudibus extollit.

152. *usum*] *usus* non exercitationem modo, sed etiam peritiam experiundo comparatam significat, quod idem cadit in vocabulum nostratibus a Graecis sumptum *Praxis*. Sic contraria ponitur *arti*, quam modo *Wissenschaft*, modo *Theorie* licet interpretari, quem ad modum Graecorum componuntur diversa vocabula *τέχνη* et *τριβή*. Nec id in literis solum, sed etiam in re militari usitatum Romanis; ut p. Fonteio 14, 31: *in re militari cum summi consilii et maximi animi, tum vero usu quoque bellorum gerendorum exercitatus.* Homini in agendo principi et oratori ornatissimo opponitur *usu forensi atque exercitatione tiro* Div. in Caecil. 15, 47., quod *πρωθύστερον* habet, quia usus exercitatione paratur. Ut *usum magnum in re publica habere* Cicero dixit Phil. X. 21., ita *usum in castris habere* i. e. diu militando bellum didicisse Caesar B. G. I. 39., *usum belli habere* IV. 20., et *nullius usus imperatorem* i. e. imperitum B. Civ. II. 45, 6. *Usu praeditum* i. e. *πολλῇ τριβῇ ἔμπειρον* Cicero habet p. Cluentio 31. — *Et apud multos*, intellige *alios*, vide Madvig. in Cic. Fin. p. 39.

eam — artem] dialecticam, v. de Or. I. 42, 188. II. 38, 157 sqq. Top. 2. Acad. II. 28, 91.

XLII. 153. *literarum scientiam*] hanc cum alio oratorio apparatu coniungit Crassus apud Ciceronem de Oratore I. 34, 158. III. 32, 127. *Loquendi elegantia*, quae fuerit in Ser. Sulpicio, cognoscitur ex praeclara epistola consolatoria de morte Tulliae ad Ciceronem missa.

154. *L. Lucilio Balbo*] huius et Aquilii sententiae in libros suos retulisse videtur Sulpicius secundum Pomponii verba de Orig. iur. 3, 42. Lucilius magistratus non petivit, Aquilius praeturam administravit a. 688. Quam familiaris hic posterior Ciceroni fuerit docet locus Topicorum c. 12.

156. *Sami*] Brutus expeditioni Caesaris Asianae interfuit a. 707, quo anno Nicaeae Deiotarum defendit; rediens in Italiam Sami Sulpicium, Mytilenis M. Marcellum sponte exsulem vidit (Brut. 71, 250.). Notavit Meyerus.

ius nostrum] Brutus enim pontifex erat: Brut. 58, 212. Drumann. Hist. R. t. II. p. 44.

157. *devenerint*] deveniunt ad aliquem quae nullo ipsius studio meritove caeco fortunae impetu deferuntur. Notantur Caesariani milites aliique ex summa ignobilitate ad senatoriam dignitatem et honores evecti, de quibus similis querela exstat c. 6, 24.

XLIII. 158. *inclinatio vocis*] non puto dici vocem modo asperam modo dulciorem, ut vult Meyerus, a quo non aberrat Bernhardy, si modo eius dicta recte perspicio; sed vocem per omnem sonorum ambitum crebro oberrantem, ut modo acutissima modo gravissima sit, quod alienum est a viri in civitate principis dignitate, aliquanto convenientius flebilibus in iudice exorando perorationibus, quibus Antonius operam dabat, in primis autem expetebatur ab Asianis voce et actione inania sententiarum verba extollere cupientibus. Hinc *inclinata voce ululare* dicuntur Or. 8, 27., quod alienissimum a Meyeri sententia; eodemque redeunt Quintiliani verba XI. 3, 168., quibus *inclinationes vocis*, quas invicem sibi Demosthenes & Aeschines exprobrent, cum *cantico* conferuntur. Non rectius ille de *principio accurato* dicta illustraturus erat verbis de Or. III. 9, 33., quo loco Crassus, quibus vestigiis primum institerit, in eisdem etiam perorare solere sese dicit; haec enim gestum spectant nec abundant, etsi iuxta ponitur *motus mediocritas*. Haec enim in manibus pedibus capite movendo cernitur, et in Bruti loco, quem tractamus, significatur verbis *non multa iactatio corporis, non crebra supplosio pedis;* illud autem de insistendis vestigiis hic Cicero reddidit verbis *nulla inambulatio*. Conferendus Quintilianus XI. 3, 126 sqq., Ciceronem secutus Or. 18, 59.

160. *in eam legem*] nihil interest utrum *de lege* an *in legem* dicatur; utrumque significat orationem in lege versari, ita ut vel suadeatur vel dissuadeatur. Brut. 44, 164. *illa in legem Caepionis oratio*. Alienum est, quod discriminis constituendi causa advocat Bernhardy, Rp. II. 26 extr.: *cum res ipsa admonuerit, ut in eos dicamus* i. e. ad eos sermonem convertamus, ut ipse interpretatur.

senior — oratio] maturior rerum dignitate ab luxuriantis ingenii similitudine aliena. Triarii oratio *plena literatae senectutis* fuisse dicitur c. 76, 265. i. e. tanto in literis usu, quantus adolescentium non solet esse; Postumius *adolescens gravis senili iudicio* p. Sextio 52, 111., cui loco explicando Bernhardy bene adhibet Pindarica Ol. 4, 39: *φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαί θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας χρόνον.* Pyth. 4, 501: *κεῖνος — ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς:* et Aeschyli Sept. 624: *γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει.* Apud Plinium Epp. VI. 26, 1. Fuscus dicitur *comitate iuvenis, gravitate senex.* Paulo aliter Cicero Bruto 95, 327. *seniorem auctoritatem* dicit, i. e. quae senem et honoratum decet.

Granium] de eius propter dicacitatem cum summis viris familiaritate v. c. 46, 172. de Or. II. 60, 244. 70, 281. ad Divers. IX. 15, 6. Cf. etiam Gellium IV. 17.

in qua aetate] aliud est *qua aetate.* Illud enim significat aetatis quasi fines et ambitum, quibus res acta includatur, ut nec ante nec post primum accidisse dicatur. Similia sunt *bis in die* i. e. intra diem unum Tusc. V. 35, 100. *in tota vita* Tusc. IV. 13, 29. *in omni aetate* Cat. M. 3, 9.

XLIV. 162. *aut iam est*] recte habet librorum scriptura. Handius enim in Tursellino vol. I. p. 551. recte perspexit sententiam esse *eritne ille perfectus orator aut* (ut me ipse corrigam) *potius est ille, quem exspectas;* nec minus recte addidit Bernhardy *aut* progressionem facere a minore ad gradum quendam augustiorem, quod nos dicimus *oder gar.* Hinc clarum est in c. 85, 294., cum nunc legatur *Brutone id censebas an mihi probaturum,* non minus bene ferri posse *aut,* alia quidem sententia. Nunc enim dividitur quaestio: *censebasne te Bruto probaturum an censebas mihi probaturum; aut* si scribatur una quaestio est, sed Brutus et Cicero inter se comparantur: *censebasne probaturum cuiquam, velut Bruto aut mihi.*

in membra quaedam] gravitati oratoriae optime convenire orationem membratim structam eamque et Crasso placuisse et sibi placere significat in Oratore 66, 223.

163. *exilem libellum*] Antonius apud Ciceronem de Or. I. 21, 94. libellum illum se invito in manus hominum pervenisse queritur, plane ut ipse Cicero libros de Inventione inchoatos ac rudes sibi excidisse affirmat I. 2, 5. De Antonio legendus etiam Or. 5, 18. Quintil. III. 1, 19.

164. *iudicum — factionem*] potest fieri, ut equites a pecunia pro iudicio capienda integriores fuerint senatoribus, quod toties in prioribus Verrinis inculcat Cicero; at summa iniquitate eos condemnabant, qui ipsorum per provincias exactionibus obviam ivissent, cuius iniuria clarissimum exemplum est P. Rutilius Rufus: v. Brut. 30, 115.

expositis nec explicatis] aliud est *rem narrare et exponere* de Or. II. 77, 312 v. explicatt.; in Bruto enim *exponere* est *proponere,* de rebus non explicatis, sed per capita quasi in indice aut tabula perscriptis. Simile est de Inv. I. 4, 14: *cuius* (coniecturalis constitutionis) *exemplum sit hoc expositum.* Nam etsi sequitur narratio satis longa, non est tamen *exponere* pro *narrando* dictum, sed significat *proponere, documento uti.*

XLV. 165. *Domitium*] Cn. Domitius Ahenobarbus in tribunatu innotuit accusando M. Silano, qui a. 645 adversus Cimbros improspere pugnaverat, et ferenda lege de sacerdotibus a populo creandis: Ascon. in Cornel. p. 80. Cic. c. Rull. II. 7. Vell. II. 12. Suet. Ner. 2. Consul fuit a. 658. *C. Caelius Caldus* tribunus a. 647 iudiciis tabellam dedit; consul fuit a. 660. De rebus eius Meyerus Drumannum antestatur Hist. R. t. II. p. 409. cf. Cic. de Or. I. 25, 117. *M. Herennius* item novus homo anno post Caelium consulatum gessit; *C. Claudius Pulcher* avus famosi illius P. Clodii a. 662.

166. *sodalitate*] *ἑταιρίᾳ.* Ambitiosi homines, ut in civitate valerent, factionibus iunctis tunc rem publicam lacerabant: v. Manutium ad Cic. p. Sextio c. 15. Wolf. in Cic. Or. IV. p. 65. Walterum in Hist. Iur. R. vol. I. p. 253.

magnus erat] c. 47, 175: *C. Bellienus homo per se magnus.*

167. *C. Titius*] eum Macrobius aetatis Lucilianae virum appellat, nec profecto iniuria, si quidem is a. 606 natus perhibetur octo annis Crassum aetate antecedens. Nam quod

idem Titius legem Fanniam, quae secundum Plinii auctoritatem a. 593 lata est, suasisse dicitur plane incredibile est, nec id eo, quem Meyerus tentavit, modo potest explicari, ut Cicero a vero declinaverit hominem quadraginta annis maiorem Crassi et Antonii aequalem dicendo. Hoc enim esset et inepte et impudenter mentiri, nec c. 74. quicquam simile dictum exstat, etsi ille vult. Cum C. Graccho Titium coniungit Fronto p. 15., quippe nato paulo ante a. 600.

L. Afranius] cum Caecilio Terentioque tanquam aetate minor coniungi videtur Velleio I. 17. II. 9. Togatas scripsit, inventione bonas, sed in quibus foedorum ipsius morum confessionem reliquerit; quod iudicium Quintiliani est X. 1, 100.

168. *Q. Rubrius Varro*] C. Gracchi in tribunatu collega a. 632, praetor 638, interfectus a. 666. *M. Gratidius*, cuius soror Ciceronis avia erat (Legg. III. 16, 36.), tribunus a. 645, praefectus Antonii oratoris in provincia Cilicia a piratis est interfectus a. 651. Nam quod tribunum tulisse tabellariam legem dicit Meyerus, erravit. Gratidius enim ante magistratus in urbe petendos Arpini, ubi natus erat, legem illam rogavit, quam dissuasit M. Cicero oratoris avus. V. Cic. Legg. l. c.

XLVI. 169. *Q. Vettius*] is videtur, quem propter sermonem aliquid peregrinum sonantem irrisisse dicitur Lucilius, Quintil. I. 5, 56. Aetas certe non adversatur; nam et plurimos Cicero commemorat Lucilii aequales, qui quidem vitam longius produxerunt, velut T. Flamininum, L. Aelium Stilonem, Scaevolam augurem, et verba *quem ipse cognovi* indicant cognitionem hominis paulo antiquioris, nisi ipse affirmaret, in se vix cadere videri.

Q. et D. Valerii Sorani] *Sorani* dicuntur ab urbe Sora, Romanorum in Volscis colonia: docent iuncta gentilia *Bononiensis Asculanus Fregellanus.* Illorum D. Soranus hoc uno loco commemoratur; Q. autem togatorum literatissimus vocatur de Or. III. 11, 43.; ex eodem Varro sese audivisse dicitur de favissis Capitolinis, de qua re ex Varrone quaesiverat Ser. Sulpicius iuris consultus et orator, Gell. II. 10. Idem Varro usus videtur illius libris de lingua Latina, v. Varr. p. 347., satirarumque versum ipsum quoque de literis eius

Latinis testantem affert p. 583. aliamque particulam p. 318. Carminis *de diis* mentionem iniicit Augustinus de Civ. Dei VII. 9. eiusdemque versus aliquot leguntur in Anthol. Lat. t. I. p. 9. Hoc carmen Ἐποπτίδων nomine inscriptum commemorari a Plinio in praefatione historiae naturalis non inficeta coniectura videtur: siquidem ἐπόπτης et ἐποπτεύειν Graecis de cultu Deorum arcano et cerimoniis mysticis dici solet. Soranus a Pompeio interfectus esse dicitur bello Sullano: v. Plut. Pomp. c. 10; sed Oppium Caesaris familiarem, quem auctorem affert, de rebus Pompeii disserentem fide dignum esse ipse Plutarchus negat. Eundem fabula est repente mortuum, quod nomen arcanum Romae esset elocutus, v. Varr. ap. Serv. in Aen. I. 277. Plin. Hist. III. 5, 65. et ex eo Solinum c. 1., item Plutarchum Quaest. Rom. p. 347 Hutt. Apud hunc autem in Cat. Min. 16. Σερρανός corrigendum; est enim ex Atiliis, cuius filiam Cato uxorem duxit: mendose circumfertur Σωρανός.

T. Betucius Barrus] idem fertur, qui virgines Vestales vitiavit a. 640: v. Liv. Epit. LXIII. Schol. Hor. Serm. I. 6, 30. Famosum propter adulteria fuisse necesse, si quidem ab Horatio etiam post tot annos pro exemplo libidinis poni potuit.

contra Caepionem] Drusi tribuni familiarem et mox inimicum, a quorum dissensione bellum Italicum repetitur: v. Plin. H. N. XXXIII. 1, 6. Caepio Scaurum lege Varia accusavit, cuius orationis reliquiae sunt apud Charisium p. 174. 198.; bello Italico legatus P. Lupi consulis cecidit a. 665, Liv. epit. LXXIII. Eius mentionem habet Cicero Bruto 62, 223. *L. Aelius Stilo*, qui Praeconinus dictus est, quod pater eius praeconium fecisset (Suet. ill. gr. 2.); homo doctus, Varronis magister et Ciceronis, qui de literis eius eximiam laudem habet c. 56, 205. Acad. I. 2, 8. Cum hominibus diversissimae aetatis vixit, Lucilio poëta Metello Numidico L. Caelio historico Pompeio Cicerone; ut ad extremam senectutem pervenisse videatur. Scripsit de grammatica Latina, qui libri eidem de lingua Latina dicuntur, quorum et mentio frequens et reliquiae quaedam exstant apud Gell. I. 18. VI. 15. X. 21., Quintil. I. 6, 37., Varronem locis plurimis, Festum p. 167.

168. 177. 206. Commentarii in carmen Saliare Varro meminit L. L. p. 283. Festus p. 168. 238.; commentarii de fabulis Plautinis Quintil. X. 1, 99. Gell. III. 3. Horum pars Meyero debetur.

170. *L. Papirium Fregellanum*] is in qua causa pro civibus suis coloniisque Latinis dixerit ignoratur; nam quod olim credidi rem ad coniurationem Fregellanorum pertinere, de qua quaesivit L. Opimius praetor, ferri non potest, quia Papirius patris Gracchorum aequalis dicitur.

171. *urbanitatis color*] cum hoc toto loco conferendi sunt Cic. de Or. III. 11, 42. Quintilianus VI. 3, 102. „Concessit municipiis laudem industriae doctrinaeque, sonum autem leniter expressum et nescio quid reconditi saporis negabat se agnoscere nisi in hominibus urbanis, qui suavitatem illam urbi gentibusque nobilium propriam tenerent nulla opera quaesitam. Itaque non voces pressit qualicunque peregrinitatis nota infectas, sed gratiam quandam nativam et elegantiam (addo ego *cum verborum tum pronuntiandi*) civibus suis adiudicavit." *Bernhardy.*

in Galliam] eo profecturus erat a. 709 a Caesare praefectus provinciae regendae: v. ad Div. VI. 6.

172. *T. Tincam*] de eo βαρβαρίζοντι v. Quintil. I. 5, 12., etsi ipse de re dubitare videtur.

Theophrasto] rem pluribus, sed incertum ex quo fonte haustam, exponit Quintilianus VIII. 1, 2.

XLVII. 173. *L. Philippus*] v. prolegg. §. 28.

sed longo tamen intervallo] imitatus sententiam est, Virgilius Aen. V. 320:

Proximus huic, longo sed proximus intervallo.

Ad sententiam Schuetzius conferri iubebat Quintiliani illud de Antimacho X. 1, 53: *quamvis Antimacho secundas fere grammaticorum consensus deferat, et affectibus et iucunditate et dispositione et omnino arte deficitur, ut plane manifesto appareat quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum.* Ciceronem et Virgilium antestatus Macrobius VI. 2. monet ut caveamus a mutanda recepta scriptura, quod non nullis placuit.

summa libertas] sententia aliquanto negligentius composita, ut a virtutibus oratoris ad ipsum oratorem illis praeditum transeatur. Sed legimus de Rutilio c. 30, 114: *sunt eius orationes ieiunae; multa praeclara de iure: doctus vir et Graecis literis eruditus.* Et 43, 158: *multae et cum gravitate facetiae; quodque difficile est, idem et perornatus et perbrevis.*

174. *vendibilis orator*] non tam probatus audientibus. c. 76, 264: *populo non erat satis vendibilis* (C. Visellius Varro). Fin. I. 4, 12: *nam, ut sint illa vendibiliora, haec uberiora certe sunt.* Lael. 25, 96: *illius vendibilem orationem religio deorum immortalium — facile vincebat.*

175. *D. Brutus*] is cum M. (sive *Mamerco*, quae praenominis forma antiquissima apud solos Aemilios retenta esse videtur) Aemilio Lepido consul fuit a. 677. *L. Scipio Asiaticus* novo inter nobiles exemplo Marianarum partium sectator cos. a. 671. Sulla pelliciente ab exercitu desertus Massiliae consenuit exsul.´ *Cn. Pompeius Strabo* cos. a. 665, Magni Pompeii pater, propter summam aviditatem pecuniae populo invisus erat. Fratrem Sextum in iuris auctoribus recenset Pomponius de or. iur. 3, 40. *M.* autem *Brutum*, cum de filio eius, qui accusationem factitabat, dudum dictum sit c. 34, 130., nunc demum commemorari iure quis miretur. Nam quod aliis locis temporum ordinem violat Cicero, id idoneas rationes habere solet.

C. Bellienus] non est idem, qui Sallustio in Iug. 104. *L. Bellienus* dicitur; is enim tum praetor erat, ille autem praeturam a. demum 648 obtinuit et cum C. Mario consulatum petens a. 650 repulsam passus est: v. Pigh. vol. III. p. 142. *Homo per se magnus* quamvis dissentiente Ernesto recte dici potuit qui ignobili loco ortus et ex se solo cognitus iure summos honores sperabat. Ceterum in controversa scriptura testatius praetuli: unus enim Bellienus Ciceroni commemoratur p. Fonteio 4., alius Phil. II. 36, 91.; erant autem ex gente Annia. Sed ex titulis etiam *Billieni* constant, quae est codicum plerorumque scriptura: v. p. 730, 2. 742, 6. Graev. p. 516, 27. Reines.; item *Billii* nomen vide p. 375, 6. Graev., si ea omnia recte descripta sunt; et ut

Duellius & *Bellius Duillius* et *Billius* inter se iuncta sunt, ita *Duilius* et *Bilius*, a quo ductum *Bilienus*: cf. Garatonum ad Planc. p. 262. Orell., et hunc ad Or. 45, 153. Ipsum *Bilienus* repperi apud Graevium p. 861, 12.

176. *Cn. Octavi*] is consul a. 666, cum Sulla in Graeciam profecto primum Cinnam res novas molientem urbe eiecisset, quod bellum Octavianum dicitur, post Cinna cum Mario urbem aggresso cum Q. Catulo C. Caesare Strabone M. Antonio oratore est occisus. V. Velleium II. 20. Drumann. Hist. R. t. II. p. 581.

XLVIII. 177. *C. Iulius*] de hoc actum in prolegg. §. 31. *Igitur* sermonem ab instituto paulisper deflectentem in viam revocat: cf. Heusinger. ad Off. I. 1, 3. Heindorf. ad Hor. Serm. I. 1, 27. Kritz. ad Sall. Iug. p. 124. Legimus c. 32, 122: *Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere sane illustris orator.* 47, 173: *duobus igitur summis Crasso et Antonio L. Philippus proximus accedebat.*

178. *P. Cethegus*] is cum Mario hostis iudicatus a. 666, aliquot tamen annis post, cum in Numidiam salvus effugisset, Sullae partibus sese applicavit, a. 671. Quod alii a. 669, alii a. 680 praetorem fuisse putant, nullis fit testibus. V. Drumanni Hist. R. t. II. p. 557. *Q. Lucretius Ofella*, qui in Sullae exercitu strenue fecerat, cum iniussu dictatoris consulatum petere ausus esset, eius iussu interfectus est a. 673. V. Asconium ad Cic. in toga cand. p. 92., apud quem olim minus emendate *Asella* dicebatur. *Ofella*, quod primus restituit Corradus, etiam eam commendationis causam habet, quod gentile nomen additum non est: eo enim opus non erat, quod Ofella Vespillonis gentilis erat.

179. *P. Orbius*] praetor a. 690, anno post Asiae provinciae praefectus: v. Cic. p. Flacco 31. *T. Aufidius* ipse quoque Asiam pro praetore rexit, sed annus ignoratur; secutus est Claudium Neronem, ipsi successit Varinius; haec enim narrat Cicero p. Flacco 19. *M. Virgilius* a Cinna subornatus est in Sullam accusator: v. Plut. Sull. 10.; hic autem spreto accusatore ad bellum Mithridaticum profectus est.

180. *Q. Sertorium*] is ante, quam ad Marianas partes Sullae propter ereptum a. 666 tribunatum iratus transiit, dictionibus forensibus operam dedit: v. Plut. Sertor. 2. Praetorius a Sulla proscriptus in Hispania maximo bello concitato Romanorum exercitus frustratus est ab a. 676 ad usque 682, quo per dolum a proditore partium est interfectus. — *P. Sextius* fortasse pater eius est, quem Cicero defendit; sed res ignoratur.

XLIX. 182. *clamatorem*] v. Explicatt. in Cic. de Or. II. 20, 86.

C. Cotta] de hoc explicatum in prolegg. §. 30., de *P. Sulpicio* §. 29., de *C. Curione* §. 32. Hac occasione moneo Augustum Matthiae in hoc Curione graviter errasse, cum eius patrem Ciceroni p. Rosc. Am. §. 90. pro ignoto *Curtii* nescio cuius nomine obtrudere conaretur; Curio enim pater cum a. 632 praetor fuerit, vix ad Sullana tempora vivere, nedum causas agere potuit. Potuit autem Curio filius consul a. 678, qui cum aequalibus Caesare Cotta Sulpicio hic et aliis locis apte coniungitur. Matthiae autem errorem ne Buechnerius quidem castigavit.

184. *si — probaturus es*] *si* non est interrogandi particula, quod videri possit. Atticus hoc dicit: an tu id id curas alios te probare, s. sollicitus es de eorum assensu, si modo Bruto satisfacturus es? Recte explicuit Meyerus idem antestatus Madvigium Emendd. I. p. 54. *An* in hoc quaestionis genere prudentius quam Handius Tursell. vol. I. p. 335. explicuit Madvigius in Cic. Fin. p. 61.

185. *tria sunt enim*] de tribus oratoris muneribus sufficit auctoritates ascribere Ciceronis de Or. II. 77, 310. et Quintiliani III. 5, 2.

L. 186. *nemone Philippum*] Ernesti coniecturam *nemone ut* a nemine probatam accepimus praeter Kirchnerum in Hor. Serm. I. 1, 108., qui ipse locus Ernesto fundus fuit ad corrigendum. Iure adversatur Bernhardy. „*Nemone ut* stupentis vel indignantis est, qui rem perversam detrectet vel reprehendat. Vide vel exempla Drakenborchi in Livium IV. 2, 12. Atqui Cicero tantum afuit, ut indignitatem iudicii popularis gravaretur, ut potius Philippum merito posthabitum Crasso

vel Antonio concedat. Iam *nemone anteferret* est *adeo nullus potuit inveniri, qui oratorem secundi loci praeferret?*“ Haec ille.

187. *Antigenidas*] eandem narrationem et, ut solet, ex Cicerone haustam habet Valerius Maximus III. 7. extr. 2.; similem sententiam vel ab Antigenida vel ab Asopodoro prolatam Athenaeus p. 631. f., quem locum Bernhardy contulit. Fuerunt autem illo nomine clari tibicines duo, quorum uter illud dictum protulerit ignoratur: v. Iacobs. ad Anthol. vol. VII. p. 57. Wyttenbach. ad Plut. t. II. p. 378. ed. Lips. Intpp. Procli Hephaestioni adiecti apud Gaisfordum p. 488. ed. Lips.

188. *perinde accidunt, ut*] usitatius erat *ac*. De Or. III. 56, 213: *sed haec omnia perinde sunt, ut aguntur.* Plin. Epp. I. 20. *perinde ut brevitas.* Post *aliter atque* adiiciendum esse *ut* post Stewechium et Tursellinum iniuria decreverat Wopkens. Lectt. Tull. I. 15.; nec concedo Handio in Turs. vol. I. p. 269. in hac formula *atque* dictum esse pro *atque ut.*

tractantur] afficiuntur. c. 54, 199: *sic ex animorum motu cernitur quid tractandis his efficiat orator;* cf. 55, 202. Hinc summus orator Cicero Quintiliano dictus est *summus tractandorum animorum artifex,* XI. 1, 85.; quem locum contulit Meyerus.

LI. 190. *perorandi locum*] idem de se testatur Cicero Or. 37, 130. p. Balbo 7. Fieri hoc potuit, quod ante legem Pompeiam iudiciariam tribus quatuor sexve patronis causae agebantur, quam ob rem singuli dicturi inter se provincias partiebantur: v. p. Cluentio 70. p. Mur. 4. p. Sextio 2. Damnat id institutum Antonii nomine de Or. II. 77, 313. et ipse in Bruto 57, 207.

191. *Antimachum*] Sine dubio *magno volumine* Cicero Thebaidem significavit, sed erravit memoria deceptus, si quidem Plutarchus testis est carmen Antimachi in honorem Lysandri compositum Platone plaudente sustentatum esse, cum ab auditoribus relinqueretur: v. Lysandri vitam c. 18. Notavit Meyerus.

instar est omnium] de sententia ante omnia conferendum Graecorum *εἷς ἐμοὶ μύριοι,* quo ipse Cicero utitur ad Atticum scribens XVI. 11.; unde suspicio nascitur coniecturis ad hunc locum sanandum prolatis plerisque non deterior *instar est decem millium;* nec *decem* uncialibus scriptum nimis distat ab *omnium.* Illud Graecorum augetur per *ὑπερβολὴν* figuram *εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι* epigr. 128. Anth. Palat. vol. I. p. 342. Nec minus rectum foret et similius etiam ad literarum ductus *instar est centum millium:* quem ad modum *Cato mihi est pro centum millibus* Cicero dixit Att. II. 5.

poëma enim reconditum] Cicero perversum popularium suorum sequitur iudicium doctrinae ostentationem et carmina ipso argumento ab omni veritate poëseos abhorrentia maxime probantium, quorum Lucretii illud et aequalem auctorem habet et omnium notissimum est. Graeci popularem assensum etiam poëtis expetendum existimabant, nec intelligentium magis quam vulgi plausum Homerus tulit.

192. *non facit*] dudum sensit Turnebus Advers. XIV. 22. *facere* verbum equestre videri eumque equum *non facere* dici, qui rectori non pareat; similiter Gebhardtus in Em. in Brut. p. 7. intelligi post *facit* vult *quae iubet eques;* contulitque locum Officiorum I. 26, 90: *quid? nonne faciles sunt ii* (sc. equi), *qui faciunt quod eques iubet?* Item equestre verbum esse puto *se dare,* comparandum illud cum nostratium *sich hergeben,* quod legitur de Or. II. 44, 187.

LII. 195. *cum ita heres institutus esset*] *ita* i. e. *ea lege,* s. *eatenus.* Usitatissima loquendi ratio, quam vix credideris interpretibus pluribus offensioni esse potuisse; et tamen res ita se habet. Sequuntur autem *cum, ut, si* particulae. Infra 62, 222: *gravem oratorem, ita duntaxat, cum de re publica diceret.* Att. VII. 13: (bellum) *ita civile est, ut non ex civium dissensione, sed ex unius perditi civis audacia natum sit.* XII. 51: *nihil est in ea* (epistola), *nisi optimi civis, sed ita optimi, ut tempora.* Phil. II. 34, 85: *ita eras Lupercus, ut te consulem esse meminisse deberes.* Accus. Verr. IV. 67, 150: *ita tamen laudent* (te Mamertini), *ut Heius adsit.* de Or. II. 38, 159: *quod si quis probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur.* Top. 19, 72: *quoniam ad te haec*

ita scribuntur, ut etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, ut quam plurimum iis — prodesse possimus. Vell. II. 93, 2: *quem homines ita, si quid accidisset Caesari, successorem — arbitrabantur.* Quintil. X. 7, 12: *sed hic usus ita proderit, si ea — ars antecesserit.* De Livianis vide Drakenb. in Liv. IV. 5, 5. Non secus dicitur *sic.* Cic. ad Att. XII. 38: *tu, quoniam nihil necesse est, sic scribes aliquid, si vacabis.* XV. 25: *meus animus est aequus, sic tamen, ut nihil offensionis sit.* Item *eatenus.* Opt. g. or. 7, 23: *verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro.* Sed longe aliter dicitur *ita — ut* p. Murena 15, 33: *ad quod bellum duobus consulibus ita missis, ut alter Mithridatem persequeretur, alter* &c.: hoc enim significat *ita partitis provinciis.*

in suam tutelam] sui iuris esset factus (*mündig*). Totam rem similibus verbis Cicero persequitur de Or. I. 39, 180.

196. *quam captiosum esse*] subaudiendum *dixit*, quod clare demonstratur illis, quae sequuntur §. 197; *quam ille multa de auctoritate patris sui* &c. De oratione a passivo *neglegi* in activum *pervertere* transeunte v. Madvig. in Cic. Fin. p. 178.

197. *ita breviter*] haesit in his Schuetzius, non videns subaudiendum esse *quam qui brevissime;* eodemque modo erravit in de Or. I. 52, 226., in quem locum commentati rem pluribus exemplis firmavimus.

LIII. *ut — exorsus est, similiter Scaevolam — effecisse*] *ut* est *postquam; exorsus est* more in primis Tacitino primum cum praepositione et casu (*ab adolescente*), deinde cum sententia s. accusativo et infinitivo dicitur: nam hac altera orationis parte ex verbo *exorsus est* elicitur notio generalis *dixit* s. *orationem ita persecutus est;* de quo genere sermonis componendi κατὰ τὸ σημαινόμενον expositum in de Or. I. 13, 59.

consecutus] non *assecutus*, sed *persecutus* s. cum sibi id exsequendum proposuisset. Cic. Legg. III. 8, 18: *eum morem igitur cum brevitate, si potero, consequar.* Off. I. 32, 116: *fit autem interdum, ut non nulli omissa imitatione maiorum suum quoddam institutum consequantur.* Male hic Heumannus et Facciolatus praelaturi erant *sequantur;* quibus iure ad-

versatus est Gernhardus. Infra c. 82, 284: *inde erat ista exilitas, quam ille* (Calvus) *de industria consequebatur.*

delectavit] refer ad *animos omnium;* male enim vulgo virgula distinguunt post *delectavit.* De hyperbato apud Ciceronem exposui in de Or. I. 10, 39. De hilaritate illa, qua causam Curianam totam Crassus tractavit, v. de Or. II. 54, 220.

198. *quantam sibi potentiam — assumeret*] huc in primis spectat locus de Or. II. 6, 24., quo ipsa illa Crassi verba in Scaevolam iuris prudentiae quasi dominationem quandam sibi arrogantem convertuntur.

dixisse ut contra nemo videretur] superiorem Crassum ex hoc certamine discessisse discimus ex Antonii verbis de Or. I. 56, 239.

LIV. 200. *oscitantem*] similia de boni aut mali oratoris dictione, quomodo audientes afficiat, narrantur c. 84, 289 sqq.

circulantem] mira est Rivii suspicio *calculantem*, praesertim cum ipse quaedam non inepta afferat ad explicandum verbum *circulandi*, quod est non uno loco sedere, sed circumire et discursare, ut cum iis, qui assunt, otiose confabulando tempus absumas. Exposuit P. Victorius Var. Lectt. VIII. 13.

mittentem ad horas] non ad clepsydram, ea enim ante iudicum oculos posita erat, sed ad horologium s. solarium, ut scias quota hora sit: quod est signum impatientiae. *At horas* igitur proprie significat *ad horas cognoscendas*, quod eo magis mirere Ernesto indictum visum, quod dicuntur etiam apud Cic. Nat. Deor. II. 38, 96. *horae* de horologio. Quod ille *ad forum* coniecit, non reputavit ipsa iudicia in foro exercita ante, quam ab Augusto transferrentur in basilicas.

opus oratorium] *opus* est munus et provincia; *opus oratorium* fit, cum orator suum negotium facit, i. e. suam in oranda causa praestantiam ostendit. Plane geminum est *opus censorium* de Or. II. 90, 367., in quem locum commentati rem exposuimus; idem legitur Suet. Caes. 41., in quo loco illustrando erravit Casaubonus, cum Gellius IV. 12., cuius testimonio utitur, rectiora docere posset. *Opus dicendi* legitur infra 59, 214.; *oratorum opera propria et quasi legitima*

21, 82., quam ob rem oratores *operis nostri auctores* Quintilianus dixit V. 14, 27.; *opera oratorum quotidiana et pervagata* Cicero de Or. III. 49, 188.

LV. 201. *a Cotta et Sulpicio*] sermo ad hanc degressionem defluxit ab illis, quae leguntur c. 49, 183: *ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio tum omnium facile primas tulerunt.*

attenuate] genere orationis λιτῷ s. tenui, quo omnia ad subtilitatem docendi referuntur, non ad vim et sublimitatem animos permovendi. Longe aliter Calvi oratio *nimia religione attenuata* dicitur c. 82, 283: hoc enim reprehensionem habet docetque Calvum, quia in deligendis verbis sibi nunquam satisfecerit, ab omni orationis vi et ornatu absterritum.

203. *tragicus orator*] easdem laudes naturalium Sulpicii bonorum satis magnificas habet Cicero de Or. II. 21, 88 sqq. Ibi quidem in hoc, quod Crassum voluerit imitari, Antonii consilium secutus dicitur.

204. *defuit*] singularis legitimus in epexegesi facta verbis *duae res — altera alteri.* Meyerus testatur Cic. Off. I. 41, 147., quo loco *suum quisque opus considerari vult* similiter commemoratos pictores et statuarios et poëtas sequitur, item Suet. Caes. 89., quo loco Ernesti errorem Wolfius castigavit.

LVI. *Isocratem*] is sollers magister accurate pervestigata discipulorum natura ad quod genus maxime idonei essent, se conferre eos iussit; sic Ephorum ad historiam scribendam impulit: cf. de Or. II. 13, 57. 22, 94. *Lene* dicitur Ephori ingenium *acri* Theopompi naturae contrarium, quod ille ab omni vehementia et contentione aberat; ὕπτιος καὶ μηδεμίαν ἔχων ἐπίτασιν, quae Suidae sunt de Ephoro verba, *cunctans et quasi verecundans*, Ciceronis de Or. III. 9, 36. Similia Platonis dicta de Aristotele et Xenocrate, Aristotelis de Theophrasto et Callisthene comparatis retinuit Diogenes Laërtius V. 39.

205. *P. Canutius*] is accusator Oppianici Scamandri medici et Fabricii fuit in causa Cluentii, laudatus a Cicerone l. c. c. 10. 18. 21.; orationis alicuius ab eo scriptae particula exstat apud Priscianum t. I. p. 369. Attulit Meyerus.

Cottae pro se lege Varia] cum lege Varia reus esset. *Lege Varia* adverbiascit significans eum, ne lege illa condemnaretur, sese defendere coactum esse. Simile est c. 34, 128: *invidiosa lege Mamilia quattuor consulares — Gracchani iudices sustulerunt.*

L. Aelius] Stilo Praeconinus: v. in c. 46, 169.

Varro noster] M. Terentius Varro aequalis Hortensii natus a. 638, Pompeii inde a bello piratico, quo corona est donatus a. 687, partes secutus est et civili bello legatus exercitui Hispaniensi praefuit a. 705; post ab armis discessit et in studia literarum totum se abdidit et a Caesare bibliothecae publicae a se conditae praefectus est. Ab Antonio proscriptus mortem effugit et nonaginta fere annorum senex mortuus est anno demum 726. Scriptorum ingenti numero et varietate omnem divinarum humanarumque rerum memoriam historiam et instituta Romana doctrinam linguae Latinae praecepta omnium fere artium poëtarum Graecorum Latinorumque historiam complexus dignusque est habitus, qui Romanorum doctissimus vocaretur.

206. *Q. Metello*] Metellus Nepos Balearici filius, Macedonici nepos dicitur, cos. a. 656. Is accusatus est a C. Curione: v. Ascon. in Cornelianam p. 63. De *Q. Caepione* v. in c. 46, 169. *Q. Pompeius* Sullae in consulatu collega a. 666 cum plurimis aliis lege Varia reus fuit. Huius fortasse sententia legitur apud Priscianum t. I. p. 371.

LVII. 207. *Pomponius*] v. c. 62. Tamen confusam eius et obscuram orationem graviter vituperat Crassus apud Ciceronem de Or. III. 13, 50. Tribunus erat a. 664, v. Brut. 89, 305.; periit bello Sullano a. 673 v. Brut. 90, 311.

vel dicam] i. e. vel dicam potius. V. Goerenz. ad Cic. Acad. II. 36, 116. Madvig. in Cic. Fin. p. 24. Alia praeter duo illa huius usus exempla sunt Brut. 70, 246. Phil. II. 12, 30.

208. *unum corpus*] ὅλον τι καὶ συνηιμμένον, *ein Ganzes*: Graeci pariter dicunt σῶμα. Copiose rem totam enucleavit Nic. Heinsius in Virg. Aen. XII. 835.

209. *partes quasi membra*] ascribimus Bernhardyi explicantis verba: „Cicero nunc *partes atque membra* (de Nat. D. I. 4. II. 34. cf. Suet. Aug. 48.) copulat, nunc formam dicendi quasi figuratam excusat et distinguit. Partitt. or. 10: *veri similia reperiuntur ex partibus et quasi membris orationis.* Accedat Top. 5: *unusquisque eorum locorum — sua quaedam membra habet.* Nimirum *partes* ad externam iuncturam et fortuitam, *membra* ad interiorem solidamque compagem, hoc est organicam, referuntur. Eadem ratione Graeci Platone praeeunte sociarunt *μέρη καὶ μέλη*, v. quos indicant Boissonnadus in Anecd. t. V. p. 233. et Lobeck. Paralip. Gr. Gr. p. 58."

LVIII. 210. *usu aliquo domestico*] patris secutus exemplum. c. 59, 213: *suspicor — Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum.*

admodum nihil] v. Explicatt. in de Or. II. 2, 8.

211. *patris elegantia tinctam*] paternae elegantiae saporem retinentem, imbutam eius elegantia, quasi duxisset inde colorem. *Tinctum literis* i. e. mediocriter eruditum Antonius adolescentem eloquentiae studiosum esse vult apud Cic. de Or. II. 20, 85. v. Explicatt.: diversum hoc a *leviter erudito*, secus ac placebat P. Victorio Var. Lectt. X. 18. Paulo aliter verba *sensu tincta* esse in tenui dicendi genere vult Quintilianus IV. 2, 117. i. e. ab omni ornatu et fuco aliena, nec nisi a rebus et sententiis colorem ducentia.

Laeliae] Sapientis filiae de Or. III. 12, 45. Brut. 26, 101. Q. Mucio Scaevolae Auguri nupserat, eiusque filiarum altera Crasso oratori.

hanc — Scipionis] intellige *uxorem.* c. 61, 217: *cum ego pro Titinia Cottae perorassem.* Virgilii illud *Hectoris Andromache*, Plinii maioris *Poppaea principis Neronis*, minoris (Epp. II. 20.) *Verania Pisonis*, Taciti *Apicata Sciani* (Ann. IV. 11.) comparat Bernhardy. Addo exemplum haud paulo clarius, quod ex sepulcro Metellae ad viam Appiam posteris proditum est: CAECILIAE Q. CRETICI FILIAE METELLAE CRASSI. — Totum hunc locum de domestica loquendi elegantia expressit Quintilianus I. 1, 6.

212. *hic Scipio*] Q. Caecilius Metellus Pius Scipio, socer et collega Pompeii tertio consulatu a. 702, Bruti in pontificatu. Interfecit se post pugnam ad Thapsum in Africa a. 708. Pronepos erat P. Scipionis Nasicae Serapionis, qui Ti. Gracchum interfecit, et adoptione Metelli Pii in eius familiam venerat, qua re *Cornelianum* dici oportebat, nisi antiquus etiam in nominibus Romanorum mos tunc iam obliterari coepisset. Stemmata Liciniorum Muciorum & Scipiorum affinitates docentia Wetzelius dedit in Cic. Cat. Mai. 8. et 10.

LIX. 214. *ut Sulpicium*] Meyerus Augustum Matthiae secutus, qui in diss. de anacoluthis apud Ciceronem p. 11. huic exemplo diversissima contendit, orationem anacoluthon esse putat; quod, etsi dici potuit *in Sulpicio, in Antonio*, ut ille vult, verum tamen non est. Subaudiendum enim verbum *vidimus: quos* (oratores) *parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium vidimus, ut Antonium.*

215. *paria — superiora*] paria pleraeque inventionis partes dispositio memoria, superiora ars movendorum animorum et actio gravis et ad commiserationem excitandam apta, quod genus orationis Crassus sive natura sive consilio aspernabatur dignitatis viri in re publica principis retinens.

LX. 216. *quis loqueretur e lintre*] notatur *frequens et concitata in utramque partem nutatio*, quae sunt verba Quintiliani XI. 3, 129. Ciceronis narrationem in brevius contractam apponentis. Sed ea nutatio minime speciem remigantis praebet, ut Meyero visum, quem apud Helvetios suos remigantem vidisse neminem veri simile, sed in lintre fluitante stantis, qui, cum propter levitatem vacillet, etiam hominem incerto vestigio niti cogit.

Cn. Sicinius] tribunus plebis fuit Octavio et Curione consulibus a. 678. De dicacitate eius testimonium insigne habet Plutarchus Crasso c. 7.; attulit Meyerus.

217. *produxisset*] produxisset in contionem ibique dicendi potestatem dedisset; sic recte explicabat Wetzelius secundum Manutium ad Or. p. Sext. 50, 107. In concilio enim tribuum non licebat dicere nisi tribunis solis; sed et

magistratus et privati a tribunis producebantur, sive ut testimonium dicerent, sive ut quaereretur ex eis aliquid. Cic. Div. XII. 3: *productus in contionem a Canutio turpissime discessit* (Antonius) sc. convicio populi laceratus propterea quod ea dixit *de conservatoribus patriae, quae dici deberent de proditoribus*, quae Ciceronis verba statim sequuntur. XII. 7: *productus sum in contionem a tribuno plebis M. Servilio. Dixi de te quae potui, tanta consensione, quantum forum est.* Ad Att. I. 14: Fufius *in contionem produxit Pompeium — quaesivit ex eo, placeretne ei iudices a praetore legi.* In comitiatu maximo producebantur a consulibus. p. Sextio 50, 107: productus *est ab eo* (consule Lentulo) *Cn. Pompeius — huius oratio et pergravis et grata contioni fuit.* De Rullo quantam sibi arrogaret dominationem dicens Agrar. II. 36 m. haec ponit: *ut nemo ad populum vos adducere, nemo producere, non senatus cogere, non consul coërcere, non tribunus plebis retinere posset. Adducere* in iudicium, *producere* ad rationem facti publice reddendam. Etiam consules producebantur a tribunis, quod et Valerius Maximus narrat III. 7, 3. et Cicero testatur p. Sextio 14, 33: *eidem consules — producti in circo Flaminio in contionem ab illa furia ac peste patriae — illa omnia — voce ac sententia sua comprobaverunt.*

ita — nulla] *ita* et *adeo* et contra *quam* sic coniunguntur cum negandi adiectivis et adverbiis, ut significetur rem plane nullam fuisse, addita σχετλιάσει (*so ganz und gar nicht* et *wie so gar nicht* s. *wie so wenig*). *Ita non* legitur Cic. ad Div. VII. 1., *tam nihil* Quintil. X. 1, 76., *adeo nullus* Quintil. II. 20, 7.; nam *adeo* in hac formula post Ciceronem demum in usum venit: v. Hand. Tursell. vol. I. p. 141. Muetzell. in Curt. vol. I. p. 152. Vellei. II. 62. *Quam nihil* Cic. Fin. V. 27, 80. Tusc. V. 35, 74. Verr. Accus. I. 35, 89. Att. IX. 2, 1., *quam pro nihilo* Att. XIV. 9, 1., *quam non* Verr. Accus. II. 22, 53. p. Red. in Sen. 8, 21. Liv. IV. 24, 6., *quam nondum* mox exstat in Bruto 64, 228.

pro Titinia] idem Cicero narrat Or. 37, 129.

218. *Pansa*] eo, qui consul cum collega A. Hirtio ad Mutinam periit a. 711.

cum inveheretur] convicium in oratione illatum Caesari a Curione etiam Suetonius retinuit Caes. 52.

LXI. 219. *quantum flagitii*] quod tam turpiter se dedisset. Simili, sed paulo tamen diversa vi atomi dicuntur *flagitia Democriti* N. D. I. 24, 66.; absurdum enim est credere atomos esse.

220. *officium*] non potest significare studium officii faciendi s. officiosum: hoc enim fere convenit cum dicendi studio, quo Curio flagrasse statim dicitur. Puto *officium* dici ut de clientibus solet, qui non modo salutatione matutina prosequendo in forum et domum deducendo potentes viros, quibus sese addixissent, honorabant, sed etiam causas suas illis agendas deferebant. Hoc igitur dicit: Curionem satis habuisse clientium, qui causas ad eum delaturi erant, dum par fuisset agendo.

LXII. 221. *C. Carbo*] C. Papirius Carbo Arvina, filius illius, quem Crassus orator damnavit. Is, cum tribunus fuisset et in tribunatu cum M. Plautio Silvano collega legem tulisset de civitate sociis danda, qui intra certum tempus nomen suum Romae profiterentur, ad praeturam pervenit a. 669; solus Carbonum e re publica, ut ait Cicero Div. IX. 21., ob eamque rem a Damasippo praetore cum multis nobilibus, qui Sullae favebant, occisus a. 672. Tribunatus eius anno 665 ponitur nec sane ante lex illa rogari potuit: quanquam ex Ciceronis dicto Brut. 89, 305. consequi videtur eum anno ante fuisse in magistratu.

Q. Varius] *Ibrida* dictus ab obscuritate generis, Sucronensis a loco, quo genitus est, homo vastus atque foedus, v. Cic. de Or. I. 25, 117., Metellum Numidicum veneno, M. Drusum tribunum ferro sustulisse creditus est: v. Cic. de N. D. III. 33, 81. Vellei. II. 14, 1. Suet. Tib. 1. et 3. Legis violentissimae in tribunatu a. 664 auctor fuit, ut, cum bellum Italicum erupisset, quaereretur de iis, quorum consiliis socii adversus populum Romanum arma sumpsissent: v. Asconium in Scaur. p. 22. Hac lege plurimi nobiles causam dicere coacti et partim damnati; M. Scaurus princeps senatus, L. Philippus et Q. Pompeius consulares, P. Sulpicius

26

tribunicius, C. Cotta tribunatus candidatus; postremo tamen ipse sua lege damnatus civitate excessit a. 665 summoque supplicio et cruciatu periit: Cic. Brut. 89, 305. Nat. Deor. l. c. Val. Max. VIII. 6, 4. — De *Cn. Pomponio* v. c. 57, 207.

222. *L. Fufius*] cuius ipsius quoque oratio confusa & perturbata dicitur Ciceroni de Or. III. 13, 50., a. 656 M' Aquilium Antonio defendente repetundarum accusavit ex Sicilia, deinde tribunatum gessit a. 663, praeturam a. 669. *M. Drusum*] eius res satis notae sunt: v. Liv. ep. LXXI. *L. Lucullus* est ille non minus divitiis et luxu quam rebus bello gestis clarus, consul a. 680, mortuus a. 697. *M. Brutus* pater bello civili Marianas partes secutus hostisque a Sulla iudicatus est a. 666; post tribunatum a. 671 gestum a Pompeio occisus est a. 677. *M. Terentius Varro Lucullus*, quem *Licinianum* dici oportebat secundum veterem Romanorum morem, frater L. Luculli, consulatum adeptus est a. 681 et ex Macedonia de Dardanis triumphavit. *M. Octavius* Cn. consulis a. 667 filius tribunus de largitione frumentaria tulit, quam legem tolerabilem vocat Cicero Off. II. 21, 72. *Cn. Octavius* M. F. consulatum cum C. Curione gessit a. 678. *M. Cato* pater Uticensis in praeturae petitione mortuus est; eius meminerunt Cic. Off. III. 16, 66. Val. Max. VIII. 2, 1. Gell. XIII. 19. *Q. Catulus* princeps senatus filius victoris Cimbrorum ad consulatum pervenit a. 676.

223. *Q. Caepionem*] v. in c. 46, 169. *Cn. Carbo* ille est, qui ter consul fuit a. 669, 670, 672, victus a Sulla et per Pompeium interfectus in Sicilia. *M. Marius Gratidianus* praetor a. 668 lege de re nummaria populo gratissimus, a Sulla interfectus a. 672. De hoc Meyerus laudat Drumanni Hist. R. t. II. p. 461 sqq. *L. Quinctius* tribunus fuit a. 680. *M. Lollius Palicanus* tribunus a. 683, quem Quintilianus IV. 2, 2. sic describit: *M. Lollius Palicanus, loco humili, Picens, loquax magis quam facundus.* Apud Quintilianum, cum scriberetur *Acilius* pro *Lollio*, nomen recte correxit Meyerus. Sed plures eo nomine illa aetate fuisse videntur. Scribit enim Cicero ad Atticum I. 18: *Auli filius — quam dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad male audiendum quotidie praebeat.* Auli filius L. Afranius est, consul cum Q. Metello a. 694, eoque anno et epistola illa scripta est et Palicanus tribunus fuisse videtur; quotidiana enim in consulem convicia tribuni esse possunt, in senatorem aut magistratum alium non cadunt.

224. *L. Appuleius Saturninus*] tribunus a. 654, cum legibus suis senatus auctoritatem valde infregisset et Metellum Numidicum obsistentem civitate expulisset, postremo a C. Mario consule per tumultum est interfectus una cum praetore *C. Servilio Glaucia*, qui, ut sublevaret suam consulatus ex praetura petitionem legi annali adversantem, C. Memmium competitorem in ipso campo occiderat.

post homines natos] fons formulae Lucilius, ex cuius lectione Ciceroni haesit: v. opt. g. or. 6, 17. p. Milone 26, 69. Tusc. IV. 21, 48. cf. Nonium IV. 64. *Post hominum genus natum* legitur p. Balbo 10, 26.

publice] Ernesto subditicium additamentum visum est. Significatur autem senatus consultum illud, quo consulibus dictatoria potestas dari solebat; estque simile, quod Ti. Gracchus *ab ipsa re publica interfectus* dicitur c. 27, 103.

225. *Sex. Titius*] tribunus a. 655, cui Antonius orator consul obstitit: v. de Or. II. 11, 48. Postea condemnatus est, quod Saturnini imaginem domi habuisset: Cic. Rabir. Perd. 9. Locum Bruti de gestu Titii expressit Quintilianus XI. 3, 128.

loquax] nihil infelicius Meyeri coniectura *homo solutus — sed tam loquax.* Nam et audientes *loquacem et mollem in gestu* mente iungerent, quasi quis in gestu loquax sit, nec propter loquacitatem aliquis saltationi impudicae nomen dare potuit. Iure ascripsit Bernhardy l o q u a c i t a t i s esse medium vocabulum, ut εὔρους; ut qui orator non sit, verborum cursu quodam imperitis certe facundus videri possit.

LXIII. 226. *P. Antistius*] tribunus a. 666. Caesari obstitit ex aedilitate consulatum contra leges petenti, quae est *vera* illa *causa* statim commemorata; aedilis erat a. 668 iudicioque praefuit, quo Cn. Pompeius de patris praeda Asculana causam dixit et absolutus est; a. 672 cum reliqua, quae

in urbe manserat, nobilitate trucidatus est a L. Damasippo praetore: v. Drumann. Hist. R. t. I. p. 54., cuius testimonio Meyerus utitur.

veram causam] male explicat Bernhardy causam non fictam vel simulatam, quasi Antistius ante id tempus in sola declamatione ludorum versatus esset, quod uno verbo *rabulae* satis refellitur. Recte Meyerus *veram* intellexit gravem, quasi nomine illo solam dignam. Copiosius de eo vocabulo egimus in Expl. in Cic. de Or. II. 23, 94.

227. *inter profectionem*] Sulla in Graeciam profectus adversus Mithridatem a. 667 rediit a. 672. Corradi morosum iudicium de hoc loco est improbantis Ciceronem, quod iam anno ante contra Caesaris petitionem dicens probatus fuerit Antistius. Non vidit enim dictum id esse a potiori, ut loquuntur, quia quinque annis plus laudis quam una actione colligere potuerit.

occiderat] a Sulla hostis cum Mario iudicatus a. 666, *Cotta* in exsilium pulsus lege Varia, Curio cum Sulla legatus aberat.

LXIV. *L. Sisenna*] v. prolegg. §. 44.

genus hoc scriptionis] idem indicat de Legg. I. 2, 6., sed §. 7. longe inclementius de Sisenna et oratore et scriptore existimat, quippe veritatem secutus, cum in Bruto id agat, ut homines etiam plane infantes studium eloquentiae attribuisse ostendat.

Q. Hortensi] v. prolegg. §. 42.

229. *L. Crasso Q. Scaevola*] a. 659, cum ipse undeviginti annos natus esset; ignoratur autem quae illa prima, quam in foro dixit, causa fuerit; eodem etiam anno in senatu causam Africae nihilo notiorem egit: v. de Or. III. 61, 229.

ex quo videmus] etiam de hac formula, ut de plurimis aliis, inutilissimas dubitationes movit Krebsius in Antibarbaro; sed plenissime defendit vir doctus Antonius in programmate, quod vocant, scholae Roslebiensis a. 1831 edito p. 27.

Accius] Laelio et Caepione consulibus a. 614; Pacuvius natus a. 534, Accius a. 585. V. Clintonum in Fastis Hellenicis ad a. 614. Narravit autem Accius hoc in Didascalicis, qua parte de vita Pacuvii disseruit.

230. *pro Cn. Pompei bonis*] quod ex praeda Asculana pater eius nihil in aerarium retulerat; v. in c. 63, 226. et Plut. Pomp. 2. coll. 4. Attulit Meyerus.

M. Pisonem] de hoc v. c. 67, 236; de M. Crasso, Cn. Lentulo Marcellino et P. Lentulo Sura c. 66.

pro Ap. Claudio] causa erat de ambitu et commemoratur etiam c. 94, 324.; acta est a. 704. V. Wetzel. praef. ad epp. ad Divers. III.

LXV. 231. *nostrum tuumque initium*] Cicero pro Q. Quinctio primum dixit a. 673. Bruto causa prima quae fuerit nescimus; nam Appii Claudii soceri fuisse, cum Brutus tunc iam triginta quinque annos habuerit, mihi quidem minime probatur.

tum Brutus] „urbane causas eludit, quas suspicabatur ab hominibus curiosis prolatum iri. Negat igitur Cicero, quod in mortuis oratoribus subsistat, a reprehensoribus sibi cavisse, ne videretur in vivis laudandis vel praetermittendis nimium ambitioni vel studio tribuisse: sed a principio fines se narrationi contractiores statuisse; factum tamen esse per Hortensii memoriam, ut ad recentem aetatem sermo delaberetur. Ac tenuit ille hoc libelli consilium adeo constanter, ut in c. 71—75. quae de duobus viris laudatissimis Caesare & Marcello quasi postulari possent ad personas Bruti et Attici per digressionem transferret." *Bernhardy.*

232. *processus*] profectus. C. 78, 272: *itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur.*

233. *M. Crasso*] is adolescens dicendo multam operam dedit, de qua re testis Plutarchus est Crasso c. 3., etsi errat is δεινὸν εἰπεῖν γενόμενον ἐν τοῖς μάλιστα Ῥωμαίων dicens. Cum Cicerone Murenam defendit et Balbum et Caelium; reliquae eius res abunde notae sunt. Erat filius P. Crassi, qui, cum consul fuisset a. 657, censor a. 665, se ipse interfecit, ne in Marianorum manus perveniret.

LXVI. *gratiam*] propter ingentes divitias gratiosus apud plebem et apud plurimos potens erat, praeterea omnibus

serviebat quamvis humiliter, ut auctis clientelis latius dominaretur. Hoc non Plutarchus solum testatur, cuius auctoritate Meyerus utitur (c. 7.) sed etiam Cicero Off. I. 30, 109: *itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum quod velint consequantur, ut Sullam et M. Crassum videbamus.*

C. Fimbria] turbulentissimus asseclarum Marii. Is cum in urbe caedibus et rapinis assuevisset et in Marii funere pontificem maximum Q. Scaevolam iugulare conatus esset, legatus L. Valerii Flacci adversus Sullam missi legionibus illectis illum ad mortem egit, ipse autem deficiente exercitu semet occidit a. 669. V. Liv. ep. LXXXII. Drumann. Hist. R. t. II. p. 452., quem advocat Meyerus.

insano inter disertos] hinc illustratur quod teste Quintiliano VIII. 3, 32. dixit *fimbriaturire* i. e. insanire in Fimbriae modum. Formulam *alias res agere*, cuius origo e re sacra repetenda est, illustrat Ruhnkenius in Ter. Andr. I. 2, 15.

234. *Cn. Lentulus Clodianus*] consul a. 682, censor 684, utrumque cum L. Gellio Poplicola; legatus Pompeii bello praedonum. Laudat gravitatem in eo et consilium Cicero Manil. 23, 68.

calebat] studiosos auditores habebat, probabatur audientibus. *Iudicia calere* dicuntur, cum summo studio populi exercentur, Cic. Att. IV. 16.; *rumores calent*, cum omnium ore circumlati a plurimis creduntur. Aliter locutus est Hirtius ad Ciceronem ad Att. XV. 6: *an ego, cum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam?* i. e. cum ardore sint incensi.

235. *P. Lentulus*] cognomento *Sura*, homo foedus et libidinibus infamis, qui post consulatum a. 683 gestum a censoribus Cn. Lentulo et L. Gellio senatu motus Cicerone consule se praetorem iterum creari fecit, ut in senatum rediret; sed, cum socius Catilinae fuisset, ex senatus consulto in carcere interfectus est.

LXVII. 236. *M. Piso*] M. Pupius Piso Calpurnianus consul a. 693 opera Pompeii, cuius bello Mithridatico legatu fuerat, sed tanto maior Cicerone, ut is a patre ad Pisonem deduceretur, quod in eo antiquae vitae similitudo et multae

essent literae: quae sunt Asconii verba in Pis. p. 15. Philosophiae in primis studiosum fuisse indicat Cicero de Or. I. 22, 104. N. D. I. 7, 16.; eidem quinto libro de Finibus Peripateticorum rationem explicandam dedit. Erat autem socordia summa et supino plane ingenio: v. elegantem P. Victorii super quibusdam locis epistolarum ad Atticum disputationem Var. Lectt. XXII. 23.

Graecis doctrinis eruditus] de Nat. Deor. III. 9, 23: *omni doctrina eruditus.* p. Archia 7, 15: *istane doctrina eruditi fuerunt?* Q. Fr. I. 1, 7: *hominis doctrina eruditi.* Graeci similiter παντοίοις μαθήμασι παιδευθέντα, vel παντοίας τέχνας διδαχθέντα dicunt.

ex virginum iudicio] virgines Vestales sic saepe nude dicuntur; exposuit Cortius in Plin. Epp. VII. 19, 2. Causa illa Vestalium commemoratur quidem tempore tenus apud Ciceronem Catil. III. 4, 9., quo loco res decem annis ante eius consulatum facta narratur, sed nihil praeterea de ea traditum est. Gravis est error Steinmetzii, qui in commentariis in Catilinariae locum hanc causam et Aemiliae Liciniae Marciae virginum confudit, in qua Crassus orator patronus prodiit: v. Brut. 43, 160. Ea enim totis quadraginta annis antiquior.

237. *P. Murena*] is, praeterquam quod bello Sullano perisse dicitur (a. 673) c. 90, 311., nihilo notior est *C. Censorino*, quem Sullae diem de repetundis dixisse ferunt, et *L. Turio*, quem Thorium esse vult Pighius Annal. vol. III. p. 272.

238. *C. Macer*] pater Licinii Calvi oratoris, tribunus a. 681, post praeturam a Cicerone damnatus repetundarum a. 688. Maius eius in historicis quam in oratoribus nomen fuit: nam quod Cicero tenuem et impolitam et puerilem orationem annalium Macri contemnit, nec fidem et diligentiam scriptoris infirmat et invidiosius iudicium est eius, cui historiarum scriptio nisi omni florum oratoriorum genere picta non placeret.

veteratoriam] nos dicamus *rabulistisch*; Romani enim adiectivo a *rabula* ducto carent. *Orator* naturali facundia et,

si eruditus est, arte nititur; *veterator* usum quendam et calliditatem usu partam adhibet; ille magnifico, hic versuto genere dicendi utitur; ille delectando docendo movendo, hic capiendo auditori intentus est. c. 21, 82: *L. Cotta veterator est habitus.* 48, 178: *P. Cethegus in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur.* 75, 261: *splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet.*

LXVIII. 239. *C. Piso*] C. Calpurnius Piso iudex in causa Q. Roscii a Cicerone acta a. 678, praetor a. 684, patronus Aebutii contra Ciceronem Caecinae defensorem a. 685, consul a. 687. Post consulatum Galliae Narbonensi praefuit; ex qua provincia repetundarum postulatus, cui causae crimen iniustorum suppliciorum de Gallis sumptorum admiscebatur, sed a Cicerone consule defensus est et absolutus. V. Drumannum Hist. R. t. II. p. 92.

statarius] v. in c. 30, 116.; *sermonis* autem *plenus orator* dicitur, qui non tam contendit et clamore lateribusque pugnat, quam dicendi genere remisso et sedato utitur. Scriptor Herennianus III. 13, 23: *sermo est oratio remissa et finitima quotidianae elocutioni.* Idem statim e regione ponit *contentionem*, ut Cicero fecit de Or. III. 45, 177: *non enim sunt alia sermonis, alia contentionis verba.* Quintilianus XI. 3, 25: (optimum erit) *ediscere quam maxime varia, quae et clamorem et disputationem et sermonem et flexus habeant, ut simul in omnia paremur.* Igitur Scipionem Laeliumque oratores natura diversos cum Galba comparant Cic. de Or. I. 60, 255. dicit illos *omnia sermone paulo intentiore confecisse, non lateribus aut clamore contendisse.* De genere loquendi, cum *sermonis plenus* dicatur ad id orationis genus in primis aptus orator, confer §. 240: *D. Silanus — studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis et orationis satis.*

M. Glabrionem] is praetor a. 684 in Verrem iudicium exercebat; ex consulatu a. 687 gesto Lucullo successor datus est bello Mithridatico: quod, cum male gessisset, mox Pompeio commissum est. *Scaevola* eius avus num P. Scaevola pontifex maximus fuerit cos. a. 621, an Q. Scaevola augur non constat. *L. Manlius Torquatus* condiscipulus Ciceronis et

Attici (v. Nep. Att. 1.) consulatum P. Autronio de ambitu damnato est adeptus a. 689. Filius huius insigni laude praedicatur c. 76, 265. De *Cn. Pompeio* dicere non est necesse. Oratorem non fuisse, ut Cicero hic propter honorem viri olim sibi familiaris iusto magnificentius de eo dixerit, vel ex epistolis eius Ciceronianarum corpori inclusis existimare licet. Quintilianus III. 8, 50. orationibus a Cicerone scriptis usum refert; cuius rei memoria praeterea non exstat. Nam quod Sextii orationibus usum Pompeium secundum dictum quoddam Ciceronis ad Atticum VII. 17. affirmat Meyerus, erravit.

240. *D. Silanus*] consul anno post Ciceronem a. 692. *Q. Pompeius* a. 706 cum Magno suo gentili in Aegypto periit: Oros. VI. 15.

241. *P. Autronius*] Catilinae prima coniuratione socius cum L. Sulla ambitus damnatus a competitoribus L. Cotta et L. Torquato a. 689 in Epirum abiit exsulatum, ubi vixit ad a. 696: v. Cic. Att. III. 2.

C. Staienus] obscurissimo genere natus in gentem Aeliam irrepere cupivit dixitque se C. Aelium Paetum Staienum, quasi ex gente Staia in Aeliam adoptione translatus; hinc Ciceroni dicitur se ipse adoptasse: v. Cic. p. Cluentio 26. In hac causa iudex cum sestertia DCXL ab Oppianico ad iudices corrumpendos accepta intervertisset, damnatus est: Cic. Cluent. 7.

LXIX. 242. *C. et L. Caepasii*] defensores Fabricii erant in causa Cluentii: v. Cic. pro Cluentio 20. Hi, cum oppidani essent, veteris consuetudinis tenaciores nomen suum per sigma literam scribi maluere, quod in Valeriis, Papiriis Furiis dudum obliteratum erat, ut *Caeparii* illius, qui Catilinae socius erat, exemplum docet. Hunc cur *Coeparium* ne monito quidem lectore dici voluerit Kritzius Sall. Catil. 46, 3. non assequor. Dicti enim *Caeparii* s. Ceparii sunt a caepa olere, ut Ovilii Caprilii Porcii ab ove capra porco. *Repentinum* de homine dictum, quod nullo exspectante notum factum significat, illustrat Turnebus Adversar. XIV. 22.

C. Cosconium] non constat isne sit, qui Illyricum pro consule rexit a. 675, v. pro Cluentio 35, 97., an is, qui consule Cicerone praeturam gessit.

M. Crassi quasi secundarum] imitatorem Crassi explicat Wetzelius, nec dissimiliter Meyerus. „Aliter censebit qui veteres scriptores qua mente *primarum secundarum tertiarum actores* per figuram protulerint quoque spectet *δεύτερα λέγειν τρίτα λέγειν* diligenter expenderit. Nam ut secundas agebat, qui paulum inferior esset actori primario viresque suas illius partibus accommodaret et submitteret (addo coactum esse id facere, etiam si voce et viribus ipso primario actore valentior esset, v. Cic. Divin. in Caecil. 15, 48.): ita secundarum in re publica habebatur qui consilia sua ad utilitatem et arbitrium viri potentissimi dirigere soleret et consulto rationum alienarum quasi subscriptorem agere. Arrius igitur in quo Crassum imitaretur nihil, opinor, habebat; sed homo factiosus sicubi ministris egeret, quorum patrocinium consiliis clandestinis praetexeret, ut Athenis Pericles factitarat, Arrius suppetias prompte ferebat suamque commodabat eloquentiam." *Bernhardy.* Haec si recte disputata sunt, mirere interpretantem *er spielte fast die Rolle, die Crassus ihm liess.* Verius erat *er spielte den Aushelfer* s. *die Rolle eines untergeordneten Beistandes.* Ceterum ille Arrius praetor a. 682. Crixum fugitivorum ducem cum viginti millibus hominum occidit, sed a Spartaco victus est. Deinde, postquam diu iacuit, consulatum petere ausus a. 695, sed a Caesare, cui se addixerat illo tempore, destitutus repulsam tulit: v. Cic. Att. II. 5.

243. *solem — ferre non possunt*] sententiam aut imitatus est aut eleganter variavit sua cogitatione Quintilianus XI. 3, 26: *alioqui nitida illa et curata vox insolitum laborem recusabit, ut assueta gymnasiis et oleo corpora, quamlibet sint in suis certaminibus speciosa atque robusta, si militare iter fascemque et vigilias imperes, deficiant et quaerant unctores suos nudumque sudorem.*

iudicialis anni] inutilem oratorum loquacitatem et comperendinationum moras recidit lex iudiciaria a Pompeio tertium consule lata a. 702. Uno enim atque eodem die causas perorari iubebat binis horis accusatori, ternis patrono ad dicendum datis: v. Asconium in Milon. p. 37. cf. Dial. de Or. 38. Cic. Brut. 94, 324. Pluribus de ea lege disseruit Madvig. diss. *de tribunis aerariis* p. 6.

244. *memoriam notam*] i. e. notorum et aequalium. Meyerus comparat *aequalem memoriam* Legg. I. 3, 8.

verum] Orellius secundum Nizolium adiectivum putat esse; iure adversantur Gebhardtus & Meyerus *verum* referentes ad praegressum *quidem*. Nec *verum nomen* quid sit videtur intelligi posse.

LXX. 245. *T. Torquatus*] mortuus ante a. 702; *ambitus* enim *sublatus* legem Pompeii tertium consulis de ambitu spectat, qua graviores poenae sontibus constitutae sunt. V. Ascon. in Mil. 37. Plutarch. Pomp. c. 55.

Molonis] v. ad c. 90, 312.

246. *M. Pontidius*] num sit idem, cuius dictum laudatur de Or. II. 68, 275., quod Meyero visum, dubito; non enim ordinem aetatum et temporum adeo neglecturus fuisse videtur Cicero, ut Caesarum triginta annis maiorem huius auctoritate usum diceret.

M. Messalla] consul cum M. Pisone a. 693.

247. *Duo etiam Metelli*] *Celer* consul cum L. Afranio a. 694, optimatum defensor, Ciceronis familiaris, anno altero post a Clodia uxore veneno interemptus est. *Nepos* eius frater tribunus Ciceronem consulem acriter impugnavit, sed a populo destitutus est. Consul factus est a. 697.

hoc — populare genus] non *quod nostis*, ut Meyerus explicat, sed *hoc, quod ad populum dicentes plerique afferunt, vulgare illud; δημήγοροι* enim minime omnes pariter laudabiles sunt ingenio et oratione. Falsum enim esse, quod dicit ille, populare genus dicendi minoris habitum quam iudiciale, et maioris industriae quam doctrinae, ipse ille locus docet, quem antestatur. Crasso enim c. 44 extr. tanquam cumulus laudis additur, non ut de eius praestantia detrahatur: *fuit in hoc etiam popularis dictio excellens; Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis quam contionibus.* In primis autem ad refellendam illam sententiam facit locus de Or. II. 82, 334 sqq.,

quo contiones omnis in dicendo gravitatis et vehementiae capaces dicuntur.

Cn. Lentulus] consul a. 698 auctoritatem Pompeii imminuere studebat; laudatur id egregie a Cicerone ad Q. Fr. II. 6.

C. Memmius] v. prolegg. §. 49.

LXXI. 248. *Marcello*] M. Claudius Marcellus consul a. 703. Caesarem graviter oppugnavit. Id enim agebat in primis in relatione de provinciis, ut Caesari ante exactum alterum quinquennium succederetur, absentis ratio in comitiis ne haberetur, acta eius ex parte rescinderentur. Pompeio victo a societate belli, quod perverse geri videbat, recessit degitque in exsilio voluntario Mytilenis (§. 250) ita, ut de restitutione sua non multum laboraret; nec Ciceroni aliisque paruit ad Caesaris gratiam quaerendam cum sollicitantibus. Denique ipse Caesar intercedente senatu eum restituit: Marcellus autem etiam tum redire cunctatus Athenis interfectus est a cliente quodam: v. Drumann. H. R. vol. II. p. 393. Cicero familiaritate et studiorum similitudine eum sibi devinctissimum habuit: v. ad Div. XV. 9. Haec pleraque Wolfius in Marcellianam.

abfuit] pro praetore a. 694 Lusitaniam, deinde ab a. 696 ad 704 pro consule Galliam rexit.

249. *velim*] codd. Gu. 1. 2. scripturam *vellem* miro argumento defendit Hand. in Wopt. Lectt. Tull. p. 268. *Vellem* si dixisset Brutus, sciret non placere; at id neque scire potuit et statim contrarium dicit Cicero.

didicit] artem, quam nos vocamus *Theorie*. Aliquoties in tenore eiusdem sententiae ita locutus Cicero de Or. II. 1, 4.

250. *vidi enim Mytilenis*] Bruti iudicium de Marcello non Cicerone solo teste constat, sed ipsa eius verba servata sunt a Seneca consol. ad Helv. 9. pr., cuius auctoritatem advocat Meyerus: *Brutus in eo libro, quem de virtute composuit, ait se vidisse Marcellum Mytilenis exsulantem et quantum modo natura hominis pateretur beatissime viventem neque unquam bonarum artium cupidiorem, quam illo tempore.*

Cratippo] Peripatetico, ad quem audiendum Cicero filium Athenas miserat: v. Divers. XVI. 21. et principium librorum de Officiis. Summis a Cicerone laudibus ornatur in prooemio Timaei et de Divin. I. 3.

251. *Caesare*] v. prolegg. §. 47.

LXXII. *tuum — iudicium*] post Caesaris mortem summa omnia in eo fuisse agnoscit Cicero Phil. II. 45, 116. Maxime autem haec facit eiusdem testimonium ex epistola quadam ad Cornelium Nepotem prolatum a Suetonio Caes. 55: *quid? oratorem quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior aut crebrior? quis verbis aut ornatior aut elegantior?* Et hoc et alia, quae nunc ignoramus, iudicia Ciceronis vivo Caesare, cum quo ille redierat in gratiam, prolata ad omnium notitiam pervenisse veri simile est. Non enim is erat, qui taceret, si quem et vere et eleganter posset laudare.

252. *existumatore*] v. in c. 24, 92.

LXXIII. 254. *quo uno vincebamur*] eandem laudem Molo Ciceroni fertur tribuisse teste Plutarcho c. 4.; is enim Cicerone apud se declamante diu silens et in cogitando defixus sedit, deinde Cicerone id silentium secus interpretato confessus esse fertur sese miserari sortem Graeciae, cui iam, quae sola relicta esset, laus eloquentiae eriperetur. Suas de ditanda et erudienda lingua laudes paulo ambitiosius extollit Fin. III. 2, 5. ND. I. 4, 8. Graece autem locutum facile et cum cursu quodam et flumine verborum non dubitamus, sed a vera elegantia tantum abfuit, ut ne soloecismis quidem et barbare dictis abstineret: ostendunt inserta epistolis ad Atticum.

255. *supplicationi*] decretae propter repertam coniurationem Catilinae.

Ligurum] homines suapte natura bellicosos et locorum situ munitissimos Florus suo more acumina ineptiis miscens ait *maiorem laborem fuisse invenire quam vincere*, II. 3, 4. A bello Hannibalico finito ad Carthaginem deletam vix unus annus alterve liber a bellis Ligustinis fuit; rebellabant enim, ut propter necessariorum inopiam Galliae et Etruriae partes adiacentes depopularentur: v. Liv. XXXV. 40. XXXIX. 1. XL. 25. XLI. 16. XLII. 8.

256. *minuti imperatores*] ignobiles. *Minutos philosophos* pariter dicti de Divin. I. 30. Cat. M. 23, 85., qui eidem *plebeii* Tusc. I. 23, 55.

ne mihi acclametis] adversam acclamationem dicit similem illi, qua orator turbatur, qui contioni displicet: in quo genere in primis frequens est apud Demosthenem illud *καί μοι μὴ θορυβήσητε μηδέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*. Cicero ad Q. Fr. II. 3: *dixit Pompeius sive voluit: nam, ut surrexit, operae Clodianae clamorem sustulerunt idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio et maledictis impediretur.* Hanc vitari iubet de Or. II. 83, 339.

plus interfuit] illam opinionem quasi plus prosit civitati imperator quam vir rerum civilium gnarus studiose minuit Cicero Off. I. 22. Et de viro re publica domi gerenda egregie merito assentimur; sin is orator solus erit, malumus Catuli sententiam probare ex Hortensio Ciceronis retentam a Lactantio VI. 2, 15: *malo*, inquit, *vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio.*

baiuli] eidem peritis et eruditis opponuntur in Parad. III. 2, 23.

LXXIV. 258. *Caecilium*] Statius Caecilius Insuber Gallus a. 586 vita excessit. Errorem Ciceronis, quod hunc Laelii et Scipionis aequalem dixerit, quem reperisse sibi Meyerus videtur, ego nullum animadverto. Etsi enim illi circa annum 570 nati sunt, iure tamen Caecilius eorum aequalis dici potuit, qui cum illis quamvis iunioribus vixerit. Malus latinitatis auctor vocatur etiam ad Att. VII. 3. *Pacuvius* autem, qui fere nonaginta annos natus decessit a. 625, cum Brundisinus esset nec quantum Ennius eius cognatus in sermone emendando elaborasset, ipse quoque inquinate locutus est.

nec eos] inutiles coniecturae sunt Gulielmii et Ernesti *os* corrigentium, huius praeterea inventum *os barbarie domestica infuscaverant.* Fefellit hos et Schuetzium *eos* post *qui* ingestum, quod in mutato casu pronominis legitimum et Graecis et Latinis est. De Graecis expedierunt Hermannus ad Vig. n. 28. p. 707. et Heindorfius ad Hipp. Mai. §. 22.; Latinos

tetigit Wopkensius Lectt. Tull. I. c. 19.; etsi exemplorum, quibus utitur, unum simile est Velleii II. 6, 4. Alia sunt Acad. I. 7, 29: *quam vim animum esse dicunt mundi eandemque esse mentem sapientiamque perfectam.* Att. X. 16: *Cato, qui Siciliam tenere potuit et, si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent.*

Athenas] huius rei testem clarissimum Meyerus excitat Xenophontem de Rep. Ath. 2, 8.

259. *T. Flamininum*] v. c. 28, 109.

dilatandis literis] de hoc hominis vitio alia sunt Ciceronis testimonia, de Or. III. 11, 42. 12, 46., et de dilatatione illa, qui *πλατειασμός* Graecis dicitur, II. 22, 91.; cf. Quintilianum XI. 3, 10.

260. *accusator vetus*] non aetate, sed accusandi consuetudine, exercitatus et veterator.

LXXV. 262. *recti*] simplici quadam et ab ornamentis inutilibus alieno genere scripti, quasi recta via incedentes nec usquam ab ea deflectentes. Locum cum aliis dissimillimis, qui sunt de ingenii et morum rectitudine, contendit Stuerenburgius in Archianam p. 33. Melius cum Heindorfio in Hor. Serm. I. 4, 54. comparabis *versus puros*, Acroni explicatos *sine figuris et magno sono*, et *puram brevitatem*, quo statim Cicero utitur. Sed Quintilianus etiam melior auctor, cum *simplex et rectum loquendi genus* dixerit IX. 3, 3., idque composuerit cum *figura* IX. 2, 78. Male Meyerus interpretatur *geradsinnig*, quod quo modo de libro dici commode possit ambigo.

a scribendo deterruit] Ciceronis iudicium apposuit Suetonius Caes. 56., imitatur scriptor libri octavi de bello Gallico prooem. med.: *constat enim inter omnes nihil tam operose ab aliis esse perfectum, quod non horum elegantia commentariorum superetur, qui sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset: adeoque probantur omnium iudicio, ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videatur.*

pura et illustri brevitate] quae inutili ornatu abstinet; eo ornatior visa, quia praestantia rerum verbis puris et emendatis illustratur, non quaesitis ornamentis. Mira est

Meyeri interpretatio Caesarem illustri brevitate cum Sallustio et Tacito conferentis et vertentis insuper *eine Kürze, die reinen Geschmack und ausdrucksvollen Vortrag besitzt*!!

LXXVI. 263. *C. Sicinius*] is quaesturam gessit a. 677.

Hermagorae disciplina] Hermagoras Rhodi docuit iam ante Molonis aetatem, sed ad senectutem: auditus enim a Pompeio est post compositum bellum Mithridatis a. 692. Magnam famam adeptus est doctrina de inventione accuratius tractanda: v. Westermann. Hist. Eloq. Gr. p. 183. Exilitatem horum praeceptorum ad ornandas orationes non satis accommodatam etiam c. 78, 271. indicat Cicero.

apparatum] dicimus *Aufwand von Mitteln*. Cic. de Or. I. 53, 229: *dixit causam illam quadam ex parte Q. Mucius more suo, nullo apparatu, pure ac dilucide.*

264. *C. Visellius*] filius C. Aculeonis, quocum erat Ciceronis matertera: Cic. de Or. II. 1, 3.; tribunus militum sub C. Claudio Nerone fuit in Asia, Verr. Accus. I. 28, 71., quaestor a. 677.

celeritate caecata] de significatu verbi *caecandi* bene Wetzelius contulit Cic. c. Rull. II. 14: *cur hoc est tam obscurum atque caecum.* Sed *celeritas* illa non tam est pronuntiationis, quam ingenii, cuius ardor et impetus per se laudabilis, hic nimius significatur. Pluribus exsecutus est Bernhardy comparato Graecorum τάχος et Cicerone Or. 16, 53.

265. *L. Torquatus*] filius eius, qui consul fuit a. 689; praetorius in Africa, cum Pompeium secutus esset, sed a Caesare conservatus, interiit: v. scriptorem belli Africani c. 96. Ingenium eius etiam in Fin. I. 7, 25. et II. 34, 113. extollitur.

tam cito] „sic fere ponitur, ut *haud facile*. V. Ruhnk. in Ter. Adelph. III. 3, 89. et Hand. Tursell. t. II. p. 77.“ *Meyer.*

Triarii] C. Valerius Triarius filius eius fuit, qui bello Mithridatico Luculli legatus ad Zeleam interiit; quos confudit Corradus, probe distinxit Manutius ad Epp. ad Div. VIII. 7. p. 865. Tribunatu gesto a. 703. Pompeii classis Asiaticae praefectus periit a. 707; v. Caes. B. Civ. III. 5. Literae eius eximie praedicantur etiam Fin. I. 5, 13. Sed

erravi olim hunc eundem putans, qui M. Scaurum M. F. accusaverit defendente Cicerone; correxit errorem Meyerus secundum Asconium in Scaur. p. 19.

literatae senectutis] v. in c. 43, 161.

266. *de pace*] Ciceronis de pace conservanda auctoritates laudat Meyerus Divers. IV. 14. VI. 6. XVI. 12.

LXXVII. 267. *M. Bibulus*] Caesaris in consulatu collega ad tacendum ab illo coactus per iniuriam. Anno 703. Syriam rexit satis ignave Parthorum post Crassum occisum incursiones metuens. Bello civili classi Pompeianae praepositus moritur a. 706: v. Caes. B. Civ. III. 18.

Ap. Claudius] consul a. 700. Ciliciam anno ante Ciceronem rexit avarissime. Reversus a P. Dolabella et maiestatis et ambitus accusatus, sed Bruto et Hortensio defendentibus annitente Pompeio, cuius Cn. filius Appii filiam alteram in matrimonio habebat, absolutus et censor creatus est a. 705. Ante pugnam Pharsalicam morbo periit. Haec Meyerus. Eius in consulatu collega fuit L. Domitius Ahenobarbus, gravis Caesaris adversarius; a quo cum Corfinii captus et dimissus esset, apud Pharsalum Antonii manu cecidit: v. Caes. B. Civ. III. 98.

268. *duo Lentuli*] P. Lentulus Spinther consul cum Q. Metello Nepote de Cicerone exsule restituendo optime meruit a. 697. Corfinii a Caesare captus et dimissus Pompeii partibus se adiunxit et in Aegypto mortuus est a. 707: v. Drumann. Hist. R. t. II. p. 533. Alter Lentulus est L. Lentulus Crus. cos. a. 705, qui propter aeris alieni vim bello civili excitando favisse fertur. Cum Pompeio iugulatus est in Aegypto; v. Drum. l. c. p. 548.

in re publica] abutitur hoc loco Meyerus genus iudiciale dicendi deliberativo maius et difficilius esse probaturus. Sed Cicero nihil aliud dicit, quam Lentulo tantum fuisse facundiae, quantum habere conveniat virum rei publicae principem. Ceterum illa *sed cogitandi non ferebat laborem* distinguenda sunt, ut fecimus. Sunt enim παρένθετα et minuunt vim praecedentium *satis erat fortis orator, si modo orator:* orator enim cogitandi laborem fugere non debet. Sic sententia

recte procedit: *satis erat fortis orator: vox canora, verba non horrida, ut plena esset animi et terroris oratio.* Vis enim oratoris voce et verbis non horridis adiuta efficit illud, ut oratio videatur animi et terroris plena. Non egemus igitur Schuetzii coniectura: *verba non horrida, plena animi ac fervoris oratio.*

269. *T. Postumius*] praetor is a. 697. *M. Servilius* tribunus a. 694: Cic. Att. VI. 3.

LXXVIII. 271. *P. Cominium*] exstabat oratio eius in C. Cornelium habita a. 689, quae ab Asconio non sine laude commemoratur. Cluentium autem anno ante Cicero defendit, cum praetor esset.

272. *C. Pisoni*] C. Calpurnius Piso Frugi Ciceronis gener in quaestura mortuus est a. 696, cum Cicero exsul erat. Pietatem eius et ingenium mirifice laudari videmus Divers. XIV. 1. & 3. p. Sext. 31, 68. in Vatin. 11.

dictione] *dictio* non est oratio publice habita, ut Bernhardyo visum in c. 73, 256., sed ipsum illud *habere orationem* substantivo redditum: *das Reden, das Halten einer Rede.* Cum *dictionem pro M' Curio* c. 73, 256. se malle ait, *quam castellanos triumphos duo*, hoc dicit sibi potius videri dixisse quam triumphasse. De Or. I. 33, 152. legimus *sese in subitis dictionibus exercere*, id est ex tempore dicendo. Sed plena omnia exemplorum sunt; confer tamen nostra in Expll. ad de Or. I. 6, 20.

evolare] de summa celeritate proficiendi dictum Bernhardy comparat Divers. I. 7, 19: *quem tamen illi esse in principibus facile sunt passi; evolare altius certe noluerunt;* sed iniuria advocat Graecorum *ἀναπτεροῦσθαι*, quod totum diversum. Adde de Or. II. 52, 209: *invident — maxime paribus aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse.*

firma ad probandum] de loquendi genere v. Explicatt. in de Or. I. 4, 13.

LXXIX. 273. *M. Caelium*] v. prolegg. §. 50.

multum tamen] hoc *tamen* mollientis esse et reprehensionem quandam excusantis adhibito loco c. 69, 242. recte Bernhardy iudicat. Nos rem accurate exsecuti sumus Expll. in de Or. II. 22, 91.

274. *pellucens*] advocat Meyerus Quintilianum VIII. prooem. §. 20: *similiter illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat, quae illo verborum habitu vestiuntur.* Sed iile a pellucidis s. Cois vestibus sumptam locutionem in vitium convertit, Cicero in bonum, de tenero et venusto dicens. Videtur autem ea vi semel dictum esse.

Lucilius] Lucilius in vitium accipiebat structuram verborum nimis accuratam: vide versus, quibus Albucium Q. Scaevolae accusatorem lusit de Or. III. 43, 171. Orat. 44, 149. Respiciunt eos Quintilianus IX. 4, 113. Plinius Hist. Nat. XXXVI. 61.

in ornatu] Cic. Or. 39, 134: *et reliqua ex collocatione verborum, quae sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim similia illis, quae in amplo ornatu scenae aut fori appellantur insignia; non quod sola ornent, sed quod excellant.* Secundum hunc locum rem explicui in Explicatt. in de Or. III. 25, 96.

qua de re agitur] in causis privatis id est, quod in publicis dicitur *causam facere*, id est quo sublato controversia stare non possit: v. Cic. de Or. II. 30, 132. Quintilianus secundum Graecos alias vocat *τὸ συνέχον*, alias *τὸ κρινόμενον*: v. III. 11, 1. et 18. V. etiam Steinmetzium in Cic. Mur. 13, 28. Errabat Cortius, cum idem Ciceroni dici *quae res agitur* putabat, in Sall. Catil. p. 329.; contrarium in primis bene docet Madvigius in Cic. Fin. p. 142.

LXXX. 276. *altior oratio*] ea recte distinguitur et opponitur *submissae*, qualis Calidii erat. Eandem *altius exaggeratam* ad exemplar Graecorum *ἀναπυργουμένην* vocantium dixit c. 17, 66. eodemque loco *altitudinem* i. e. *ὕψος* Thucydidi historico tribuit.

abfuit — defuit] *abest* quo caremus, *deest* quo egemus. Recte sic Reitzius in Miscell. Observatt. t. X. p. 128.

278. *frons — femur*] tota veterum oratorum actio a nostra in hoc genere temperantia multum distat: quod maxime intelligitur ex diligenti disputatione Quintiliani XI.

3, 80 sqq. Nobis quidem haec violentiora artificia a viro civitatis principe aliena esse videntur, nec ea secutus est Crassus oratorum Romanorum gravissimus. Idem Quintilianus ante Cleonem Atheniensium demarchum neminem manu de pallio exserta aut frontis femorisve percussione usum tradit l. c. §. 155.

279. *Brutus*] hoc non tam ipsius Bruti quam Ciceronis iudicium putandum est. Qui enim tam leniter scripserit graviter egisse non videtur.

LXXXI. 280. *C. Curionem*] tetigimus hominem ingeniosum, sed inertem et turbulentum §. 50.; *C. Calvi* res executi sumus §. 51.

me audire] Ciceronis auctoritas maxime cognoscitur ex epistolis ad eum, cum quaestor Asiae esset, datis: v. Divers. II. 1—6. Hunc magistratum cum honeste gessisset, ingenti aere alieno obrutus a Caesare sese corrumpi passus est; cuius cum causam tribunus ageret violenter et contra leges, magnas in excitando bello civili partes habuit.

281. *P. Crasso*] adolescens equitatui praefectus a Caesare rem in Gallia egregie gessit: v. B. Gall. I. 52. II. 34. III. 7. Cum patre ad Carrhas Mesopotamiae interiit a. 701. Insigni amore eum amplectebatur propter mores et literarum studia Cicero: cuius amoris in primis honestum testimonium exstat Divers. XIII. 16. coll. V. 8. Q. Fr. II. 9.

282. *transcurrerant*] bene explicat verbum paulo obscurius dictum Bernhardy: „Cyrus et Alexander, qui iuvenilibus annis non gradatim et per legitima rerum gerendarum intervalla, sed paucis et luculentis successibus quasi saltu terminos curriculi superassent, eleganti figura dicuntur *suum cursum* laudis *transcurrisse*. Similiter Graeci proverbium ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν usurpant."

LXXXII. 283. *deperdebat*] hunc locum respicit Quintilianus X. 1, 115: *inveni qui Calvum praeferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse.*

devorabatur] recte verbum rarius defensum videtur a Schuetzio. *Devorari* oratio apte dicitur, cuius magna pars non satis percipitur, sed intelligentiam auditorum fugit. Idque in primis cadit in eum oratorem, qui a populi iudicio recedit. Fons autem significationis repetendus est ab aviditate cibos sine gustu devorantium. Is illustratur loco Ciceronis in Sextiana 10, 23: *verbum ipsum* (voluptatis) *omnibus modis animi et corporis devorabat.*

284. *Atticum*] cum hac de atticismo vero et falso disputatione recte conferentur loci Ciceroniani Or. 9, 28 sqq. de opt. gen. oratt. 3, 7 sqq. et Quintilianus XII. 10, 13 sqq.

285. *dissimilitudines*] dicitur de Atticis in eodem genere, velut oratorio, dissimilibus; ex hac diversorum comparatione perspicitur quot genera dicendi apud Atticos fuerint et tamen in suo quisque genere probatus: v. de Or. II. 23, 94. Paulo aliter haec Schuetzius explicuit. De similibus apud Graecos vide Benselerum in Isocr. Areopag. p. 108.

floridior] „figurae significatio spectat ad gestationem vestium pictarum (ἀνθινῶν) meretricibus magis quam honestis hominibus consentaneam. Demetrius igitur, qui castitatem orationis Atticae putabatur inflexisse, versicolorem vestem dictus est libris suis induisse: v. Quintil. X. 1, 33." *Bernhardy.*

LXXXIII. 286. *Charisius*] v. Ruhnk. in Rutil. p. 37. et in Hist. Cr. Or. Gr. p. XCII. A Menandro comico in scribendo adiutus ferebatur propter orationum argutias: v. Quintilianum X. 1, 70. — *Multarum orationum* orator dicitur ut mulier *multarum nuptiarum* (Cic. Att. XIII. 29.) et Horatianum *Damalis multi meri;* cuius dicendi usus auctores affert Bernhardy Intpp. Ovid. Met. XIV. 292. Dukerum in Liv. III. 62. Walch. in Tac. Agric. 9.

Demochares] v. Ruhnk. in Rutil. p. 7 sqq.

Hegesias] v. Ruhnk. in Rutil. p. 25 sqq. Hunc Cicero dicit Atticum sibi ipsum visum, quia elegantem oratorem sese putabat: Attice enim et subtiliter dicere eadem aut coniuncta existimabantur. Sed is Asiaticum dicendi genus fractum et inutili cum tumore tum argutia plenum primus excogitavit. Tamen Romanorum Varroni pingui Minerva existimatori placuit: v. Cic. Att. XII. 6. Mueller. in Varr. de L. L. p. XXXV. Non aequius Cicero Hegesiam iudicat in Oratore 67, 226.

287. *Thucydidem*] in eandem sententiam relabitur Cicero Or. 9, 30. et rursus de opt. g. or. 5, 15. Quid in orationibus inserendis operi suo spectaverit ipse Thucydides testatum reliquit I. 22.

Opimium] nota Opimiana ad Plinii usque tempora duravit: v. H. N. XIV. 4., cum Opimius consul centum et octoginta annis ante fuisset; sed Anicianae, cum Anicii consulatus quadraginta annis prior fuisset, memoria interierat. De vinorum aetatibus et bibendi maturitate consule Dissenium in Tibull. p. 215. et Th. Schmidium in Hor. Epp. I. 5, 4.

de lacu fervidam orationem] hoc a vino recens diffuso sumptum praepositionem dictam habet ut fit in *recens a* vel *e*, cuius vocis significatus in *fervido* inest. Ad sententiam confer Quintiliani illud II. 4, 8: *qua re mihi ne maturitas quidem ipsa festinet nec musta in lacu statim austera sint.* Eadem de vino recenti translatione usus Cic. in Or. 30, 107: *quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quae nequaquam satis deferbuisse post aliquanto vidimus* i. e. multo post demum vidimus nondum suam habuisse maturitatem.

LXXXIV. 289. *ad stantem iudicem dicant*] cum corruptum locum putarem cum aliis, placebat *ad unum iudicem*, quod de causis minimis, quas deceat dicendi genus tenue, dictum viderem Or. 21, 72. Nunc in Gebhardti sententiam discedo *stantem iudicem* dici putantis coronam auditorum circumfusam. Sed errat Meyerus, cum de orationibus generis deliberativi hoc dictum esse vult, quippe sua opinione deceptus deliberativum genus tenuius esse, iudiciale magnificentius: quam refellit unus locus de Or. II. 82, 337. Colligandae sunt sententiae *sed — dicant* et *subsellia — desiderant*, non distinctione maxima separandae: firmat enim priorem posterior. Hoc dicit Cicero: illis ego laudem Attice dicendi, quoniam sibi in ea placent, libenter relinquo: sed velim in comitium veniant, multos auditores, ingentem coronam circumfusam habeant; tum eorum infantia perspicietur: grandiorem enim vocem iudicia desiderant, quibus illi satisfacere non possint. In ipso enim comitio tribunalia iudicum constituta erant; cum dicebant oratores, multitudo forum complebat.

290. *placere*] usitatum de histrionibus: v. Ruhnken. in Ter. Andr. prol. 3.

Roscium] quippe in arte sua adeo praecipuum, ut praestantissimus quisque in suo genere Roscius vocaretur: v. Cic. de Or. I. 28, 130.

291. *qui Attice*] expressit Quintilianus XII. 10, 26: *melius*, inquit, *de hoc* (Demosthenis) *nomine sentiant credantque Attice dicere esse optime dicere.*

LXXXV. 292. *ironiam*] eandem Socrati in primis tribuit de Or. II. 67, 270. Acad. II. 5, 15. cf. infra c. 87, 299.

Epicuro] de Epicureis certe constat, ut de Zenone Epicureo, ex loco Nat. Deor. I. 34, 93.

293. *quo nihil potest esse pictius*] miror Bernhardyum, quod non perspexerit illud *quo* necessario referri ad Lysiam; sic in id incidit, ut *pictam* ab Attico dici putaret comparationem illam Catonis et Lysiae, quae scilicet iusto pinguioribus luminibus s. ληκύθοις a Cicerone sit exornata. At tum non potuit dici *quo*, sed *hoc*; quin addendum fuisse videtur *certe* s. *sane*. *Pictus* non potest nisi de polito Lysiae in summa simplicitate dicendi genere intelligi nec mirum est hominem tenuius dicere solitum paulo ampliore laude ab Attico ornari; nam id et φιλέλληνα decet et illis laudibus refertur, quas Cicero ante in Catonem contulerat. *Pictum et politum* de lautissimo ornatus genere coniunxit Cicero Att. II. 21., quod si quis diversum dixerit, quia de laudando homine dicitur, non de orationis ornatu universe, consideret velim Oratoris 27, 96: *est enim quoddam etiam insigne et florens orationis pictum et expolitum genus.*

294. *Tusculanum*] oppidanum, in quem urbanitatis laus iam propter ortum cadere non posset. Omnium enim civitatum, qui novo Latio accensebantur, Tusculum plurimis gentibus Romae nobilitatem assecutis ortum dedit, praeter Porciam Fulviae Iuvenciae Fonteiae (Cic. Font. 14.) Coruncaniae (Cic. Planc. 8, 40. Plin. H. N. VII. 43.; nec valet contra hos auctores Taciti dissensus Ann. XI. 24. Claudii Caesaris orationem referentis) et omnium antiquissimae Mamiliae. Sed Praeneste oriunda Caecilia genus a Caeculo fabu-

loso urbis conditore ducens et Anicia (Plin. H. N. XXXIII. 1.); Velitris Octavia (Suet. Oct. 1.); Lanuvio praeter Anniam etiam Licinia Murenarum (Cic. Mur. 41, 90.); Atia Atinia Voconia Aricinae erant (Suet. Aug. 4. Cic. Philipp. III. 6, 16.); Otacilia Benevento orta (Fest. p. 126.).

LXXXVI. 296. *Lysippus aiebat*] ex illo *aiebat* subaudiendus coniunctivus videtur, *dixeris;* quoniam quidem *aiere* illa temporis forma caret. Atticus igitur hoc dicit: de Crassi et Antonii laudibus tibi assentior; sed non tamen isto modo (i. e. ut tu eas exaggerasti), quasi recte dixeris suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse, ut Lysippus ex Polycleti Doryphoro sese artem didicisse dicebat. — De Doryphoro, quem propter membrorum habitum et rationes accuratissime observatas κανόνα vocabant, non minus honorifice Cicero iudicat Or. 2, 5., quam Quintilianus V. 12, 21.

LXXXVII. 297. *pepulisti*] assentior Bernhardyo *pellere* translatum esse a chordis pulsis, quo ducat etiam *initium*, quod sane, etsi exordium orationis nunquam significat, tamen ut Graecorum προοίμιον ad similitudinem introductionis musicae accommodari potuit, ut *initium pellere* sit idem quod προοιμιάζεσθαι. Sed non assentior *pleniore quodam sono disputationem gravem et copiosam inchoari* dici, sed simpliciter *inchoari sermonem*, cuius facilius sit initium quam exitum reperire. *Movere*, ut Graecorum κινεῖν, eadem res dicitur in dialogo de oratoribus c. 16.

299. *ante dixi*] c. 78, 270.

300. *si modo licebit*] εἰρωνικῶς loquitur: licebat enim re publica gerenda minime occupato, ut ipse dixit c. 71, 250. Sed cavillatur iniquitatem temporum Caesarianorum, quasi vel literis operam dari non sinant.

LXXXVIII. 301. *memoria tanta*] hanc plurimis locis praedicat Cicero, velut de Or. III. 61, 261. Acad. II. 1, 2. Tusc. I. 24, 59., item Quintilianus X. 6, 4. et XI. 2, 24.

nullo referente] dubito an minus recte Bernhardyus de causarum dicendarum inter plures partitione intellexerit, qua sane accidebat, ut non adessent alio patrono vel etiam adversario dicente: v. 57, 208. Sed rectius fortasse *referre* de monitore intelligas, qui praeterita revocet in memoriam: cuius rei necessitatem perspici licet ex de Or. II. 87, 355: *itaque soli, qui memoria vigent, sciunt quid — dicturi sint, cui responderint, quid supersit.*

302. *partitiones*] nimiam partiendi diligentiam in Hortensio irridet Cicero Quinct. 10. et Div. in Caecil. 14, 45.; laudat idem in particula incerti libri apud Nonium v. *pressum*, quam indicavit Meyerus: *quis te aut est aut fuit in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis pressior?* Commemorat etiam Apuleius de Magia p. 589 Oudend.

collectiones] corpus locorum et imaginum, quibus disciplina memoriae artificialis colligeretur, significari, quod vult Bernhardy, non potest. Clarum est summas eorum, quae vel a nobis vel ab aliis dicta sint, significari; has, cum ad finem argumentationis aut refutandi pervenerat, collectas quasi ante oculos collocabat. Hoc probant Plinius Epp. II. 3, 3. et Quintilianus XII. 10, 52., uterque *colligendi* verbi usus; et hic quidem accuratius etiam *probationes colligere* dixit. Eandem Graeci συλλογήν et ἀνακεφαλαίωσιν vocant, Cicero *enumerationem*, Inv. I. 52, 100. et Partt. Or. 12, 41. Praeterea sententia ostendit non agi de adiumento, sed de fructu memoriae. Non enim colligebat Hortensius, ut meminisset, sed quia meminerat. Illa *memor et quae* suspectat Madvig. in Cic. Fin. p. 730., quod Cicero non diviserit orationem per *et — que;* quod iniuria dubitatur.

303. *motus*] paene histrionicum fuisse secundum antiquiores auctores dicit Gellius I. 5.

in forum venimus] toga virili sumpta a. 663 sexto decimo aetatis anno.

LXXXIX. 305. *Q. Metellus Celer*] is una cum C. Curione Q. Vario et Cn. Pomponio tribunatum gessit a. 664; et cum adiungatur C. Carbo (de quo v. c. 62, 221.), hic magistratum eum administrasse eodem anno credendus est, etsi solet anno proximo assignari.

habitabant in rostris] locutionem explicui in Explic. ad de Or. I. 62, 264.

Cotta cum est expulsus] a. 664; v. in c. 56, 205.

306. *Q. Scaevolae Q. F.*] ascivi Fabricii et Wetzelii correctionem, cum in libris legatur *P. F.* Docuit enim ille in vita Ciceronis ad annum 664. Ciceronem iuris addiscendi causa primum sese ad Q. Scaevolam Q. F. augurem contulisse: qui cum extrema senectute mortuus esset, anno demum 666 se Q. Scaevolae P. F. pontifici maximo docendum addixit.

306. *Philo*] Athenis excesserat cum Atheniensium optimatibus Aristione tyranno Mithridatis regis copiis urbem tenente a. 666; Clitomachi auditor fuerat, Antiochum discipulum habuit; quantum autem a Cicerone auditore cultus sit hic plurimis locis declaravit, velut N. D. I. 3, 6. Tusc. II. 3, 9. Acad. I. 4, 13. Divers. XIII. 1: cf. Plutarchum Cicerone c. 17.

307. *illo anno*] a. 666. *Proximus*, qui deinde vocatur, est insequens; nam a. 667 Catulus Antonius et Caesar a Mario interempti.

Moloni] v. in c. 90, 312. Hunc Molonem (dubium enim an forte vocandus sit *Apollonius Molonis filius*) non posse eundem esse, qui Alabandensis dicatur et a Scaevola augure auditus sit secundum Cic. de Or. I. 17, 75., recte contra Ernestum iudicavit Wetzelius. Ratio enim aetatis prohibet. Quem enim Scaevola certe non post a. 635 praetorius audivit, cum consul fuerit a. 637, is non potuit a Cicerone exemplum eloquentiae haberi plus quadraginta annis post, cum Sulla dictatore in Asiam profectus est a. 676.

XC. 308. *sed oratorum*] particulae vim non assecutus Ernestus scripturus erat *et*. Sententia olim perverse distincta magis pateret, si *oratorum ceterorum* legeretur: est enim talis: urbs sine armis quidem erat: sed ne putes provenisse eo rerum statu oratores, cogitandum est plerosque aut interisse aut fugisse, ita ut Hortensius solus relictus esset, qui dicendo valeret.

309. *Diodoto*] is diu vixit cum Cicerone, et plurimis locis propter eruditionem et mores ab eo laudatur, velut Ac. II. 36, 115. Tusc. V. 39, 113. Divers. XIII. 16. Mortuus est a. 695; ostendit Wetzelius ex ep. ad Att. II. 20.

astricta eloquentia] hanc Zenonis definitionem spectat etiam Quintilianus II. 20, 7.

310. *declamitans*] de hoc verbo et nomine *declamationis* disputavi in de Or. Explic. II. 20, 86.

cum aliquo] id est declamitabam, quisquis erat ille, quem socium habebam. Non significari *alium quem* recte annotavit Bernhardy; nos rem copiosius executi sumus in de Or. Expl. II. 42, 178. *Multum* non hic significare *valde*, sed *saepe* Madvigius docuit in Cic. Fin. p. 13.

Graece saepius] causam faciendi Crassi ore profert de Or. I. 34, 155. et explicatius apud Suetonium de clar. rhet. 2: *continebar autem doctissimorum hominum* (etiam Crassi, opinor) *auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.* Vide etiam prolegomenorum §. 39.

311. *crudelis interitus*] occisi sunt a Damasippo praetore Mariano, cum Sulla in urbem ingrueret; cf. Cic. de Or. III. 3, 9 sqq. N. D. III. 32, 80. Drumann. Hist. R. t. II. p. 463.

312. *Moloni*] cum vix veri simile sit bis Molonem Romae fuisse, Schneiderus priorem huius sententiae partem recidit, alteram vero a verbis *dictatore enim* usque ad *venerat* retraxit ad exitum c. 89. Hoc quidem probari minime potest, quod a. 667, quo gesta sunt quae c. 89 extr. narrantur, nec Sulla dictaturam tenebat nec bello civili flagrante et Mithridatico erumpente Rhodii praemia postulare poterant, quae meruerunt, cum Italici auctore Mithridate per Asiam trucidabantur. Bernhardyus igitur non dubitat de iterato Molonis in urbe commoratione. Mihi omnis eximeretur scrupulus, si Cicero scripsisset *Moloni iterum dedimus operam*; tale quid enim desideratur propter mentionem hominis dudum alio loco illatam. Nunc ἐπέχω.

XCI. 313. *naevo — crepundiis*] clarum est significari agnitiones scenicas parentum et liberorum: fieri enim solent his cum naturalibus tum fortuitis adiumentis, ut in Cistellaria Curculione Rudente Poenulo Plautinis fabulis videmus: cf. Ruhnk. in Ter. Eun. IV. 6, 15. Quod adversatur Bernhardy aliam interpretationem promens, quam intelligere arduum est, maxime nititur verbo *cognoscendi*; id vero dici

necesse erat, quia *agnosci* ab Attico & Bruto Cicero non potuit, *cognosci* potuit. Nullum simile totum simile.

314. *discedendum*] a gloria sperata *discedit* qui eam relinquit sive spem abiicit quasi viam adhuc tritam omittens: nos dicimus *aufgeben; desciscere* a speratis nemo potest, a partibus vel causa praesente potest. Similia sunt *a naturae statu et a constantia sapientis discedere* Off. I. 20, 67. *a se discedere* Brut. 79, 273. *a constantia, a mente discedere* Divin. II. 55.

in Asiam proficiscendi] locum respexit Quintilianus XII. 6, 7.

315. *Antiocho*] Antiochus Ascalonita (Plut. Cic. 4.) Lucullo dilectus, cum quo etiam imperatore assidue versatus est (Cic. Acad. II. 2, 4.), fratrem habuit Aristum Bruti magistrum, quare is *Academiae heres* vocatur c. 97, 332. Utroque loco doctrina Antiochi et Aristi vocatur *vetus Academia*, quod ille a Philone magistro discedens plurima veteris Academiae et Stoicorum decreta intulit, similior Platonicorum et Aristoteliorum, quam Arcesilae et Carneadis, qui de omnis notitiae humanae certitudine dubitare docebant: v. Cic. Acad. I. 4, 13. II. 43, 133.

cum summis] notat ambiguitatem Bernhardy, quasi homines illos Cicero in cohorte secum circumduxisset. Sed alienum est meminisse illius significationis, cum additur praepositioni *totus*, in quo alii indignationem, alii contemptum reperire sibi visi sunt. Hic enim *totus* in sententia adiuncta inest. Est autem ζεῦγμα figura *Asiam cum oratoribus peragrare* i. e. peragranda Asia oratores invisere; figuram explicuimus Explic. in de Or. I. 57, 243., hunc tamen locum non tetigimus.

Menippus] hunc cum Dionysio et Xenocle iunctos commemorat Plutarchus Cic. 4. Strabo autem Xenoclis eloquentiam non solius Ciceronis auctoritate praedicat XIII. p. 614., quem locum indicavit Bernhardy.

316. *redundantes — coërceret*] haec fortasse ante oculos fuerunt Quintiliano, cum scriberet XII. 1, 20: *ipse se multa ex iuvenili abundantia coërcuisse testatur.*

deferverat oratio] sic *impetus defervisse* dicitur apud Plinium Epp. IX. 13, 4. De verbo *residendi*, quod proprium

de fluctibus & ventis tranquillitati redditis, consulendus Gronovius Obss. p. 476. ed. Frotscher. et Buenemannus in Lactant. de Ira XVIII. 8.

XCII. 317. *deflorescentem*] non tum, cum Brutus in forum venit: tunc enim Hortensius in ipso aetatis flore erat; sed cum iam aliquid iudicare poterat, ut dicit ipse de sese c. 71, 248. i. e. post Caesaris consulatum, cum Brutus sextum et vicesimum, Hortensius quinquagesimum octavum annum agebat.

318. *pro M. Canuleio*] is et Cn. Dolabella a. 677 accusati sunt repetundarum, et hic quidem a C. Caesare, qui postea dictator fuit.

causas nobiles] quaenam fuerint non constat. Nam una, quae nota est, Q. Roscii comoedi sane in annum 678 incidit, sed privata erat nec nobilis propter gravitatem.

XCIII. 319. *oratoriam*] recte animadvertit Bernhardy, insolentem adiectivi dictionem, cum exspectes genitivum nominis *oratorum*, sic demum constare, ut memineris ἀπὸ κοινοῦ referendum ad *praecepta*. In multis certe adiectivorum derivatorum exemplis, quae genitivis nominum subrogata videantur, nullum huic simile videtur exstare. Alia enim non obiectivi, sed subiectivi casus provinciam tuentur, velut *labor imperatorius* Tusc. II. 26, 62. cf. Garatonum ad or. p. Balbo p. 205.; *munus oratorium, opus censorium, sortitio aedilitia*, quae pervagata sunt, et quod admistam proverbii significationem habet, *integritas provincialis* i. e. quae solet esse provincialium, p. Sextio 5, 13. Alia obiectivi quidem casus vim monstrant, sed de re dicta sunt, non de homine, ut *curatio agraria* Divers. XI. 21, 5. *procuratio quaestoria* i. e. quaesturae, Verr. Accus. I. 36, 91. et *ratio quaestoria* 39, 98. item *dispensatio regia* i. e. regiae pecuniae p. Rabir. Post. 10. Alia sunt circumlocutionis alias per praepositionem institutae, velut *offensio popularis* i. e. in quam apud populum quis incurrit, *concursatio decemviralis* s. ad decemviros facta Rull. II. 3. med. et *stupra sororia*, quae sunt cum sorore facta, p. Sextio 7, 16. Alia denique intransitive dicta sunt, ut

vicinitas meretricia p. Caelio 16, 37. *regia conditio* et magis etiam *regii interitus* Livii XXXIX. 4. His omnibus similius est *memoria nota et aequalis* Brut. 69, 244., etsi non habet derivatum pro primitivi nominis genitivo et *memoria* paulo aliter dicitur, quam *enumeratio*.

320. *picturae veteris*] „elegantissimam figuram poëtae Graeci praeiverant, ut Aeschylus Ag. 1330., item Euripides Pelei Fr. 4. et Antiphanes a Toupio Emend. t. I. p. 173. correctus.“ *Bernhardy*.

quivis unus] mira est Silligii sententia, quam Meyerus sequitur, esse duo coniuncta *quivis* et *unus ex populo* rectiusque interponi virgutam. *Quivis unus* coniunguntur ut *aliquis unus*, *nemo unus*, *nullus unus:* quibus cur addiderit *ex populo* existimare licet ex c. 54, 199.; id quod recte iudicat Bernhardy.

322. *complexus esset*] id est *didicisset*, ut explicat Wyttenbachius in Bibl. Crit. vol. I. p. 14.

beneque dictorum] sententiarum dignitate plenarum, quibus homo ad egregie faciendum incitetur: quo genere abundabant Stoici et Peripatetici, quorum his plurimum sese debere multis locis fatetur Cicero, quia sentiendi prudentiam cum dicendi flumine et elegantia coniungebant.

ab inferis] significat dicta factaque maiorum, quibus pro exemplo ponendis maxime in suadenda dissuadendaque lege auditores moverentur vel deterrerentur. Cicero Top. 10, 45: *in hoc genere* (i. e. exemplis) *oratoribus & philosophis concessum est, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur.* Quintilianus IV. 1, 28: *in epilogo vero liceat totos effundere affectus et fictam orationem induere personis et defunctos excitare et pignora eorum producere.* Ultima ad id genus commiserationis pertinent, quo usus pro se est Ser. Galba filium C. Galli propinqui sui populo commendans, v. Cic. Brut. 23, 90. Contendit Bernhardy Graecorum *οἰκεῖα παραδείγματα*, in quibus tractandis multus est Domesthenes, Olynth. III. p. 35. Phil. III. p. 117. 120 sqq. Cherson. p. 108. c. Aristocr. p. 686. 689.

incluso adversario] quasi vinculis illigato, ut se expedire nequiret. Venaticum videtur vocabulum, sicut *capere adversarium* c. 48, 178.

XCIV. 323. *duodecim annos*] ab a. 692 ad 703, quo in Ciliciam proconsul abiit Cicero; Hortensius enim decessit a. 704, ante illius reditum: v. c. 1, 1.

324. *lege Pompeia*] iudiciaria illa, de qua dictum est in c. 69, 243.

novi veniebamus] tractat haec P. Victorius Var. Lectt. XXI. 10. comparans illud Dionysii Halicarnassensis de Lysia iudicium: *οὑτοσὶ δὲ ῥήτωρ καινός ἐστι καθ᾽ ἕκαστον τῶν λόγων.*

orationes — indicabunt] has aetas, quae Augustum secuta est, sua inepte mirans antiquorum fastidiose despiciens obliteravit. Quanquam in Hortensio plus fuisse speciei et pompae quam veritatis veterum accuratissimus existimator Quintilianus, cum de Caelio et Calvo et Messalla satis honorifice iudicet, non obscure prodidit.

XCV. 325. *primum*] alteram causam sententia aliter informata reddit §. 327. verbis *sed cum iam &c.* Rem exposuit Heusingerus in Off. I. 14, 7. 28, 9. et iam ante hunc animadverterant Manutius in Epp. ad Div. II. 9. Cortius in Sall. Iug. 85, 45. Quibus adde Wopk. Lectt. Tull. I. 9, 52. Gronov. in Liv. IX. 36, 2. Gernhardum in Off. Excurs. p. 447.

genus — Asiaticum] de hoc dicendi genere copiose egit Bernhardy in Gr. Litt. vol. I. p. 379. Id quantum per aliquod tempus etiam Graecis placuerit, ita tamen, ut mirantes non diu caecaverit, indicat Dionysii Halicarnassensis iudicium p. 447. t. v. Reiskii: *ἡ μὲν Ἀττικὴ Μοῦσα καὶ ἀρχαία καὶ αὐτόχθων ἄτιμον εἰλήφει σχῆμα τῶν ἑαυτῆς ἐκπεσοῦσα ἀγαθῶν* &c.

Hierocles] in hoc et Menecle non tam sententias concinnas i. e. artificiose conclusas, quam copiam et facultatem laudat Or. 69, 231. Summam eorum famam fuisse, ut tota Asia eos imitaretur, legimus etiam apud Cic. de Or. II. 23, 95. et apud Strabonem XIV. p. 661. Ceterum in loco Oratoris paulo aliter de Asiaticis oratoribus iudicat aliterque eorum

genera dividit; unum, quod numerorum concinnitati inepte deditum plane otiosa verborum complementa sectetur, alterum Hegesiae simile numeris fractis et minutis, tertium non tam veritatis quam copiae et ubertatis in dicendo studiosum.

Milesius Aeschines] „solum vertere coactus est, cum Pompeium immodica libertate perstrinxisset: v. Strab. XIV. p. 635. Idem πολιτικὸς συγγραφεὺς dicitur Diogeni Laertio II. 64. Inter bonos declamatores retulit Seneca Controv. I. 8." *Meyer.*

326. *oratio — vibrans*] sumptum simile ab hastarum et pilorum iaculatione, quae, cum librata et contorta feruntur, maximam vim ex celeritate nanciscuntur: cf. Toupium in Longinum p. 306. Weiskii. Proprie dixit Plinius Panegyrico 13: *cum — si quod* (telum) *durius accipienti videretur, ipse vibrares.* Translate de vi sententiarum fulminis instar animum ferientium in primis decore dicitur *vibrare.* Quintilianus X. 1, 60: *summa in hoc* (Archilocho) *vis elocutionis, cum validae tum breves vibrantesque sententiae.* XII. 9, 3: *at si iuris anfractus aut eruendae veritatis latebras adire cogetur* (oratio), *non obequitabit nec illis vibrantibus incitatisque sententiis tanquam missilibus utetur.* Hinc *iaculari vibrantes sententias* duxit commode locutus idem scriptor XI. 3, 20: *adiicias licet eos, qui sententias vibrantes digitis iaculantur.* Et de maledictorum insectatione IX. 2, 79: *ut si pater — iacularetur in uxorem obliquis sententiis.* Adde Saleium Bassum sive quis alius carmen in Pisonem scripsit v. 57: *densaque vibrata iaculari fulmina lingua.* Apud Ciceronem autem *vibrari* et, quod affine est, *contorqueri* maxime usitata sunt de numerorum apta conclusione, quae cum fulmine vi caelesti contorto comparantur. Or. 70, 234: *cuius* (Demosthenis) *non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur:* i. e. non ea vi ferirent: quo loco utitur Quintilianus IX. 4, 55. Similiter Plinius dixit *contorquere* Epp. V. 20, 4: (Graeci) *frigidas periodos uno spiritu contorquent.* Et Quintilianus X. 7, 14: *cum infelix illa verborum cavillatio accessit —, non potest ferri contorta vis.* Vis enim sententiarum augetur numeris accedentibus, ut Cicero in Oratore et ex eo Quintilianus l. c. pronuntiaverunt:

accedat huius sententia IX. 4, 9: *quare mihi compositione velut amentis quibusdam nervisve intendi et concitari sententiae videntur.*

327. *florentem facultate*] quippe *dicendi*, quo subaudito Ernesti suspicio evanescit. Cic. p. Quinctio 2, 4: *Hortensio summam copiam facultatemque dicendi natura largita est.* Supra c. 88, 303: *erat in verborum splendore elegans compositione aptus facultate copiosus.*

XCVI. 328. *pro Messalla*] ambitus res a. 703; bis enim postulatus est, ante consulatum, quem gessit a. 702, et cum magistratu abiisset: v. Luzac de Hortensio p. 87.

a Crasso] quinque et quadraginta annos Hortensius orator floruit, ab a. 659 ad 704; Cicero triginta ab a. 673 ad 703, quem egit in Cilicia; deinde cum defendendis Ligario et Deiotaro se in cursum revocasset a. 708, mansit in eo ad a. 711: sunt igitur anni trigiuta fere et quatuor.

330. *orbae — tutores*] hunc locum tractavit P. Victorius Varr. Lectt. XIV. 11.

amatorum impetu] frustra olim *armatis* patrocinatus est Wetzelius; locum cum dissimilibus contenderunt Lipsius in Tac. Ann. VI. 3. et Kritz. in Sall. Catil. p. 217. „Egregia figura, quae sua sponte versum Aristophanis Eq. 520: πολλῶν γὰρ πάνυ πειρασάντων ὀλίγοις αὐτὴν χαρίσασθαι, et scenam Pytinae Cratineae in memoriam revocat, quamque totam depinxit scriptor epigrammatis apud Suetonium de ill. gr. 18. Cicero finxit eloquentiam tanquam virginem castam et diligenter custoditam, i. e. κατάκλειστον: de quo v. Iacobs. Opusc. vol. IV. p. 301." *Bernhardy.*

XCVII. 331. *per medias laudes*] formulam exemplis astruxit Heusingerus in Off. I. 19, 15. Sumpta est a triumphantium honoribus; quo pertinet etiam locus Horatianus a Bernhardyo arcessitus in testimonium Serm. I. 6, 23: *sed fulgente trahit astrictos gloria curru.* *Vehere* s. potius *vehens* participium οὐδετέρως dictum pluribus firmarunt De Monte in Latio restituto vol. III. p. 1408., Gronovius in Liv. II. 19, 7. et Wolfius in Suet. Caes. 37., qui comparat *gestans*; addi poterat *volvens*, de quo v. Scaligerum in Lucilii Aetnam

p. 180. ed. Iacob.; et inspiciendus est Madvigius in Cic. Fin. p. 130. *Equo praetervehens* legitur etiam apud Livium XXII. 49, 5. et hoc quidem citra necessitatem, cum non minus aptum sit *praetervectus*, quod in Ciceronis locum non cadit. Nam quod legitur apud hunc de Rep. III. 9. p. 356. ed. Moser., Pacuvii poëtae videtur esse.

tangit] *tangere* dicitur animum dolor, cum penetrat in eum et se quasi insinuat: quod cum factum est, *sollicitat*; illud igitur causam indicat origine priorem. Hinc recte Cicero Q. Fr. III. 3, 1: *sed me ita cura sollicitat angitque*: *angi* enim est gravius sollicitari. Non probo Zumptium, qui *tangendi* hunc usum a Cicerone quasi poëticum abiudicarit in Verr. Accus. II. 34, 84. Certe quod Livius dixit I. 53. III. 17. quidni Cicero?

332. *Pammenes*] is in bonis declamatoribus numeratur a Seneca Controv. I. 4. cf. II. 13. Honorifice de eo iudicat Cicero Or. 30, 105., Demosthenis studiosissimum vocans. *Aristus* Antiochi principis novissimae Academiae frater fuit, cuius et Bruti familiaritatem commemorari videmus etiam Acad. I. 3, 12. Tusc. V. 8, 21. et apud Plutarchum Bruto 2.

333. *singulis aetatibus*] eandem sententiam a Cicerone positam videmus de Or. I. 2, 8.

INDEX I.

RERUM IN HISTORIA ELOQUENTIAE EXPLICATARUM.

Numeri sectiones s. paragraphos indicant.

INDEX II.

RERUM IN COMMENTARIIS CRITICIS TRACTATARUM.

Numeri sectiones s. paragraphos editionum indicant.

INDEX III.

RERUM IN EXPLICATIONIBUS TRACTATARUM.

Numeri sectiones sive paragraphos editionum indicant.

Druck und Papier der Hofbuchdruckerei in Altenburg.

Bei den Verlegern erschienen ausserdem:

Ciceronis, M. T., De Oratore libri tres. Recensuit, emendavit, interpretatus est Fr. Ellendt. Vol. I. Verba script. c. commentariis crit. continens. Vol. II. Explicationes cont. 8 maj. 1840. n. 6 Thlr.

Ellendt, Fr., Lexicon Sophocleum adhibitis veterum interpretum explicationibus, grammaticorum notationibus, recentiorum doctorum commentariis compos. II Vol. 8 maj. 1834. 35. n. 10 Thlr. 20 gGr.

— — de formis enunciatorum conditionalium linguae latinae Commentatio. 8 maj. 1827. 8 gGr.

Apollonii Citiensis, Stephani, Palladii, Theophili, Meletii, Damascii, Ioannis, aliorum Scholia in Hippocratem et Galenum e Codd. Mss. Vindobonens. Monacens. Florentin. Mediolanens. Escorialens. etc. primum graece ed. F. R. Dietz. II Vol. 8 maj. 1834. 4 Thlr. 20 gGr.

Arriani, Nicomed., de expeditione Alexandri Libri VII. Recens. et annotat. max. partem criticis tum aliorum selectis, tum suis instruxit J. F. Ellendt. II Vol. 8 maj. 1832. 4 Thlr. 20 gGr.

Ciceronis, M. T., de Oratore ad Quintum fratrem libri III. Recensuit, illustravit, aliorum suasque animadversiones adjecit O. M. Müller. 8 maj. 1819.
Auf Schreibpapier 1 Thlr. 8 gGr.

Drumann, W., Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung; oder Pompejus, Cäsar, Cicero und ihre Zeitgenossen. Nach Geschlechtern und mit genealogischen Tabellen. 1. bis 5. Band. 1834 bis 41. 16 Thlr. 8 gGr.

Dessen 6. und letzter Band erscheint noch in diesem Jahre 1844. Preis ungefähr 3 Thlr. 20 gGr. bis 4 Thlr.

Ebert, J. F., *ΣΙΚΕΛΙΩΝ* sive Commentariorum de Siciliae veteris Geographia, Historia, Mythologia, Lingua Antiquitatibus Sylloge. Accedunt praeter Inscriptionum aliquot enarrationem, Scriptorum ut ratione Siculorum, ita horum, qui de rebus Siculis egerunt, vitae cum reliquiis Operum illustratis. Vol. I. p. 1. 8 maj. 1831. 20 gGr.

Lehrs, K., de Aristarchi Studiis Homericis, ad praeparandum Homericorum Carminum textum Aristarcheum. 8 maj. 1834. 2 Thlr. 4 gGr.

— — Quaestiones Epicae. 8 maj. 1837. 1 Thlr. 16 gGr.

Lobeck, Chr. Aug., Aglaophamus sive de theologiae mysticae Graecorum causis libri III. Accedunt Poetarum Orphicorum reliquiae. 2 Vol. 8 maj. 1829. n. 10 Thlr.
Velinpapier n. 13 Thlr. 8 gGr.

Otfrid's Krist, das älteste im 9ten Jahrhundert verfasste, hochdeutsche Gedicht, nach den drei gleichzeitigen, zu Wien, München und Heidelberg befindlichen Handschriften, kritisch herausgegeben von E. G. Graff. Mit einem Facsimile aus jeder der drei Handschriften. gr. 4. 1831. n. 5 Thlr. 16 gGr.

Schubert, F. W., de Romanorum Aedilibus libri IV. quibus praemittitur de similibus magistratibus apud potentiores populos antiquos Diss. duae. 8 maj. 1828. 3 Thlr.

Struve, K. L., über die lateinische Declination und Conjugation, eine grammatische Untersuchung. gr. 8. 1823. geh. 1 Thlr. 20 gGr.

— — Quaestiones de dialecto Herodoti Spec. I, II et III. 4 maj. 1828—1830. n. 1 Thlr.